This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

NYPL RESEARCH LIBRARIES
3 3433 06824484 1

SOLIS INTELLIGENTIÆ

LUMEN INDEFICIENS

SIVE

IMMEDIATUM

DEI UT ENTIS SUMMI

INTERNUM MAGISTERIUM

SOLIS INTELLIGENTIÆ

LUMEN INDEFICIENS

SEU

IMMEDIATUM

DEI UT ENTIS SUMMI

INTERNUM MAGISTERIUM

PER F. JUVENALEM ANNANIENSEM

ORD. CAPUCINORUM QUONDAM SS. THÉOL. LECTOREM

EDITIO ALTERA CONTRACTIOR CUI PRÆFATIONEM ADJECIT

JULIUS FABRE D'ENVIEU

ANTEA PHILOSOPHIÆ ET THEOLOGIÆ DOGMATICÆ LECTOR,
NUNC VERO IN ACADEMIA PARISIENSI THEOLOGIÆ EXEGETICÆ PROFESSOR
SORBONICUS.

PARISIIS

APUD E. THORIN

VIA MÉDICIS, 7

1878

17296 -

PRÆFATIO.

PHILOSOPHIÆ CULTORIBUS

PACEM ET GRATIAM A DEO PRECATUR

JULIUS FABRE D'ENVIEU

Occasionem adripio, studiose Lector, iterum te adloquendi, initio hujus voluminis, in quo tibi exhibetur Spiritualismi, id est Platonismi augustiniani seu Ontologismi breviarium notabile, et jam pridem à docto quodam theologo elaboratum. Nova enim, quam molior, hujus libri editio, præfationem novam, monita nova, postulat. Quippè nonnulla sunt, de quibus te in limine monendum censeo, quo melius perspicias quibus rationibus ad hunc denuò typis evulgandum Juvenalis Annaniensis libellum, inductus sim.

Ea est sanè ratio quæ me impulit, ut animum applicarem ad hanc novam hujus libri editionem, quod in hoc ipso, indubiis argumentis, comprobatur, fusè et quidem eruditè pertractatur nobile illud systema, Ontologismi nomine notum, cujus præcipuum caput est : Ens summum esse lucem mentis humanæ, Deum esse lumen rationis, immediatè menti nostræ semper præsens, in quo cernimus veritates æternas et incommutabiles, quæ generatim veritates absolutæ nuncupantur. Ad hanc vero thesim rursùm proponendam, triplici moveor ratione : primò, quia principalior est in philosophiâ ; secundò, quia valdè utilis est ad multas ex quæstionibus gravioribus theologiæ ; tertiò quia valdè oppositos in ipsius intelligentia philosophos et theologos reperio. In hâc tamen ipsâ hujus thesis discussione cardinem totius philosophiæ verti liquidò patet. Hanc thesim præterea axim esse totius religionis naturalis facilè inter doctos constat Nam absque immediatâ atque innatâ Dei apprehensione, non daretur in animo nostro vis seu facultas quâ de Deo reflexè et scientificè possemus cogitare ; destitueremus spe ullius communionis cum Ente summè perfecto. Quare rectè dictum existimamus ab hoc dogmate momentoso pendere religionem naturalem et totam rem philosophicam.

Philosophiam itaque scitè et præcisè nemo defendere potest, nisi quæstionem, cujus tractationem Juvenalis Annaniensis aggressus est, noverit solvere. Sepositâ enim systematis Ontologici veritate fundamentali, nullo modo poterunt philosophi impugnare sensualismum sive practicum sive theoreticum, quem non nescimus fontem esse innumerabilium malorum. Sensualistarum enim systema damnosa est sævientium errorum pestis, quæ subrepit in vitam et mores mortalium : sensualimus est causa, cur plurimi Dei existentiam et providentiam negent; sensualimus profectò causa est quare variæ scholæ philosophicæ in scepticismum, in materialismum aut in pantheismum se impegerint; sensualismus denique causa est quare tam multi citra ullam futuri sollicitudinem, Epicureorum instar, molliter ac libidinosè ævum transigere omnibus expetunt votis.

Neque adeò mirum est tantoperè invaluisse hunc errorem, quum vix alius excogitari possit, qui ingenio humano ad rerum sensibilium amorem proclivi plura indulgeat, quàm hic ipse, qui hominibus persuadet eos in rebus finitis speculandis circumscribi, constringi et coerceri. Hinc enim homines brutis se assimilant, quæ solo sensu corporalium moventur, et ad id solum quod adest, quodque præsens est, sese accommodant. Quid itaque periculi à sensualismo imminent veritati, facilè quisque videre potest: quæ mala sensualismus in orbem humanum introduxerit, quàm fœdè illum deformaverit, facilè erit in propatulo.

Conferamus nos paulisper in orbis theatrum, et cernemus hîc campos militibus inundantes, illic maria navibus plena; ibi aurum et metalla, istic lapides crudeli conatu effodi; alibi tormentorum tonitru aera concuti et fulmine scindi. Urbes si ingrediamur, curias litibus repletas, officinas sudore laborantium madidas, fora, plateas, vicosque negotiantibus inquieta: de minimo ad maximum, cunctos mille curis distentos videbimus. Si verò finem tantorum negotiorum et tumultuum requiramus, non alium reperiemus, quam modica, fallacia, vana et terrestria bona.

Certè quidem homini licet saluti, securitati et prosperitati familiæ et patriæ consulere, res humanas curare, artes operosas et urbanas exercere, atque ad promovendum bonum commune intendere : in hunc finem utique conspirare omnes debent, ut se mutuò juvent, ac defendant. Cuique licet sibi honesto labore comparare ea quibus indiget quoad vitæ conservationem et modum transigendi illam. Verùm semper et in quâque re facultates hominis dirigendæ sunt ad finem honestum, ita ut semper motivo divino stimulentur et impel-

lantur. Delectabilitas ipsa, ipsum levamen naturæ vel quælibet corporis commoditas, si fiant considerando solùm naturam animalem, non sunt bona et honesta; ut sint bona et honesta debent dirigi ab humanâ naturâ, ut rationali. Quod quidem fit, quando ad operandum propter commoditatem naturæ adhibet homo rationis regulam, et judicat illam commoditatem esse sibi convenientem, etiam ut ratione regulatam. Quare non minus verè, quam doctè docet Aristoteles: *Ut homo perfectionem nactus, animantium est optimus, sic cùm à lege justitiâque discessit, omnium pessimus habetur* (Lib. I, Pol. Cap. 2). Undè benè nos admonet Psalmista: *Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus* (Ps. XXXI, 9). Homines enim sensibus dediti pecudum instar vitam agunt, belluinam naturam induunt, et de iis dici potest: Cum in honore essent, non intellexerunt; comparati sunt jumentis insipientibus et similes facti sunt illis (Ps. XLVIII, 12).

Si quis ergò paulo altiùs expendat et subductâ ratione aliquantò vividiùs secum reputet, quantum dominentur in omni statu hominum inordinatus terrestrium bonorum appetitus et cæcitas animarum, vix, aut mea me fallit opinio, contineat sese, — nisi sit ab omni humanitate longè alienus, — quin flebilibus modis lamentetur et ejulet. Locum enim si demus rationi, fatebimur rationales modò super omnes irrationales creaturas à ratione longiùs deerrare. Paucos enim invenies qui finem perpendant, ob quem Deus hominem creaverit; tantaque est plurimorum cæcitas mentis, ut vitam suam post septuaginta aut plures annos finientes, ne semel quidem intra tantum spatium considerarint, ad quid in hoc mundo à Deo creati fuerint. Homines itaque penè innumeri nugis, in hâc vitâ, immodicè distinentur seque occupationibus conterunt quæ nec decent, nec replent animam rerum multò majorum et meliorum compotem. Hos videmus sine Numinis sensu explicito et reflexo ita ætatem agere tanquam si Numen aliquod non sit, quod res humanas inspiciat, et sapienter justeque regat. Ad tantam multi deveniunt dementiam, ut in idolatriæ scelus irruant: toti inhiantes fluxis opibus, flexo poplite Mammonam adorant, Venerem et Bacchum commensales habere conantur. Effrenata ergò hæc vitæ licentia homines cæco impetu ad amorem creaturarum convertit, et eos penitus avertit à notitiâ et cultu Creatoris. Serpit hæc dira contagio non tantum inter humiles casas ignaræ plebis, sed vel maximè inter homines specie politos, populique duces, et ipsas sapientium hujus ætatis scholas pedetentim invasit. Hinc fit ut nostro ævo plurimi passim inveniantur, qui reli-

gionis omnis expertes, existentiam Numinis parum curent, et rerum creatarum idolis affixi, nullam alterius vitæ curam admittant.

Et quidem non sine acerbo doloris sensu videbis homines, quos Positivistas et Materialistas vocant, Deum à sese expressè conantes excludere , aut Deum non esse vel credere vel cupere. Apertè vel callidè innumeri homines Deum esse negant. Quare nostrà hâc tempestate innumeros penè libros à litteratoribus et à doctis scriptos facile est offendere, in quibus monstrosæ, in Deum blasphemæ, excitantur opiniones, arduoque et indeside conatu traduntur. Adeò itaque modo invaluit omne malum, ut videatur ab hominibus Deus toto mundo extorris ejectus. Pecudum prætereà animabus mentem humanam æquare satagunt; neque volunt agnoscere dotes esse in animâ nostrâ quæ hominem essentialiter à belluis distinguant. Ita ut si nobis Xerxis instar supra montem stare liceret, unde cunctos saltem hujus hemisphærii mortales intueremur, lacrymas funderemus, quod adeo sint plerique divinæ naturæ suæ obliti, ut in vilitatem jumentorum conversi videantur.

Verùm querelis nihil proficimus; philosopho non sufficit instruere et deplorare hominum cæcitatem. Ad ipsum pertinet aliquâ ratione mali originem prodere et præscribere nonnulla remedia quibus curetur hic animorum morbus.

Cernamus igitur quomodo creatura rationalis ad talem perveniat rationis defectum. Dic nobis, ô anima Dei cognitione insignita, cur sic immemor nobilitatis tuæ, te degenerem reddideris, ut de humanâ ad brutalem sortem deveneris; et si fortè hactenùs hanc tuî lapsûs causam neglexeris, modò precor, ut paululum mecum eamdem scrutari non dedigneris. Haud difficulter comperies stirpem ac semen totius mali in hoc esse, quòd mentem tuam inspicere negligas, et indè sequi quod dignitatem naturæ tuæ non perpendas.

Rationalis enim anima habet actiones reflexas quibus seipsam, suas facultates, suasque operationes sentit, quibus speciatim se intelligere animadvertit. Verùm plerumque mens suam intellectionem attentè apprehendere, seipsam sedulò videre recusat aut negligit; quid sit ipsum intelligere ne philosophi quidem scire conantur; naturam seu essentiam intelligentiæ non animadvertunt. In perscrutandis mentis viribus aut enodandis naturæ intellectualis phænomenis, in reserandis abditissimis animæ nostræ facultatibus, cæci sunt et duces cæcorum. Uno verbo, ipsimet philosophi non sufficienter versantur in rebus psychologicis.

Deplorans Ieremias calamitatem populi exclamat: *Desolatione de-*

solata est omnis terra; et velut totam mali designans originem, subdit: *Quia nullus est, qui recogitet corde* (XII., 11). Quod quidem appositè dictum fuit. Miraris enim, ô homo, animam tuam ad Creatoris imaginem factam, modò jumentis, quibus non est intellectus, comparari. Sed si causam tantarum miseriarum desideres nosse, dico cum Ieremiâ: *Quia nullus est qui recogitet corde.* Non recogitas quomodo te similem sibimet Deus condiderit. Non recogitas nobilitatem conditionis tuæ, ideò te adeo vilem reddere non vereris.

Igitur te rogo, quisquis hæc legis, ut paulisper mentis oculum digneris abstrahere ab omni re creatâ extra te positâ, quo teipsum melius recogitare valeas. Si singulos interrogavero: Tu qui es? Utique respondebunt, se homines esse. Si verò petiero, in quo natura hominis consistat; vereor profectò ne plurimi sint, qui se hoc ignorare fateri cogantur. Sed quæ causa tantæ ignorantiæ? Non alia quam suprà data: *Quia non est qui recogitet corde.* Sicut enim non videmus equum in molâ laborantem, nisi velatis oculis, sic nec hominem reperimus sensibus deditum, nisi sensûs intimi et rationis oculos fere clausos habuerit. Nobis tamen Deus conscientiæ oculum contulit; ut nobilitatem animæ nostræ considerantes, mente in cœlestibus habitaremus; et ecce, diu noctuque, vermis instar, per terram repimus!

Maxima itaque pars humanitatis et decus omne vitæ humanæ, quo distamus à bestiis, inest primùm in sensu quodam divinitatis, deindè in dictis factisque ad illius sensûs normam componendis fingendisque. Existit in mente nostrâ cognitio quædam Dei, per omnes vitæ intellectualis actus fusa et explicata; congenita est animis nostris Dei cognitio; impressus est menti nostræ visus quidam et intuitus naturalis quo incommutabile verum perspicimus et aliquomodo contemplamur. Ad hanc verò cognitionem homines non adtendunt; mentem suam non inspiciunt; seipsos ignorant; sensus Dei in ipsis elanguescit, Deum non agnoscunt. Hâc de re itaque usque adeo stipites et plumbei, inertes et stolidi, inconsulti et excordes sunt hujus sæculi homines, et somniis quibusdam immersi, ut vix ad Stentoris vocem, ut est in proverbio, videantur experrecturi.

Hunc sensum Dei, fateor quidem, animale corpus pondere suo terreno obruere nititur. Mens nostra corporeâ caligine circumfusa sublimia ægrè adspicit. Corpus quidem instrumentum est quo, cognitione singularium, mens elicit atque evolvit cognitionem intellectualem universalium. Sed ita est nunc anima nostra huic corpori conjuncta, ut istud sit menti pondus aggravans. Anima enim nostra

rebus corporalibus, quæ sensu percipiuntur, facilè implicatur; et dum sensibilium appetitu fervet, illis hæret dedita et affixa, atque ab istis inferioribus ægrè se abripi patitur. Quare animi adversio in ipsum actum intellectualem et in ejus objectum nonnisi perrarò fertur; atque ita porrò facilè objecta sensibilia mentis oculo injiciunt velamen, quo miserrimè obcæcati, homines nobilitatis humanæ obliti, præcipites, irrationabilium instar, in omne malum ruunt. Miseræ enim hominum animæ sensationibus semper laborant, et nisi reflexionem in actus mentis sedulò exercitent, crassâ ignorantiâ rationis lumen obtegitur, ipsæque mentes spissis tenebris implicatæ degunt.

Cùm enim ea sit mentis natura ut continuò cogitet; laborem autem refugiat quo seipsam et objecta insensibilia intellectui propria considerare discat, evenit ut rebus corporeis transvorsum actus homo de viâ magis magisque deflectat. Ita sæpissimè neque se, neque intelligibilia, neque Deum reflexè, explicitè et scientificè plurimi homines sciunt apprehendere. Hâc scientiâ verò carent, quia se in hanc consuetudinem non adducunt ut seipsos et intellectûs objecta reflexè et explicitè perspiciant. Dei utique cognitio naturalis est exercenda et explicanda: quævis enim scientia exercitatione comparatur et perficitur. Facilè constat, v. g., oculum in aliquo genere exercitatum, videre quod alii non cernunt, qui se non in eodem genere exercuerunt. Quod non mirum videbitur, cum etiam aures, exercitatæ audiendis musicis concentibus audiant, quæ aliæ nôn assequuntur.

Quare multos reperies, qui rebus creatis affixi, ab iis abrepti, semper iis anima et corde inhærent. Toti porrò in illis rebus caducis et fluxis, quomodò possent ad Deum converti, artemve discere Ens illud summum cognoscendi? Quomodo possent mentis propria curare aut ea, quo addecet, animo perpendere? Nesciunt revocare mentem à sensibus, et cogitationem à consuetudine creaturarum abducere. Summum itaque bonum non sufficienter cognoscunt, ac proindè illud non summè, ut decet, appetunt. In tantum enim unumquodque à nobis potest diligi, in quantum cognoscitur à nobis. Cùm autem vix in mentem eorum intrent quæ Dei sunt, quomodo eadem cognoscere homines possent? Qualia molæ imposueris, talia molit. Cùm ergò nihil præter transitorias creaturas intueri plurimi hominum discant; hinc fit, ut talibus tota mente continuò occupentur, nec de Deo, vel Divinis vix ulla insit ipsis memoria.

Idcirco si quis interrogaverit homines corporeis deditos rebus, quare sursum cor ad superna bona non erigant; paucis homines isti respon-

dere possunt : « Quoniam non fertur affectus in bonum ignotum. » Et reverà quamvis Deus sit menti humanæ semper præsens, homines, illi Deum quasi ignorant, quia de illo nec volunt nec sciunt reflexè explicitè et scientificè cogitare. Ut Paulus enim loquitur : *Animalis homo non percipit ea quæ Dei sunt* (1, Cor. II, 4). Quod hâc similitudine patet : si quis invitatus ad magnum convivium, se totum grossioribus cibis oppleret, absque dubio amitteret appetitum ad delicatiora. Idem omninò fit plerisque in mundo, qui invitati ad Dei mensam, adeò replent his rebus caducis desideria sua, ut ad cœlestia non modo nullum habeant appetitum, sed etiam nauseent.

Notandum hoc quoque, quod rerum corporearum fervens affectus, propemodum soleat mentis oculum excæcare. Dum enim rei cujusdam amore inordinatè accenditur homo, omnem rationem inquirit ad malum suum justificandum. Porrò in ipsâ negligentiâ quâ seipsum excutit, apprimè rationes invenit quibus actus suos excuset. Hâc enim de causâ faciliùs pulvere bonorum terrestrium visus noster intellectualis impeditur ne ideas æternas prospiciat. Quare et rectè etiam dicere possumus, amorem creaturarum esse humorem quemdam, qui super pupillam oculorum mortalium incidens, lumen divinum, quod super nos signavit Vultus Domini, ferè obnubilet. Undè facilè intelliguntur quæ narrantur de duobus senioribus, qui contra castissimam Susannam falsum fabricârunt testimonium. Causam enim attende tanti sceleris : *Et everterunt sensum suum, et declinaverunt oculos suos, ut non viderent cœlum, neque recordarentur judiciorum justorum* (Dan. XIII, 9). Oculum à Deo avertunt, et prius sensum suum evertunt ; velant nempe oculum intellectûs, conscientiæ oculum extinguere conantur. Verum certè est hanc Dei cognitionem vel maximè exiguam, nunquam planè extingui. Sed ignis ille cœlestis non ardet in istorum hominum mentibus. Licet adhuc scintilla cognitionis Dei in ipsis remanserit, tamen fumo rerum corporearum adeò est obfuscata ut ferè nihil luminis remaneat. Et licet magnus ille mentium Doctor, Deus, continuò luminis influxu in mentes radiet, tamen, quia desunt subjectivæ dispositiones, luminis illius cognitio extinctioni plenariæ proxima hebescit.

Tenetur tamen homo hanc cognitionem promovere, sensum Dei fovere, excitare, et quidquid splendorem hujus intelligibilis Solis offuscat removere. Nam ubi ille sensus Dei viget, aliturque suis nutrimentis, et acuitur artibus idoneis, ibi omnia accipiunt suum ornatum ac decus consentaneum naturæ humanæ dignitati. Quare necesse est ut anima discat intrare ad seipsam et in intimis

suis Dei præsentiam suspirare. Nisi enim ad Deum aspiremus, dici de singulis nobis potest : *Sic in non hominem vertitur omnis homo.*

Hominum tamen plurimi nesciunt, quantò cognitio suî ipsius, propriæ, inquam, animæ, aliarum rerum scientiæ præstet. Turpe esse non vident aliena in mundo rimando vagari; propria et domestica, internas animi opes naturamque ignorare. Atque hinc magnoperè necesse est refricare vulgatum illud Appollinis Delphici templo præfixum oraculum : NOSCE TE IPSUM ; quo sapiens quisque admonebatur, ne, dum in alienis rebus noscendis est oculatus, domi suæ cæcutiat.

Insignem verò hujus cognitionis usum, imò summam necessitatem, nemo non videt. Quare ad illam acquirendam nos sæpè hortantur sapientes, qui sæpissime nobis dicunt : Vosmet explorate, an non nostis vos ipsos ? Non enim minor est dignitate hujus scientiæ utilitas, imò his maximè temporibus necessitas. Documento sunt funesta illorum exempla, qui hujus scientiæ ignoratione in tot tamque fœdos in dies proruunt errores, ut omnem non modo rationis, sed et humanitatis exuisse sensum videantur. Sudant prela, et novos in generis humani perniciem, effundunt partus, æternis tenebris dignos, quibus unum id est propositum, ut ostendant, Numen nullum esse, animum hominis nomen esse inane, bestiasque cum homine æquiparari.

Hîc enim speciatim deploranda est eruditorum et litteratorum multorum negligentia, qui rebus corporeis unicè intenti, in seipsos nunquam descendunt, et suam mentem minimè norunt. Et reverà scientiam mentis ignorant innumeri homines, cæteroquin docti, qui seipsos Anthropologistas, Medicos, Physicos, Chymicos vocant. Apud ipsos multi multa sciunt et seipsos nesciunt, corpus curant et animam negligunt. Oculo fugitivo ac velut cursorio animam perspiciunt, neque fracto exteriori cortice in medullam intimam perrumpunt; res psychologicas nunquam consulunt, et tamen eas, sicut et res metaphysicas, parvifaciunt aut damnant. Anatomiam corporis, physiologiam, ethnologiam et varias scientias quæ circa res maximè corporeas occupantur, optime tenent et perficiunt; propter eas altè supercilia attollunt et ex summo cæteros despiciunt. De iis verò quorum nec scientiam nec usum unquam habuerunt, sententiam pronuntiant.

Optandum igitur foret, ut homines illi ea priùs scire inciperent, de quibus sine doctrinâ pronuntiant ac sciscunt. Hæc verò physica et, ut ita dicam, secundi Ordinis, studia, quibus se tradunt, sunt

vini instar, cujus nimius potus, alioquin salubris, non modo gignit morbos, aut enecat bibentem; sed etiam sensum gustûs retundit atque hebetat, ut suavitatem nullam percipere possit; itaque illi qui nimium in observatione rerum sensibilium versantur, omni studio psychologico neglecto, non gustant res metaphysicas; et quando de illis loquuntur aut scribunt, res non exactè uti decet pensitant. Discernere nesciunt actum homini convenientem secundùm partem præstantiorem, videlicet intellectum, et ratione objecti præstantissimi. Non vident contemplationem veritatis primæ homini congenitam esse quatenus ratione induto, et secundùm propriam ejus naturam. Idcircò tam abjectè sentiunt de homine; illum ita demergunt in materiam, ut ejus animus non habeat facultatem emergendi magis quam canis aut jumenti anima.

Hinc oritur crassum et humile anatomistarum, medicorum et aliorum, de anima rationali judicium. Homines illi docent animam rationalem ex elementorum crasi derivari et è potentiâ materiæ educi; cognitionem Dei menti nostræ conantur eripere, et sic nullo pacto augustissimam hujus mentis conditionem atque excellentiam agnoscunt, quâ anima infantis ab animâ canis differt. Humanum genus igitur ad bestias redigunt. Differentiam quamdam essentialem inter hominis et reliquorum animalium naturas admittere recusant. Perfectam pariter homines inter et belluas similitudinem statuunt, nisi quod homini tribuunt facultates bestiales modo quodam quoad evolutionem magis perfectas. Sed juxta ipsos non alia seu non alterius generis est facultas cognitiva homini propria: belluis rationem non secus ac hominibus inesse volunt. Cùm incredibilem in brutis solertiam conspiciant, animam intellectualis cognitionis sive discursûs capacem neque humanæ menti dissimilem ipsis concedunt, ut nullo ferè discrimine ab hominibus distinguantur.

Non est sanè inficiandum bruta principio quodam vitali, sentiendi, appetendi, ac spontè movendi vi prædito animari. Observamus in bestiis, non motus duntaxat, sed ejusmodi motuum adfectiones queis objecta ipsis jucunda, aut molesta ostendant. Canis ad frustum panis advolat avidè, et fugit cum indicio timoris à fuste. Aliæ bestiæ gestibus ac sonis, quos emittunt, signa gaudii, tristitiæ, doloris, timoris, desiderii, iræ, amoris, etc., edunt. Aviculæ pro pullis alimenta conquirunt cum sollicitudine quâdam. Adde varias artes quas tenent, sagacitatem in construendis nidis, quærendis aptandisque foveis ac spelæis, industriam ad comportandam annonam, aliaque sexcenta.

Ex ipsis igitur brutorum actionibus facilè perspicere licet, illa

objecta corporea percipere, sentire atque etiam cum electione quâdam agere; appetere utilia, fugere noxia; curam catulorum gerere; imaginari, recordari, suo modo deliberare; gaudio, tristitiâ, metu affici, impatientiâ exagitari, iracundiâ abripi, injurias ulciscendi cupiditate flagrare, etc. Ita planè facultates organicæ quæ sunt in homine, putà phantasia, appetitus, visus, auditus, etc., reperiuntur etiam in brutis. Sed facultas intelligendi id est contemplandi Verum, quæ est in homine, non reperitur in brutis. Actiones brutorum quæ vim ratiocinandi adumbrare videntur, rectè quidem per expectationem casuum similium à phantasiâ et memoriâ philosophi repetunt Bestiæ prætereà actu innato et hereditario interdum ad sic et non aliter agendum prorsus determinantur, in his quæ pertinent ad actus hujus vel istius speciei. Multa quæ vehementer admiramur in brutis à primigeniâ quâdam hujus actûs innati seu instinctûs dispositione repetenda sunt.

Belluæ itaque habent fermè easdem à rebus externis sensationes quas nos habemus. Quia verò sunt intellectu et ratione destitutæ, intelligibilia, universalia, abstracta et generalia non percipiunt. Brutorum enim actus non arguunt intellectionem universalium, sed quamdam tantùm singularium reminiscentiam; comparationem nempè et æstimationem rerum sensibilium ac proindè individualium. Undè sequitur intellectu, ac proindè ratione et scientiâ, belluas destitutas esse.

Intellectus enim est aspectus quo animus verum indesinenter contemplatur, seu est ipsemet oculus, cujus ope mens veritatem detegit ac intuetur. Cognitio intellectualis versatur circa res universales, quæ nullis locorum aut temporum intervallis prohiberi et coerceri possunt. Cognitiones verò sensibiles, quæ brutis conceduntur, nihil istorum omnium postulant In homine igitur adsunt nobiliores facultates, intellectus nempè et voluntas rationalis, quibus anima nostra apprehendit Ens summum, Bonum universale et maximè perfectum. Harum facultatum usu capaces sumus cognitionis et volitionis rerum intelligibilium et æternarum.

Hæc agnoscerent Medici, Anatomistæ, Chymici et alii, si vellent psychologiæ operam dare; si vellent paulisper inspicere quid sit facultas quæ est veri et falsi disceptatrix, quid sit ista cognitio universalium et intelligibilium, quâ mens humana differt ab animâ bestiali. Constat enim ex psychologiâ, ut in nostris investigationibus enucleatiùs aperuimus, intellectum notrum esse æternæ Rationi seu incommutabili Vero conjunctum. Demonstravimus mentem humanam certè

aliquo modo Ens infinitum intelligere seu tangere, nempè incommutabile Verum, cui necessariò conjungitur, et ad quod nisi in omni actu intellectuali tenderet, nihil prorsus intelligeret.

Huc igitur accedit, humanam mentem, et ratione intellectualis tendentiæ ac necessariæ conjunctionis cum Ente summo, et ratione suî rationalis appetitûs et amoris, qui immensus quodammodo est, immutabili Rationi secundùm æternæ Legis dictamina adstringi. Hâc itaque de causâ homini sunt propriæ et essentiales quædam Dei cognitio et volitio. Atque adeo mirum non est, si humanus animus religioni est præordinatus et prædestinatus.

Quare rectissimè doctus et illustris Quatrefagius, in Musæo Historiæ naturalis Parisiensi professor, hominis à bruto distinctionem in *religiositate* consistere tenet. Hanc sententiam vir ille clarissimus, variis in tractatibus et in concertationibus Societatis Anthropologicæ Parisiensis prodidit, produxit acriterque defendit. Experientiâ et ratione ostendit, eruditè et disertè probavit, *regnum humanum* à *regno bestiali* ipsâmet *religiositate* essentialiter segregari.

Cùm enim insignior animæ nostræ proprietas non sit corpori conjungi, sed immutabili et æternæ Rationi copulari, indè sequitur nos obligari ad subjectionem et honorem Deo exhibendum. Quare de dictamine rationis, naturale est ab homine fiere aliqua ad reverentiam divinam. Eo enim fine hominem Deus condidit rationis lumine donatum, ut Conditori suo cultum idoneum persolveret. Nec etiam sic immemor esse Creatoris suî potuit homo, quamvis turpi infamiâ undequâque opertus, quin vel invitus eò raptus sit, et conscientiâ edoctus, Deum cogitare venerarique quomodocumque assueverit. Si ab exordio genus humanum revocemus juxtaque mundi ætates examinemus, constabit non eodem illud tenore usum, neque eodem ingenio et affectu cultum Numinis exercuisse, sed tamen semper et ubique Deum religiosè esse colendum agnovisse. Hoc dogma confitebantur etiam gentes illæ quæ sensualismo, superstitionis largissimo fonte, laborantes, perversissimas de hujus Entis summi perfectionibus opiniones imbiberant. Evolvantur antiqua rerum monumenta; veritatem hujus sententiæ facilè comprobabunt.

Quare in definitione hominis rectè proprietatem differentialem in religiositate consistere arctè possumus tenere. Religiositas enim implicitè et essentialiter in *rationalitate* comprehenditur. Hinc *animalitas* in duo genera dividi potest, quorum differentiæ sunt *irrationalitas* (Brutum) et *rationalitas* ex quâ fluit *religiositas* (Homo). Rectè ergò doctus judicavit et pronuntiavit Quatrefagius *religiositatem* esse

attributum proprium et genericum quo homo à bruto distinguatur. Ratio tamen religiositatis in ipso intellectu quærenda est, et concedi non debet intellectum seu facultatem quâ universalia. æterna. divina conspicimus esse etiam belluis propriam. Tantum autem abest ut celeberrimo viro contradicere velimus, ut observatio nostra potius ad confirmandam ejus sententiam utilis esse possit.

Quare fateri debemus in hâc re Musæi parisiensis professorem non satis à philosophis adjuvari, quo meliùs contra materialistas prælio certet Quod enim ab extrinseco et inspectione solâ quorumdam actuum externorum Historicus naturalis agnovit, hoc Psychologi debent melius explicare et dilucidius comprobare.

At, sensualistarum hallucinationibus, à vero in hâc re et cæteris quoque maximi momenti quæstionibus abducti fuêre integri philosophantium greges. Hinc plerique etiam nostræ ætatis philosophi vix intellectum se habere suspicantur. Nihil aliud agunt ferè omnes quam philosophiæ fundamenta evertere et in exilium agere. Quàm sinistras plurimi et perversas de mente humanâ foveant opiniones, nemini poterit esse obscurum, qui eruditorum, philosophorum et litteratorum circa hoc negotium opiniones adtenderit. Bibunt ex phialis Kantii aut Hegelii errores exitiales; doctrinam condiscunt Lockii aut Condillacii, variorumque ejusdem notæ scriptorum, qui omnes in exteriori rerum superficie hærent, ad interiora non penetrant, et accommodi prorsus sunt eorum ingenio qui philosophari quidem volunt, sed paucis, et canis instar Nili aquas ligurientis; ingenio eorum, inquam, qui aliquantillum superficie tenus nosse volunt, sed qui principiis quærendis nimium molles animos afferunt. Nonnullos in philosophorum istorum cœtu invenies, qui multa de intellectu scripsisse videntur, et qui tamen nihil aut ferè nihil de nobilissimâ hâc facultate lectoribus suis tradunt.

Horum doctrina parca et jejuna de intellectu ipso, de ejus objecto et de divinâ ipsius Luce, nihil prædicat. Hâc enim nostrâ ætate sensualismus perdurat. Quare mirum non est si variæ ex antiquioribus philosophorum sectæ ex Orco revocatæ sunt. Sensualistarum enim systema menti humanæ nihil præter entia finita pro objecto tribuit. Indè sequitur ideas objectivas, objectum nempè actûs intellectualis esse vel merum nomen, vel quid reale seu physicum, vel mentis phænomenon. Ortum igitur dat sensualismus opiniomibus Nominalium, Realistarum et Conceptualistarum, quæ ad Lockianismum et materialismum, ad Kantismum aut ad Hegelianismum rectà ducunt. Ex istis ergò systematibus scepticismus universalis, materialismus, pan-

theismus subjectivus et pantheismus objectivus à variis renovati sunt.

Nominales affirmant universalia à parte rei esse merum nihil, et non aliud denique nisi *voces*. Itaque ergò Nominales et cum ipsis Condillacii discipuli atque hodierni Pseudotraditionales, censent nos non nisi in vocabulo et per vocabulum, cogitare de Deo. de animâ, de ordine, de justitiâ et de innumeris aliis. quæ imaginari non possunt; ita ut sermo sit omnis nostræ cognitionis intellectualis medium et objectum. Sic impossibilem reddunt actum intellectualem et ipsum intellectum perimunt : sensum tantummodò quo apprehendimus voces retinent; atque ita, ex eorum sententiâ, intellectus non differt à sensu.

Realistæ putarunt universalia per se et formaliter, id est in propriâ naturâ universalitatis, existere *à parte rei*, id est in rebus individualibus. Horum aliqui forsan existimarunt objecta hæc universalia existere in separato ab individiius, seque nobis contemplanda exhibere. Realismus ille imponebatur Platoni, sed perperam. Saltem Platonismus à Patribus receptus admisit quidem universalia existere in separato ab individuis, sed ea in Ente summè perfecto reposuit, et universalia *à parte Dei* agnovit. Realismus verò propriè dictus, realismus in scholâ Peripateticorum acceptus, nunquam potuit explicare quid tandem esset ista natura communis, quam nonnulli confinxerant. nec quo modo sit in se subsistens, si est quid commune pluribus. Itaque Realistæ hujus scholæ tenuerunt universale existere *à parte rei*, id est in rebus finitis seu in individuis. Sicque ideas objectivas seu universalia cum rebus finitis identificarunt. Undè, ut patet, Realistarum istorum doctrina finaliter in Pantheismum objectivum resolvitur. Qui enim potuit melius Spinosæ aut Hegelii impietati præludere? Qui potuit significantiùs unam illam naturæ substantiam, ex quâ, in quâ, ad quam omnia referuntur exprimere?

Conceptualistæ, Psychologistæ seu Intellectualistæ asserunt universalia esse purum mentis conceptum. Verùm quid esset conceptus cui non responderet aliquod objectum? Quare dixerunt nonnulli è scholâ istâ universale habere realitatem in quantum reverà in individuis reperitur, et intelligi in propriâ ratione universalitatis, in quantum per abstractionem mentis denudantur particularia à conditionibus individuantibus. Systema illud est mixtio facta ex duobus præcedentibus erroribus. Supponit nempè universale actuari et inesse in singularibus et tamen in ipsis non habere rationem universalitatis. Hæc verò natura quæ non est universalis in individuis fit una ab intellectu per abstractionem, præcisionem vel aliam quamlibet ope-

rationem. Tenent ergò conceptualistæ universalia non existere in rebus, sed mentem conceptu suo eas generalitates genericas et specificas efformare. Undè non mera nomina essent, sed conceptus mentis. Et reverà certum est universale non esse in individuis; cùm *universale* et *singulare* opponantur. In singularibus non est unitas universalis, quia, hoc ipso, quodlibet singulare esset universale, quod evidenter falsum est.

Idem porrò censendum est de sententiâ quæ supponit *universale per intellectum abstrahi à singularibus, et intellectum facere universalitatem in rebus*. Hâc in hypothesi universale esset in intellectu et per intellectum, ac proindè esset quid singulare, cùm omne existens actu vel potentiâ in mente et ex parte mentis sit singulare : non potest enim unum idemque ens constare attributis se mutuò destruentibus. Species ergò intelligibilis à nescio quo intellectu agente producta, esset quid singulare. Quo itaque posito, intellectus versaretur tantum circa singularia. Attamen intellectus est facultas mentis quæ percipit seu apprehendit ideas generales seu universalia, vel ut rectè ait S. Thomas, præeunte Philosopho : *Intellectus habet operationem circa ens in universali* (1ª q. 79,art. 2.) Constat verò aliundè universalitatem non posse fieri ab intellectu; nam intellectus est potentia singularis, quæ ideò non potest producere nisi singulare, juxta illud : nulla res dat quod ipsa non habet. Intellectus prætereà non magis fabricat objecta intelligibilia, quàm sensus objecta sensibilia. Quando itaque asseverant intellectum fabricare universalia, idem est ac si dicerent sensus nostros creare solem, terram, arbores, et varias res quæ sensibus tanguntur. Intellectus non facit universalia seu intelligibilia; sed objecta illa ab intellectu aliquo modo contrectantur. Objectum enim actûs intellectualis debet hunc actum præcedere. Porrò objectum intellectûs est universale, ut docet Aristoteles (2. *de animâ*, cap. 5.). Ergò et istud debet actum intellectualem præcedere; atque ita dari universale antè operationem intellectûs.

Quomodò insuper ipsa objecta singularia possemus considerare ut universalia? Quomodò in objectis universalibus ab intellectu effectis possemus recognoscere æternitatis, necessitatis, immutabilitatis speciem? Ipsa certè universalia nobis testantur se esse æterna, immutabilia, necessaria. Porrò si non haberent realitatem, nisi in quantum actuantur et subsistunt in singularibus, veræ ipsis æternitatis et immutabilitatis ratio competere non posset; quia ipsis non compete-

ret esse nisi quatenus essent in mentibus humanis seu in rebus, quæ neque æternæ, neque immutabiles, neque necessariæ sunt.

Asserunt prætereà Conceptualistæ species intentionales, quas confingunt, esse qualitates repræsentativas objectorum; et hæc gratis omninò asserunt. Deindè imagines in intellectu ponunt, atque ita pugnantia loquuntur, et quæ nullo modo intelligi possunt, nedum explicari.

Quod verò Recentiores nonnulli censent, ex ideis seu imaginibus quæ sensuum adjumento comparantur, elici posse objectum universale, in levi habendum est. Sunt enim verba inania. Si enim ita esset, nihil aliud mens faceret quam vel conjungere vel separare ideas seu imagines quas sensibus accipit. Cùmque per sensus non habeantur ideæ universales, conjungere vel separare non possemus nisi ideas et imagines singulares. Hàc igitur ratione multa objecta individualia, objectorum individualium silvam mens sibi compararet, ideam collectivam haberet; nullo modo ex istâ conglobatione objectum universale elicere posset. Quod si mens talem virtutem haberet, certè crearet objectum universale, cujus anteà in sensationibus aut imaginibus quas sensibus adquisiverat, nihil simile erat: mens nostra aliquid crearet ex nihilo; quam virtutem nemo sanus homini concedet.

Ergò ex Conceptualistarum seu Intellectualistarum systemate sequeretur quoque intellectum pro objecto habere facta individua à mente ipsâ in mente effecta et procreata. Hujus scholæ philosophi principium et objectum cognitionis intellectualis ponunt sensum factorum quæ in animo fiunt. In hoc systemate omnes ideæ universales, objecta ipsa universalia, non sunt nisi quædam animi modificationes, vel objecta à mente conficta seu fabricata. Undè colligitur intellectum à sensu intimo non differre. Facta enim animi interna ad ordinem sensibilium (sensus intimi) pertinent et non ad ordinem intelligibilium.

Quare Conceptualistæ et Kantiani, qui idem tenent, necesse habent negare realitatem objectivam idearum seu intelligibilium. Undè et scepticismum universalem instaurant, cùm homo nesciat utrum reverà existant extrà se quæ intelligit, et ità existant quemadmodum ipse ea concipit; ideoque admittere conantur philosophi illi intellectûs objecta includere necessitatem subjectivam tantùm et non objectivam. Ex istis prætereà scholis Conceptualistarum et Kantistarum fluit etiam pantheismus subjectivus; cùm realitatem universalium seu objectorum æternorum cum mente confundant.

Ad summam, juxtà Conceptualistarum systema, operatio intellectiva non ab objecto extrà ipsam existente terminaretur, sed à propriis modificat.ombus, vel ab objectis intus existentibus. Porrò logicè fœcundatur error ille, et sequitur indè mentem nonnisi proprias interiores modificationes, vel res existentes in seipsâ intelligere (subjectivismus); non esse legitimum transitum de subjecto cognoscente ad rem cognitam extrà existentem (idealismus); omnia, quæ videntur esse, non esse nisi quasdam evolutiones atque modificationes proprii *ego* cogitantis pantheismus idealisticus); omnia denique pertinentia ad ordinem intelligibilem, seu ad metaphysicam atque ad theologiam ipsam, non esse nisi quædam animi vana figmenta (materialismus).

Undè satis constat theologiam non tantùm nihil ex istis sensualistarum systematibus lucrari, sed etiam magnum capere detrimentum. Processus ipse Conceptualistarum, qui incipit à factis sensûs intimi et phantasiæ, ad cognitionem Dei non potest attingere. Modus enim iste procedendi non potest cognitionem Entis infiniti, necessarii et absoluti, cæterarumque veritatum intelligibilium, universalium, deducere à sensu factorum internorum. Hæc facta sunt finita. Porrò si mens finitum duntaxat apprehenderet, nullo modo posset Infinitum cognoscere. Dei prætereà idea objectiva esset animæ modificatio quædam, vel objectum quoddam ab imaginatione fabricatum. Sic v. g, homines sibi repræsentare possunt Deum hominis instar grandævi, cùm Ens illud summum conantur repræsentare in phantasmate. Sed quomodo Ens illud infinitum intellectui seu in ideâ purâ repræsentare poterunt? Nulla ratione, nullâ arte, nullâ machinatione intermediaristæ ideam Dei possent obtinere. Quare Athei hanc doctrinam intermediaristarum pro suâ agnoscunt. Si enim verum est quod supponunt Sensualistæ omnes, nempè immediatè nihil posse nisi finitum intellectu percipi, corruunt argumenta quibus demonstrari potest existentia Dei. Deus enim non demonstratur nisi monstretur. Porrò Deus solus potest se, per præsentiam suam, menti humanæ monstrare et demonstrare.

Sanè ex creaturis possumus existentiam Dei demonstrare; sed id possumus quia jam præcognoscimus seu mente præcontrectamus Ens infinitum; seu, quod idem est, quia se nobis Deus præostendit. Antequam enim probem Deum esse hujus universi opificem et auctorem, scire debeo esse aliquod Ens infinitâ sapientiâ præditum et à rebus creatis essentialiter distinctum. Deus non agnoscitur ut Causa prima et suprema, nisi quia priùs cognoscitur ut Ens summum. Hæc autem

scio cognitione explicità et evolutâ perceptionis innatæ et immediatæ quâ Ens illud intellectu percipio. Hinc ergò Deum esse demonstramus ex creaturis, quia habemus intellectum, facultatem nempè quæ cognitione Dei ut Entis summi constituitur; et quia mente jam tenemus duas ideas syllogismi, ideas objectivas Dei et creaturæ. Eâ ratione institui potest comparatio inter rem finitam et Deum, et argumento inferri rem finitam à Deo fuisse creatam. Relativa enim simul cognosci necesse est. Oportet prætereà cognoscere rerum universitatem esse finitam seu non esse infinitam; quod cognosci non potest nisi habeatur prævia Entis infiniti cognitio. Ad hunc itaque modum cognitâ creaturâ possumus in Ente summo explicitè percipere attributum Creatoris; cognito finito possumus attributo infinitatis reflexè et expressè attendere, sicut et cognitâ extensione ideam immensitatis apprehendere; sic etiam et notio temporis seu rei fluxæ nos inducit, ut in Ente summè perfecto attributum æternitatis præcisè intueamur, etc. Hâc igitur ratione cognitio creaturæ inservit ad explicandam et evolvendam cognitionem Dei. Hoc modo ad Deum naturâ duce vehimur. Quod rectè animadvertit Apostolus dicens : *Invisibilia ipsius* (Dei), *à creaturâ mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur : sempiterna quoque ejus virtus et divinitas* (ad Rom. cap. I, 20).

Operationes verò hujusmodi supponunt jam in nobis præviam esse aliquam Entis summi seu Dei notitiam. Hanc supremi Numinis agnitionem, intimis hominum pectoribus ab ipsâ naturâ insculptam esse, deprehendimus ex ideâ mentis humanæ et ex sensu intimo. Quam cognitionem naturalem si non admittis, Deum è mente tollis. Quare sensualismus apprimè conformis est primæ Atheorum assertioni, qui divinum Numen nihil nisi commentum aliquod vanum ac chimæricum arbitrantur.

En egregiam Conceptualistarum, uno verbo omnium Sensualistarum philosophiam! Non mirum si evanescunt plerumque philosophi illi in cogitationibus suis; id est si non se affligunt in Deum, sed sensibilibus rebus subsident et ad creaturas sese submittunt. Imò suo systemate innixi animam suam explere necesse habent rebus quæ nullo modo explere queunt desideria sua : si constent sibi Sensualistæ appetitionibus vanis et futilibus distringuntur.

In sensualismo igitur, hoc est perversâ de intellectu opinione, omnis ferè latet error; semina mendaciorum innumerabilium systema illud in pectore fovet. Infelici tamen hoc errorum lolio scriptores hodierni multi agrum philosophicum universumque genus

humanum, eheu! nimis copiosè conseminaverunt. Neglecto Deo et posthabitâ ejus agnitione, uti in omne nefas, sic et per omnis erroris declive præcipites ruunt, in materialismum scilicet et in pantheismum tum subjectivum tum objectivum, id est in systemata longissimum errorum atque scelerum syrma secum trahentia.

Hujus autem sensualismi origo atque scaturigo est, ut patet, defectus debitæ attentionis ad naturam intellectûs humani et ad cognitionem Dei quæ huic intellectui est essentialis. Initio facto à malè conceptâ intellectûs naturâ, in profundum errorum et mendaciorum gurgitem philosophia hæc sensualis homines præcipitat.

Quæ quoniam Peripatetici non animadverterunt, tam perturbatè psychologiam tradiderunt. Aristoteles enim quæstiones non paucas, quæ ad naturam intellectûs pertinent et quæ accuratius examen merentur, sicco, quod dicitur, pede transiit. Divina parum attendens, nec assurgens, terrenis hæsit; intellectum à phantasiâ non satis distinxit; ad speculanda phantasmata mentem constrictam esse judicavit, et errata protulit, quæ nonnullas philosophiæ scholas huc usque deceperunt.

Neoperipatetici christiani, fateor equidem, principiis sensualistarum illigare conantur philosophiæ spiritualistæ consequentias. Hæc verò facilè patet non benè conciliari neque inter se consentire. Clamant sane theologi hujus scholæ se exsecrari blasphemias quæ ex sensualismo apprimè manant; et reverà hujusce systematis conclusiones abs se removent. Verùm quomodo se ab illis alienos esse demonstrare aut persuadere poterunt, cùm suæ sectæ philosophicæ præcipua fundamenta principiis sensualismi fulta, ex iis texta aut deducta, sibi atque eruditis obtrudant, et juventuti propinent. In foro philosophico Sensualistarum doctrinæ toto animo incumbunt; res finitas considerant tanquam carceres, in quibus homines pro arbitratu suo circumscribunt; admittere nolunt in mentis penetralibus Lucem Dei fulgere æternam; et sic ipsius theologiæ fundamenta, invitè quidem, fateor, sed tamen verè, convellere et stirpitùs eradicare moliuntur. Quomodo tunc mirum sit, quod theologi surdis, ut plurimum, concinant de Deo doctrinam, et indefesso labore exhausti oleum et operam perdant.

Tam caducum prætereà, tam variabile fundamentum rationi assignant omnis generis Sensualistæ, ut neque certa haberi possit justi et injusti, boni et mali moralis cognitio. Quod tanto magis deplorare licet, quod non oporteret vires infringere philosophiæ, præsertim hoc tempore quo innumeri sunt homines quibus deest scientia Dei,

scientia Legis, et qui sophistices sensualisticæ usu, omnem religionem funditùs tollere summis viribus, et omnibus ingenii nervis, giganteâ quâdam audaciâ conantur.

Attamen qui spontè in animis hominum pullulat, tristem sensualismum omni modo irrigarunt et auxerunt multi philosophi. Quibus verò hæc culpa, nisi theologis nonnullis, est imponenda, qui primum ab hoc vitio sibi cavere, et dein philosophos ipsos hominesque omnes concitare ad notitiam Dei ejusque perfectionum vividiorem, non modò adquirendam, sed et quotidiè magis magisque amplificandam, debuissent? Videant, videant, ne sibi dictum à Domino fuerit: *Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes* (Matt. XXIII, 24). Super quæ verba Doctor mellifluus hæc ad illos prædicatores dicit pertinere *qui majora prætermittentes, minora discutiunt.* Si verò taliter à Christo increpentur doctores qui majora prætermittunt, quanto magis qui ipsa ad religionem prorsus necessaria neglexerint. A principio, per doctrinas sensualistarum, homines excæcare aggrediuntur theologi isti. Quid ergò mirantur quod Christum non accipiant, cùm neque Deum agnoscant, aut saltem ejus existentiam sibi scientificè probare non possint? Quid conqueruntur totum mundum in maligno positum, ut Joannes deplorabat. Verificatur et de hoc sæculo nostro, quod prædicebat Baruch: *Et quoniam non habuerunt sapientiam, interierunt propter suam insipientiam* (Cap. III, 28). De doctoribus enim istis dici potest: *Ambulant ut cæci* (Sophon. Cap. I, 17). A simplici veritate mentem avertunt, et ad fabulas, aliasque ineptas inventiones hominum convertuntur. Undè justè Deus conqueri potest: Magis eos peccare contrà ipsum, qui nunc dicuntur sapientes. Dedit enim eis sensum et intellectum et sapientiam, ut Eum agnoscerent, diligerent et defenderent; sed ipsi nisi ad suam utilitatem temporalem intelligunt. Oculos habent in occipite; videntes sunt ad sua delectabilia et terrestria bona.

Si causam igitur horum malorum qui orbem christianum turbant, desideres, Oseam attende: *Non est scientia Dei*, inquit, *in terrâ* (Cap. IV, 1). Videntur ideò homines permulti Deo dixisse, si non verbo, at certè, quod pejus est, facto: *Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus* (Job. XXI, 14). Homines quoque illos *cadentes quasi folium* et *iniquitatibus quasi vento ablatos* videbat Isaias, qui hujus rei rationem planiùs subinferens, dicebat: *Non est qui invocet nomen tuum* (Domine) *quique consurgat et teneat Te* (Cap. LXIV, 6, 7). Ad iniquitatum generis humani fontem æquè recurrens Apostolus, ex Psalmo trigesimo quinto versiculum adaptat peccatoribus: *Non est*

timor Dei antè oculos eorum (ad Rom. Cap. III, 18). Quemadmodum enim *timor Domini* rectè *initium* dicitur sapientiæ justorum; sic stultitiæ ac perversitatis improborum initium est sapientiæ istius carentia. Et rectè dicunt Apostolus et Psaltes : *ante oculos eorum;* ut hominem animalem utique discernant ab homine spirituali qui scientiam Dei reflexam et actuosam tenet. Justorum timor reverà antè oculos est, quia assiduè Judicis districti in supplicia sententiam effugere statuentes, à malo declinant.

Fontes mali deteximus; causam præcipuam adduximus, quæ homines à religione avertit. Tanto itaque malo si obviam ire velimus, conandum est, ut quisque sibi dicat, quod mater filiorum Machabæorum dixit filio : *Peto, nate, ut cœlum aspicias,* etc. (Mac. VII, 28). Quod si facerent homines, non adeò vecordes ad bonum agendum, nec adeò debiles ad malum perferendum essent. Facile est enim remedium suppeditare, quod morbo huic, si non sanando, minuendo tamen inservire potest.

Ut sopor enim ille lethargicus, à Sensualismo inductus, excutiatur, antè omnia necesse est ut vivâ summi Numinis æternique Judicis cognitione homines percellantur. Frustrà enim hos Christianos reddere contendes, nisi priùs veri nominis homines efficiantur, id est nisi remedium illud adhibeas, quod summus Medicus nobis contulit ad morbum materialismi pellendum, ad effugiendam luem, quam in nobis conversatio terrena producere solet. Origo mali in hoc est, quod nemo sit qui *recogitet corde*. Indè conficitur mentem assiduè esse consulendam et sedulò examinandam. Hâc exploratione discemus invenire in animâ nostrâ intellectum, seu perceptionem Entis summi. Agnoscemus nos non posse cogitare, nisi habeamus quamdam perceptionem Dei; Deum nobis esse necessarium, ut possimus nos movere intellectualiter : ita ut Deus non possit intellectualiter negari, quin eo ipso affirmetur. Constat enim ex psychologiâ omnes operationes intellectûs præsupponere Dei notitiam quamdam naturalem; mentem humanam alligari rebus metaphysicis, rationibus æternis, atque adeò neminem posse dicere : « Quæ suprà nos nihil ad nos. » Philosophia certè docet Deum esse menti nostræ conjunctum; Deum esse lucem intelligibilem, quæ oculo intellectuali est tam necessaria ad intelligendum quàm lumen sensibile oculo corporeo ad sensibilia perspicienda. *Non enim,* ait Augustinus, *fecit* (Deus animas et potentias) *atque abiit, sed ex illo in illo sunt. Ecce ubi est, ubi sapit veritas, intimus cordi est* (Lib. IV, Confess. Cap. 12.)

A Sensualistarum ergò insidiis caveamus; declinemus à doctoribus illis qui negant in animabus nostris fulgere Lucem Dei æternam

rerum omnium rationibus ideisque plenissimam, ad quam mens, quando vult ratiocinari, convertitur. Sensualismum ejuret præjudicatis opinionibus occupata gens, quæ in ipsissimâ Lucis die cæcutit, et *oculis videns, non videt* (Isai. VI, 9). *Dic*, ô Peripapetice, dic. ô Sensualista, *quia tu tibi lumen non es. Ut multum, oculus es, lumen non es. Quid prodest patens et sanus oculus, si lumen desit? Ergò dic, à te tibi lumen non esse; et clama quod scriptum est : Tu illuminabis lucernam meam, Domine* (Ps. 17, 19) : *lumine tuo, Domine, illuminabis tenebras meas. Meæ enim nihil, tu autem lumen fugans tenebras, illuminans me : non à me mihi lumen existens, sed lumen non participans nisi in te* (Aug. Serm. LXVII. *de Verbis Dom.*). Philosophis aurem præbeas, qui hanc veritatem prædicarunt et quibus assentabatur S. Augustinus dicens : *Hi verò quos meritò cæteris anteponimus, discreverunt ea quæ mente conspiciuntur, ab iis quæ sensibus attinguntur : nec sensibus adimentes quod possunt : nec eis dantes ultrà quam possunt. Lumen autem mentium esse dixerunt ad discenda omnia, eumdem ipsum Deum à quo facta sunt omnia* (Lib. VIII, *de Civ. Dei*, Cap. 7).

Interim ergò, Lectores carissimi, repellite ab auribus vestris omnem disputatorem, scriptorem, susurratorem qui negat Deum illuminare mentes nostras. Eia, audite, intelligite, discernite, inhærete veritati, resistite falsitati. Illuminandi sumus, non lumen sumus. Expergiscere, quisquis hæc legis, clama mecum: *Dominus illuminatio mea*. Quid est ergò quod dicis : ego non video Deum ? Luce divinâ illustraris; et quia non potes tibi lucere, accedendo Luce illuminaris, recedendo tenebraris : quia non tibi lumen tu ipse es, aliundè illuminaris : *Accedite ad Eum, et illuminamini* (Psalm. 33). Deus enim, quà Ens summum, quà incommutabile Verum, intelligibiliter lucet menti tuæ; in ipso omnia intelligis, et sine ipso nihil intelligis.

Agnoscatis ergò, Lectores humanissimi, in hoc manifestè errare Conceptualistas et Kantistas, Realistas et Hegelianos, Nominales et Pseudo-traditionales, qui omnes in carcere rerum finitarum mentes nostras includere et cohibere satagunt. Platonicos sequimini, qui peroptimè demonstrant ideas objectivas, objectum nempè actûs intellectualis non esse *nomen*, nec quid *reale* seu *physicum*, nec *conceptum*, aut mentis *phænomenon;* sed esse reverà *metaphysicam* quamdam *essentiam*. Cum Platone teneamus universalia, ut aiunt, ideas objectivas, species intelligibiles, νοητὰς, à materiâ semotas, et in mente divinâ ἀειγενεῖς, ἀνυποστάτους, ἀμετέκτους, ἀΰλους existere et creatarum rerum exemplares esse. Philosophiam amplectamur et in vulgus spargamus, quæ docet universalia non esse aliquid subjectivi, sed

aliquid verè objectivi et divini ; objecta nempè æterna, immutabilia, quæ ideò non nisi in Deo, luce mentium, à nobis conspici possunt.

Hæ propositiones porrò quoddam systema faciunt, quod, si respicimus argumentum, *Ontologismum* rectè fuit nuncupatum. Cùm enim ejusmodi systematis argumentum sit de Ente summo ut mentium Luce disputare, vocatur Ontologismus (ab ὄντος et λόγος), quasi dicas : *scientia de Ente* : namque ὄν seu potius Ὤν (ὄντος) Græcis idem sonat quod Latinis philosophis *Ens*. Quo nomine Ens divinum, Ens summum, Ens simpliciter intelligunt Ontologistæ, Ens nempè illud quod solus verè, id est absolutè, EST.

Hoc systema Sancti Augustinus, Anselmus et Bonaventura perfecerunt, atque mirandum in modum amplificarunt. Illud quoque demonstrarunt, rerum magis quàm verborum testimoniis, tot viri præclari, quot, indè à renatis disciplinis, decimo septimo in primis sæculo et vicino, facti quasi agmine, huic negotio, nobilissimo certè, oleum et operam suam diligentissimè addixerunt. Inter quos eminent Malebranchius, Leibnizius, Bossuetius, Fenelonius, P. André (Yvo) è societate Jesu, P. Martinus (Andreas) congregationis Oratorii presbyter ac Gerdilius.

Acuti quoque philosophi et præsenti sæculo, Illustrissimi DD. Maret, episcopus Surensis, Baudry, episcopus Petrocorius, Fania, episcopus Potentinus ; RR. PP. Pani, Vercellone, Milone, è congregatione Barnabitarum, Victor Mazzini, O. M., Ubaghs, lovaniensis professor, D. Branchereau, Seminarii Aurelianensis rector, et apud Societatis Jesu sodales P. Joannes Martin, argumentum Platonico-Augustinianum propugnarunt. Innumeri præterea ex eadem Societate Jesu professores et concionatores quos enumerare longum foret, Ontologismum docuerunt, confirmârunt et etiamnum tenent. Perspectè agnoverunt philosophi illi doctissimi experientiâ constare, homines ex hâc vivaci supremi Numinis, rerumque æternarum demonstratione, ad veræ religionis investigandæ desiderium vehementer incitari. Cùm enim systema illud hoc quidem præcipuè salubre et frugiferum habeat, quod, naturam mentis patefaciens, in ipso intellectu nostro invenimus testimonium Dei conjunctissimum, faciliùs patet quomodo possit homo terras, aliquâ ex parte, relinquere, cœlos intrare, convivere Deo, cum Deo miscere colloquia, quod desiderat postulare, ut gratiâ adjutus gratiam Dei per orationem obtineat. Rectius sanè ex illo systemate intelligimus, quomodo possimus dicere cum regio Prophetâ : *Oculi mei semper ad Dominum* (Psalm. XXIV, 15).

Egregia profectò sunt, quæ de conjunctione mentis humanæ cum Ente summo observarunt viri illi eruditissimi. Quin et ipse ego, quæ ad rei summam atque nervum pertinent, alibi, satis jam enarravi (1). Hoc enim à juventâ meâ semper operæ mihi fuit, ut philosophicæ veritatis, diversè contendentium studio appetitæ, defensionem quam fieri potuit accuratissimam susciperem, quò immediata Dei cognitio, arx illa et basis religionis naturalis ac totius philosophiæ, adversus quorumlibet insultus, serta tectaque et immota perstaret. Ut verò inventis facile est aliquid addere, ita et nobis evenit, ut aliorum admonitione adjuti nonnulla detexerimus, quæ forsitan ad rem hanc clarius perspiciendam haud inutilia futura sunt. Doctrinam ergò sancti Augustini quam Platonismum Christianum seu Ontologismum vocamus, defendere mihi præstitui. Omnia insuper argumenta, quæ ex ratione, ex Patribus aut etiam ex sacrâ Scripturâ, pro peripatetismo corradunt nonnulli, quasi ex professo discussimus peculiaribus Dissertationibus sub rubricâ : *Défense de l'Ontologisme* (1862), et : *Réponse aux lettres d'un sensualiste* (1864).

Attamen cùm hodieque inveniatur in scholis ea gens quæ pro Peripateticorum aut Sensualistarum phantasmatibus continuò depræ-lietur, et contra Dei intellectionem menti humanæ propriam debellet, refutationem alteram iisdem opponendam esse nonnulli forsan censent. Ad quam tamen sufficit reponere responsiones, quas jamdudum feci, et quibus nihil Neoperipatetici potuerunt respondere : has refutationes ideò silentio prætereunt. Perlegendo *Cursum philosophiæ* et opuscula de quibus jam dixi, quisque vir intelligens facilè irritos illos et vanos Neoperipateticorum conatus repudiare poterit.

Loco igitur specialis refutationis, quam fortassè in vulgus posteriùs emittam, en libellum alterum : opus videlicet P. Juvenalis Annaniensis, doctissimi viri, adfero. Ontologismi seu philosophiæ Platonico-Augustinianæ defensionem, vobis, Lectores ornatissimi, in præsentiâ damus; edimus lepidum scriptum, quod vir eruditione præcellens aridâ pumice expolivit, et quibusvis philosophiæ studiosis hominibus, ad instructionem atque consolationem, piè et curiosè concinnavit. Pugilem fortissimum et invictissimum adversus Sensualistas deteximus; pugnatorem invenimus, qui pro Ontologismi dogmatibus adeò copiosè, solidè, eruditè scripsit, et cùm rationis tum auctoritatis armis, adversarios qui agmen nostrum carpunt,

(1) *Cours de Philosophie ou Nouvelle exposition des principes de cette science*, 1863, 1867.

compescit. Si enim omnia, quæ Annaniensis de *Luce* scripto tradidit, adhibitâ dignâ mentis attentione perpendamus, eaque conferamus cum iis, quæ Augustinus, Bonaventura, Bossuetius, Fenelonius, Malebranchius, Gerdilius attulerunt, facilè patebit eumdem ubique scopum ab illo intentum esse. Annaniensis liber lucem adspexit Augustæ Vindelicorum (Augsburg), anno 1686. Non liquet nec ullâ ratione constat hunc Capucinorum philosophum legisse opus quod Malebranchius (annis 1673-1675) typis mandaverat, et cui titulus : *De la Recherche de la vérité*. Sed certè scholæ sancti Bonaventuræ addictus erat ; ubicumque ex Bonaventurâ sapit, qui philosophiam Platonico-Augustinianam doctè, expressè et perspicuè in *Itinerario mentis in Deum* exposuit (1). Huic scholæ deditus erat quoque Valerianus Magnus ex Capucinorum familiâ qui scripsit opusculum : *De luce mentium et ejus imagine* (Romæ, 1642) ; cui libellulo alludit Annaniensis f. 175, num. 184, et f. 181, num. 19 et 20.

Cæterùm Juvenalis Annaniensis librum conscripsit methodo philosophicâ elaboratum, scientiâ, eruditione, judicio et ædificandi studio præpollentem, et qui præ multis lectori usui esse potest. Hoc in opere proponuntur solida, acutaque ratiocinatione ex evidentibus notissimisque principiis deducta ; atque ita ut Spiritualismi hostes in angustias compellantur. Argutè argumentatur hujus disquisitionis Auctor, strenuè impugnat, eruditè probat, adversæ sententiæ scrutatur viscera, incidit nervos, objecta dilucidè dissolvit.

Juvenali compedes nonnunquam impingunt doctrinæ peripateticæ in scholis tunc temporis vulgatæ. Mediæ enim ætatis theologi Aristotelismo nonnullos textus sacræ Scripturæ accommodaverant ; et inveniebantur theologi multi, qui istas accommodationes seu interpretationes textûs biblici quasi ad sacram doctrinam pertinentes asserebant. In hunc modum systema terræ quiescentis et solis circa terram moti Revelationi divinæ tribuebant. Ac proindè ex verbis Scripturæ concludebant pro motu solis et quiete terræ ; atque ita sententiam voluerunt Scripturarum esse, quæ Ptolemaica et Aristotelica tantùm erat. Nostris diebus hæc eadem Scriptura ex ipsâ Scripturâ explanatur seu interpretatur, et facilè agnoscunt theologi Revelationi divinæ contrarium seu repugnans non esse systema asse-

(1) Nondum quidem productum fuerat in lucem hujus seraphici Doctoris opusculum, in quo ex professo perhibetur Ontologismi theoria, opusculum videlicet cujus epigraphe hæc est : *Quæstio anecdota S. Bonaventuræ : An rationes æternæ sint rationes cognoscendi in omni certitudinali cognitione.* Videsis libellum anno 1874 editum, sub hoc rubro : *Ratio novæ collectionis operum omnium seraphici Ecclesiæ doctoris Bonaventuræ*, p. 229 et seq.

tum terræ, alterius instar planetæ primarii gyrantis circa so-

nminò rectè processerunt Peripatetici nonnulli in interpre-
liquos textus Scripturarum, qui loquuntur de visione Dei *si-*
n se, *de intellectione invisibiliorum Dei per ea quæ facta sunt,*
tione quam de Deo habemus nunc tanquam *in speculo, ex*
tc. Explanationes locorum illorum sacri Textûs in scholis
admittit Juvenalis Annaniensis; et nihilominus semper et
ıcriter tenet nos Deum ipsum immediatè videre. Profitetur
n intueri per creaturas et in creaturis, ita tamen ut in rebus
eus ipse immediatè intelligatur seu mente humanâ perspi-
ısseverat certè nos ipsum Deum non videre *ut in se est,* sed
docet nos Illum intelligere seu intueri *ut in altero,* id est
turam et in creaturâ, sive, ut loquitur S. Bonaventura, ut
ulum, et ut in speculo (Vide quæ dicit Juvenalis, f. 63, num.
et seq.; f. 343, 344 et 345). Peroptimè agnovit vir ille
os non cognoscere nunc Deum *ut in se est,* sed duntaxat *ut*
, id est quatenus in speculo creaturarum aliquo modo
ır et relucet. Cùm enim Deus aliquo modo insit per
n, præsentiam et potentiam in omni re creatâ, Eum in
usmodi possumus conspicere. Hâc ratione Deum cognosci-
creaturis : ita tamen ut Deum et creaturam simul intueamur.
t prætereà acutus ille philosophus Deum inesse per essen-
esentiam et omnipotentiam in actu rationali velut æternam
ı, et sic videri non *ut est in se,* sed *sub hoc solo extrinseco*
o, quatenus nempè est terminus actus intellectualis. Hæc
s verba : *Si ergo actus rationalis essentialiter pendet à re*
et ut sic eamdem essentialiter respicit, non poterit cognosci,
e videri, nisi et simul videatur id, à quo essentialiter depen-
ut in se est, sed præcisè ut est in altero, sive præcisè quoad
um, quod sit aliquid essentialiter prærequisitum ab actu ra-
ol. 344).
itaque intuemur non ut est in se, unus et Trinus, Pater,
Spiritus Sanctus; sed ut adest in speculo mentis, hoc sensu
quod non possumus mentem nostram videre, quin ipsam
s Deo conjunctam, ac proindè quin videamus Deum prout est
, id est Deum quà Ens summum, Ens summè perfectum,
ıliciter et summum Bonum (1).

ipsemet verba feci in opusculis supra memoratis (*Défense de l'Ontologisme,* et

Detur nunc hæc venia, ut enarrem quomodo mihi sese obtulerit præstans hoc Annaniensis opus.

Jam plus quam triginta elapsi anni sunt, cùm incidit in manus meas hujus theologi egregius liber : annus agebatur instantis sæculi XLVII, cùm ex Capucinorum bibliothecâ, quæ Œniponte (Innsbruck) adstat, nactus sum quoddam hujus operis exemplar. Manuductione P. Tuzer, Œnipontani cœnobii Guardiani, bibliothecam illam lustrabam ; cùm oculis conjectis, ut fit perreptando, in subjectos libros, in opus Juvenalis Annaniensis incidi cujus inscriptio hæc est : *Solis intelligentiæ lumen indeficiens*, etc. (1). Statim eum librum me obvium habere conjeci, qui ex materiæ dignitate adtentionem mereretur.

Quapropter illum avidissimè in manus sumpsi; circumspexi attentè aliquas paginas, et dein petii ut mihi octo diebus duntaxat commodaretur verè aureus et peracutus ille libellus. Aderat verò tunc præfinitum tempus quo exercitiis spiritualibus, annuâ vice obeundis, per octo dies soleo vacare. Existimavi itaque tempus meditationi et secessioni tribuendum, non posse melius impendi, quàm in perlectione hujus libri, qui statim antè oculos ponit ultimum hominis finem, atque æternarum rerum desiderium et Dei amorem in nobis perdoctè et piè excitat. Et reverà me hoc libro non parum adjutum fuisse profiteor. Sentiebam animam meam mirâ quâdam dulcedine adfici. Ideoque non potui non impensè lætari, cùm viderem virum plurimum reverendum hanc operam suscepisse (2).

Réponse aux lettres d'un Sensualiste). Quæ omnia in posterum, si vita et vires suppetent, evolvemus et comprobabimus in duabus Dissertationibus, quarum titulus erit : *De multiplici sensu vocis essentiæ in Divinis*, et : *De multiplici cognitione quâ mens humana Deum tangit vel tangere potest.*

(1) Titulus operis sic exhibetur :

SOLIS INTELLIGENTIÆ, *cui non succedit nox*, LUMEN INDEFICIENS AC INEXTINGUIBILE, *illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, seu* IMMEDIATUM CHRISTI CRUCIFIXI INTERNUM MAGISTERIUM, *quo Veritas immutabilis omnes intus docet sine strepitu verborum, per sanam doctrinam, à Veritate auditum non avertentem*

(2) Hujus philosophi nomen, nostris fortassè incognitum, aliquam tamen admirationem parere meretur. Juvenalis enim Annaniensis, familiæ Francisci alumnus, haud ignobile inter theologos seculi XVII nomen consequutus est. Cujus licet isto tempore eruditionis atque sanctitatis opinio maxima fuerit, et scripta vir diligens et haud obesæ naris reliquerit, suprà coætaneorum multorum inficetias assurgentia, adeò tamen obscura curtaque est ejus in annalibus historia, ut, quod indignamur, philosophicarum rerum scriptores, nescio quâ incuriâ vel litterarum contemptu, ejus planè nomen ignorent atque reticeant. Forsan nonnullis displicuit pietatis facies quam in fronte libri Annaniensis expressit et Christi imago quam ibidem depinxit; et ideò ex titulo opus philosophicum in theologorum et mysticorum catalogo reponendum esse censuerunt. At scriptores illos hunc librum non

Multa enim sunt quæ mihi in hâc dissertatione admodùm placuerunt, sed potissimum mirâ cum voluptate eam legi, quia rerum divi-

perlegisse, indè patet, quòd tantummodò et ex toto philosophiam Platonicorum more Annaniensis exponit, ut videri potest etiam superficiariâ evolutione et perlustratione.

Multa veritatis testimonia in hoc libro inveniet lector attentus et alienus à sectæ studio; undè Juvenalem Annaniensem inter stellas primæ magnitudinis in isto cœlo splendore pleno, quæ seculo XVII lucem philosophicam recluserunt, collocare non dubitamus. Qui scriptum viri hujus diserti et pii curatius evolverit, ingenii pulchritudinem deprehendet, et judicium humani animi recessus probè explorans, demirabitur. Cæterùm testimonium operis est ipsum opus.

Nonnulla præterea de hujus philosophi vitâ commemorare in votis fuisset. Verùm amplioribus memoriis destituti brevi scriptiunculâ tantùm ejus memoria ab oblivione vindicabimus.

Nomen gessit, more ejus ætatis, à patriâ, vocatur enim Juvenalis Annaniensis, suppresso nomine proprio. Nec quibus parentibus, quâve familiâ ortus sit, ulla nobis enasci suspicio potuit. Quod non valdè mirabuntur, qui cogitant, ascetarum consuetudinem, quâ, regulæ sacræ se tradentes, novum Ordinis nomen adsciscere solent, hanc nobis notitiam omnem eripuisse. Eædem, uti conjicimus, rationes nativitatis tempus nobis reticent. Mortis tempus etiam ignoramus. Quo tempore sacræ se Francisci militiæ addixerit, et quibus annis inter Minores fratres vivere inceperit nullâ certitudine à nobis definiri potest. Claruisse quidem seculo XVII, atque eruditionis et pietatis laude apud Tyrolenses vixisse, constat. Quæ de moribus ejus ad nos pervenerunt, reperimus in *Bibliotheca scriptorum*, quam F. Bernardus à Bononiâ ejusdem Franciscanæ religionis sodalis consarcinavit. Ibidem offendimus etiam indicem librorum quos Juvenalis conscripsit. Hæc sunt Fr. Bernardi verba :

« Juvenalis Annaniensis, in Tyrolensi Provinciâ vir omni acceptione dignus, omnique exceptione major. Quippe qui vel a primâ juventute ad ultimam usque senectam tantâ semper suprà ætatem proficiebat pietate, sapientiâ et gratiâ apud Deum et homines, ut omnium officiorum et graduum apicem attigerit, et sine querelâ conversatus fuerit. Concionator, Magister Novitiorum, Philosophiæ ac Theologiæ Lector, Definitor, quater Provincialis, et Commissarius generalis in Belgio, extoris admirationi et profectui, Fratribus verò stimulo et speculo perfectionis semper affuit. Communi propterea Universitatis Œnipontanæ testimonio etiamnùm personante *Sanctus, vere Doctus, simul atque Humilis* publicè celebratus, et a doctissimis piissimisque viris in consilium persæpe adhibitus. Hoc itaque Auctore in lucem prodiere latino idiomate :

» *Manuductio Neophyti, seu clara et simplex instructio novelli Religiosi*. Augustæ Vind. 1680, in-8° ; — *Necessaria Defensio contra injustum agressorem, nempè contrà libellum Joannis Scheibleri prædicantis in Hassia, nitentis evertere miraculorum veritatem*. Ibid , 1684, in-4° ; — *Solis intelligentiæ lumen indeficiens, seu immediatum Christi crucifixi internum magisterium*. Ibid., in-4°, 1686 ; — *Brevissimus nucleus Theologiæ moralis practicus*. Ibid., in-4° ; — *Artis magnæ sciendi synopsis, seu mentis humanæ fœcundum Commonitorium ad inveniendum et discurrendum, Salisburgi*, 1689, apud. J.-B. Magr., in-4° ; — *Theologia rationalis ad hominem et ex homine, quæ per argumenta naturalia res theologicas pertractat*. Aug. Vind., 1703, in-4° ; — Typis quoque evulgavit piissimi F. Thomæ à Bergomo, laici Capuccini, opera, quæ sub auctoris nomine a nobis recensentur. » (*Bibliotheca Scriptorum Ordinis Minorum S. Franscici Capucinorum retexta et extensa* à F. Bernardo à Bononiâ, ibid. S. Theologiæ lectore Capucino, Venetiis, 1747, in fol. ; ad litteram I, ad calcem).

Quod verò de patriâ Juvenalis tradit *Bibliothea universa Franciscana* (à R. P. F.

narum et humanarum scientiam docet, Sensualismo adversatur, cupiditatum coercendarum refrænandarumque rationem ac modum demonstrat, animum ad virtutis studium præceptis suis institutisque impellit, vitam denique omnem cognitione Dei imbuit. Etenim rem suam feliciter nec minùs doctissimè egerere Auctorem, fatebuntur quotquot Veritatem magis quàm præjudicia institutionis aut factionum sequuntur. Utinam tractentur res philosophicæ talibus semper manibus, talique studio !

Quum verò plures quæstiones, quas in nostro *Cursu philosophiæ* complexi fuimus, Annaniensis pertractaverit et illustraverit, jam abhinc decem circiter annis ejus librum denuò excudendum et publicandum esse statueramus. Itaque illum vobis, Lectores amantissimi, multo antè repræsentassem, nisi me varia remorata fuissent impedimenta. Tardavit in primis hanc novam editionem alicujus exemplaris primæ defectus. Annaniensis scriptum ad manus me non habere magnoperè dolebam. Diù in bibliothecis nostris et apud librarios Parisienses illud frustrà quæsieram. Paucis tandem abhinc mensibus exemplar hujus libri diù desideratum nancisci potui. Nunc itaque haud cunctanter hujus operis participes facio homines qui Deum amant, et ea quæ Dei sunt quærunt.

Nonnulla jam quæ ad hanc novam editionem spectant adverti volumus. Quid ergo editioni huic accesserit paucis exponam. Primò quidem scias, Lector benevole, nos paginas quasdam, nonnullas theses detraxisse, quæ minus ad scopum nostrum faciebant. Harum tamen thesium enunciationes servavimus, quas invenies in libro et in Indice asteriscis seu obelis insignitas. Hoc pacto partem diffusiorem, varia argumenta quæ Annaniensis congesserat, præcipuè capita

Joanne à S. Antonio, 1732) non videtur quadrare his quæ de seipso ipse memorat Juvenalis. Ex istâ enim *Bibliothecâ* comperimus Juvenalem *Alemanum* fuisse. Ipse verò narrat se à parentibus missum fuisse in alienum solum, ut loqui germanicè disceret (p. 112, 8). Ideò eum in provinciâ Tyrolensium meridionali ortum habuisse conjicio.

Juvenalem Annaniensem præterea commendant Dupinus et Genuensis. Consimilia nuperrimè collegit Rev. P. Hurter S. J., quæ excribere et hic adjicere licebit. Ita verba facit : « Juvenalis Annaniensis O. Cap., qui à prima juventute ad ultimam usque senectutem tanta semper supra ætatem proficiebat pietate, sapientia et gratia apud Deum et homines, ut omnium officiorum et graduum apicem attigerit et sine querela conversatus fuerit. Universitatis œnipontanæ testimonio sanctus, verè doctus simul atque humilis publice celebratus est. » *Nomenclator literarius*, etc. (1876), tom. II, fasc. 2 et 3, pag. 675. — Juvenalis lucubrationes non recenset P. Hurter : Ad Bibliothecam verò Fr. Bern. à Bononia lectorem remittit.

quæ in locis Scripturæ ac Patrum percensendis adhibuerat, festinantes prætergressi sumus. Causas cur ea omiserim haud difficilè invenies : ne scilicet in nimiam volumen istud molem excresceret, et ut emptorum crumenæ parceretur. Eâdem de causâ Epistolam dedicatoriam et Prologum omisimus ; Indicem prætereà rerum et verborum reliquimus, ne etiam moles voluminis cuipiam molesta esset. Ejus loco reposui indicem titulorum et summariorum qui sufficere videbitur. Ita existimo cùm decenti operis brevitati, tum solidæ rei scientiæ consuluisse. Propositionum quarumdam brevem Explicationem ab Auctore præmissam ad finem libri postposui, quo Annaniensis sententia pleniùs capiatur; melius enim quæ in illâ exponuntur intelligi poterunt post lectionem et meditationem totius operis.

Mihi mens fuerat huic editioni animadversiones quasdam notulasque adjicere, sed et insignibus et magni momenti testimoniis tum veterum, tum recentiorum eam passim augere. Deinde verò melius mihi visum est nihil addere, nihil retractare. Quare textum nec in iota immutare decrevi. Ipsam interpunctionem, quæ nonnunquam manum emendatricem desiderasset, nolui etiam leviter refingere.

Aliquam tantummodò mutationem in inscriptione libri et capitulorum (pp. 131, 154, 178, 209, 257 et 315) faciendam existimavi. Libello suo Annaniensis posuit epigraphen quam dudum recitavimus (p. XXVI). Ex quâ facilè colligi posset sapientissimum virum nobis hîc scriptum theologicum impertire. Attamen opus ejus ex toto est merè philosophicum, ut facilè cuivis, vel fugitivo tantùm oculo illud perlustranti, patescet. Hæc ergò duo vocabula : *Jesu Christi,* prætermisi. Horum loco inscripsi : *Dei ut Entis summi,* et idem feci quoad titulos singulis capitibus adscriptos.

Per totum enim libri decursum mentis illuminationem Auctor Deo tribuit, et nonnunquam « appropriatè Christo, » ut ipse ait, et quidem congruenter theologorum sententiæ (Vid. p 10 et 129). Verùm hæc appropriatio ad objectum theologiæ pertinet, et refertur ad dogma de Deo Trino seu de Deo ut Ente supernaturali. Quare, quòd Christus crucifixus sit Verbum Dei, supernaturali tantùm declaratione cognoscimus. Philosophia porrò ea tantùm de Deo complectitur quæ naturalis theologia docet, abstinendo ab his, quæ solâ revelatione divinâ innotescunt. Naturali verò ratione et philosophicâ demonstratione scimus hominem habere quamdam lucem, quam non habent entia quæ non intelligunt ; argumento philosophico tenemus omnem animam , quæ intelligit, luce divinâ illustrari . Invictè demonstrat

ratio, in ipsius animæ secretis, Deum intùs lucere, et eum docere qui homo interior vocatur; cùm Deus sit Lux illa et universalis Ratio, in quâ omnes homines easdem incommutabiles veritates intuentur. Hanc Lucem veteres vocarunt Rationem et Verbum.

Quare, cùm declarare voluit Joannes Jesum esse Christum, Filium Dei unigenitum, eumdem esse Dei Verbum atque Lucem hominum docet; atque ita simul ostendit illum esse Deum, Eum ipsum nempè de quo Vates loquuti sunt.

Hâc igitur ratione argumentari licet : Deus est Lux intelligibilis, Lux mentium; atque Christus est hæc ipsa Lux; ergò Christus est Deus. Undè sequitur reverà dici posse Christum crucifixum esse lucem mentium. Hic ille enim est, per appropriationem, Magister, in quo rèconditi sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei (Coloss. II, 3). Christus verò non est illa lux nisi quia est Deus. Tenendum est itaque rationem Lucis et Verbi essentialis convenire toti Trinitati ut uni Deo. Hæc enim vis expressiva rerum omnium possibilium, quâ Deus constituitur prima et essentialis Ratio, Exemplar et Idea omnium rerum universalis, convenit Verbo ratione essentiæ, ac proindè est quid toti Trinitati commune. Vis illa rectè dicitur Verbum essentiale, ut à multis theologis admittitur. Quod utique Verbum philosophi cognoscere potuerunt et cognoverunt quoad essentialia ejus. Viribus verò naturæ solis nullo modo Verbum potuerunt assequi quoad notionalia ejus et relationem personalem; quæ omnia ratio non potest contingere nisi quâdam revelatione Dei ut Trini, id est communicatione actûs quo seipsum Deus cognoscit et vult.

His præsuppositis patet propositionem quâ asseritur Deum esse Lucem mentium ad philosophiam pertinere. Atque ideò illuminationem mentis Deo seu Enti summo tribuendam esse. Quod et ipse passim agnovit Juvenalis Annaniensis. Quare licèt verum sit et theologicè demonstratum Christum crucifixum esse Deum ac proindè Lumen naturale objectivum mentium nostrarum, tamen titulum libri hâc in parte permutandum esse censui, quo melius fines humanæ rationis ac divinæ Revelationis assignentur et innotescant. Hanc verò mutationem feci tantummodo in titulis libri et capitulorum. In libro ipso nihil commutavi aut inflexi.

In lucem igitur denuo prodit opus alias jam editum et ab iis approbatum, quibus Reverendissimus Ordinis Fratrum Minorum Magister generalis examinandun commiserat. Illud iterato prelo ac divul-

gatiori luce haud dubiè dignum utique censebunt hodierni hujus ordinis præpositi (1).

(1) CENSURÆ THEOLOGORUM ORDINIS.

Magnum illud naturæ donum, quo longissimè bestiis antecellimus, rationem videlicet, quæ veluti Lumen super nos à Patre luminum signatum est, et quâ omnia nobis bona ostenduntur, sub nomine *Solis intelligentiæ*, *cui non succedit nox, etc*, per R. P. Juvenalem Annaniensem Capucinum, Concionatorem, Exprovincialem, Definitorem, Guardianum, et quondàm SS. Theologiæ Lectorem, accuratissimâ diligentiâ, sollicitâque assiduitate nervosè elucubratum, omni quâ potui sedulitate perlegi, et in eo mox vidi fusiùs explicari doctrinam interioris ac immediati Divini Magisterii, quo Veritas immutabilis omnes intus docet sine strepitu verborum. Quod nobile dogma tum multiplici Scripturæ Sacræ, tum SS. Patrum et Doctorum, ac scripturæ Interpretum sensui (præsertim D. Augustini, utriusque Doctoris Angelici et Seraphici) per omnia convenit. Et quia in ipso toto hoc Opere nil inveni, quod aut Romanæ Fidei, aut Christianis moribus contrarietur; quin imò reperi reconditâ ac omnigenâ doctrinâ, ad hominum mentes in veritate illuminandas et instruendas, nec non in charitate non fictâ inflammandas, refertissimum. Quare cùm juxta Divinum Christi monitum, lucerna sub modio non sit abscondenda, dignum omninò existimo, ut hic *Sol intelligentiæ* omnibus veri luminis amatoribus publicâ fulgeat luce. Ita sentio Weissenhornii in nostro S. Sebastiani Monasterio, die SS. DEIparæ Virgini ab Angelo salutatæ sacro, 1686.

Fr. FIRMINUS ELLENBOGENSIS,

Conc. Capuc. Guardianus, olim SS. Theol. Lector.

Rutilantem hunc Intelligentiæ Solem, à R. P. Juvenale Annaniense, Capucinorum Provinciæ Tyrolensis Concionatore, Exprovinciale, actuali Definitore, et Guardiano, et ante SS. Theologiæ Professore conscriptum et elucidatum, magnâ animi consolatione perlegi. Cùm adverterim, Lucem hanc non tantùm sacrâ ubique eruditione, selectissimis S. Scripturæ, ac SS. PP. sententiis, solidisque rationibus, intellectum ad immediatum mentis creatæ Illustratorem dignoscendum clariùs irradiando manuducere : sed insuper voluntatem in amore ejusdem, veræque virtutis studio, radiisque sapidæ cujusdam pietatis mirificè accendere : eâ propter cùm totum Opus orthodoxum sit, et sanis moribus nullibi refragetur; quin potiùs et fidem Catholicam, sanosque mores firmissimè propugnet : præterea Authoris non minùs arduum ingenium, quàm indefessum laborem luculenter prædicet, ad majorem DEI T. O. M. gloriam, ad omnium uberrimum fructum, et profectum, quod mei calculi est, facultate ab Adm. Reverendo. P. Carolo Maria

Utinam doctrina quam Juvenalis Annaniensis tractavit et disputavit sub protectionis Augustini, Bonaventuræ et aliorum Doctorum muni-

à Macerata Ordinis Capucinorum Generali mihi ad hoc commissâ, illud omni loco, luce, et laude dignissimum censeo. Dat. Oeniponti 26 Martii 1686.

F. FERDINANDUS BRIXINENSIS,
Capucinus, Conc. Phil. Lector.

FACULTAS A. R. P. GENERALIS.

Nos Fr. Carolus Maria Maceratensis, Minister Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum L. I.

Opus, cui titulus est, *Solis intelligentiæ, cui non succedit nox, Lumen indeficiens*, etc.. à R P. Juvenale Annaniense Concionatore, Guardiano ac Diffinitore Capucino, et olim Provinciale, ac SS. Theologiæ Lectore, compositum, et à duobus Theologis Ordinis nostri relectum et approbatum, quantum ad nos spectat, et servatis servandis, ut Typis mandari possit tenore præsentium concedimus. Dat. Capuæ 25 Martii 1686.

F. CAROLUS MARIA,
Minister Generalis.

APPROBATIO.

Cùm hoc opus [dictum Sol intelligentiæ] gravi Sanctorum Patrum, aliorumque Doctorum virorum auctoritate firmatum sit, Auctorque tanta claritate, eruditione, tantâque vi ac rationum pondere in eodem obscura quæque elucidet, et explanet; idcircò [meliore salvo] meum est de hoc opere judicium, fore cunctis orthodoxis, et heterodoxis utile et proficuum : ac dignum esse, quòd publicam lucem videat, quodque secundis Doctorum plausibus excipiatur. Augustæ Vindel. 26 Aprilis 1686.

FRANCISCUS GUILIEL : AYMAIR,
Doctor. Pœnitent.

LICENTIA EX OFFIC. VICAR.

Ut præsens Liber, Sol intelligentiæ indigitatus, quòd gravi SS. Patrum aliorumque Doctorum Virorum auctoritate firmatus, obscuris quibusvis in eo ab Auctore tantâ claritate, et eruditione, tantâque vi ac rationum pondere elucidatis, et explanatis, utilis, proficuus ac dignus sit, qui publicam lucem videat, census, publici juris fiat; harum per tenorem conceditur.

Ex Officio Vicar. Augustæ die 27 April. 1686.

FRANCISCUS ZIEGLER,
Vicarius Generalis,

mine, orbem christianum pervolet, sitque Tyrolensium philosophus tubæ instar excitantis ad bellum adversus Sensualistas, cæterosque omnes infensissimos, sive conscientes sive inscios, Dei ejusque Ecclesiæ hostes! Bono publico rursus in publicum prodibit Juvenalis Libellus. Utilem philosophis et theologis, omnibus denique cujuscumque status hominibus proficuam in eo doctrinam reperiet lector. Ad morbos enim animorum profligandos medicinam præsentissimam et per quam efficacem Annaniensis propinat. Faxit Deus ut Spiritualismi seu Ontologismi doctrina hæc philosophos toto orbe jacentes curet, sanet atque ab omni errore eripiat; sicque possint faciliùs homines ad cœlestis Revelationis Templum manuduci et perduci!

Nolo itaque te, Lector benevole, diutiùs in hoc vestibulo detinere. Hic igitur est præloquiorum finis. Quod restat, et quod pietas monet, Deum Optimum Maximum in vota voco, ut Philosophiæ studia, quæ hoc nostro tempore elanguescunt aut de viâ decedunt, exolescere apud nos nunquam sinat, sed servet, increscere faciat et dirigat in gloriam suam. Tu verò, si sapis, aureo, quem te donamus, libello fruere ac vale. Perscriptum Parisiis, pridiè Kal. Martias, anno Domini MDCCCLXXVIII.

★★★

PRÆMONITIO AUCTORIS AD EUM QUI LEGIT.

Primò : Lectoris humanitatem imploro, ut si mentem ac scopum, quò verba mea collimant, ex uno loco non consequitur, prout non semper fieri potuit, ne in immensum paginæ excrescerent, ex aliorum fusiorum locorum factâ collatione inquirere non gravetur.

Secundò : Per decursum reperies citari antecedentia, rarissimè consequentia ; quia sicut de futuris contingentibus non prænoscimus, sic ignorabam, quem folii, aut marginis numerum, antequam sequentia imprimerentur, indicarem. Tamen ex citationibus antecedentium toties replicatis non turberis, quasi necessarium esset ad illa recurrere, non omnino. Ad bonum tuum feci, si recurrere velles, si non lubet relinquatur.

Tertiò : Ex indice velut totius Opusculi, ac mentis meæ compendium invenies, ubi ferè, singulæ materiæ referuntur, aut tanguntur : sed quia solùm per breviores et mancas sententias, non poterunt hæ servire ad intelligendum integrum verborum sensum : unde quoties dubitas ad ipsum Textum recurrere necessarium erit.

Quartò : Cùm varii termini passim occurrant per decursum Opusculi, qui tibi obscuritatem offundere, ac te suspensum tenere possent, illorum quosdam hîc paucis annotare volui, præsertim cùm ex illorum rectâ intelligentiâ hujus integræ controversiæ vera notitia multùm pendeat.

1. *Intellectus* sumi potest quadrupliciter : (vide D. Thom. de ver. q. 17. a. 1.) pro potentia intellectiva : pro habitu principiorum speculativorum : quandoque pro re intellecta, vel etiam pro actu intellectionis : aut rei alicujus, vel nominis aut verbi sensu ac mentali conceptu. Sic accipit D. Bonaventura f. 560. Num. 5. et f. 561. Num. 6.
2. *Lumen* est id entis, quod potentiæ cognoscitivæ res manifestat, et dupliciter accipitur, 1. pro sensibili ac corporeo (quod respicit oculum corporis, ac inservit ad res corporeas sensibiliter videndas) 2. pro intelligibili ac spirituali (quod oculum mentis, id est, intellectum respicit : et datur ad res intelligendas, seu interiori spirituali visu cernendas.)
3. *Lumen objectivum* est, quod se tenet ex parte objecti (ut lumen in Sole, lumen in aëre ; sic et quævis objectiva veritas, aut objectiva entis ratio : et potest etiam appellari lumen externum, ac motivum, quia potentiam movet) *lumen subjectivum*, quod se tenet ex parte subjecti, cujus est interna dispositio, etc.

(ut interna oculi claritas, seu pelluciditas : acies seu acumen intellectûs, etc. fusiùs intelliges ex dicendis hypoth. 4. 5. 6. 7. etc.)

4. *Lumen circumscriptum* dicitur, cujus natura, et actus, seu radiatio est limitata ad circumstantias loci, temporis, mutationis v. g. lumen candelæ A. quod solùm hâc nocte, et intra cubile lucet, et nunc clariùs nunc obscuriùs, et tandem extinguitur, aut extingui potest) *lumen* verò *incircumscriptum*, cujus natura et radiatio nullis terminis nec loci, nec temporis, aut mutationis, aliarumque, circumstantiarum clauditur : ac proinde illimitatè, indeficienter, et inextinguibiliter lucet; semper et ubique quantum est ex se (ut sic quævis absoluta æterna veritas lucet.)

5. *Lumen deficiens* seu extinguibile, et *lumen indeficiens*, seu inextinguibile. Possunt intelligi ex præcedenti.

6. *Lucere supra tempus et supra locum*. Hi bini termini sæpissimè occurrunt : et nil aliud important, quam radium luminis incircumscripti, indeficientis et inextinguibilis : qui omne tempus, quantumvis diuturnum ; et omnem locum, quantumvis amplum, excedit : ac proinde cuicumque potentiæ capaci rutilat semper et ubique independenter ab omni tempore et loco.

7. Ex his intelliges terminos, quibus utitur Doctor Seraphicus f. 550. n. 4. et f. 552. n. 7. ubi ait, quòd Ratio abstrahat *à loco, tempore, et motu : ac per hoc* sit *incommutabilis, incircumscriptibilis, interminabilis, et omnino spiritualis*. Et alio cit. loc. ait, quòd in luce veritatis cuncta reluceant *infallibiliter, indelebiliter, indubitanter, irrefragabiliter* (id est ut ei prudenter contradici non possit) *indijudicabiliter* (ita ut pro illius firmitate necesse non sit ad altiorem appellare judicem) *incoarctabiliter, interminabiliter, indivisibiliter, intellectualiter*. Vide ibidem.

8. *Lux Domini incommutabilis*. Hunc terminum usualem habet D. Augustinus. Vide f. 213. n. 85 86. et seq. f. 215. n. 90. 91. etc. et apud eumdem idem significat ac lux, seu lumens indeficiens, ac inextinguibile, ex se nulli mutationi, aut obumbrationi obnoxium, quod proinde lucet supra omne tempus, et omnem locum, et ex se incircumscriptibiliter radians *illuminat omnem hominem*, et mentem quamcumque *venientem in hunc mundum*. Quo sensu ritè dixeris omne reale conceptibile, nulli loco, aut tempori, aliisque finitis circumstantiis alligatum, aut determinatum, aut limitatum, esse, ut sic, lucem Domini incommutabilem. Et ideo Veritas ut sic, bonitas ut sic, justitia ut sic, perfectio ut sic, imò cujuslibet entis abstracta, et illimitata ratio, ut sic, est lux Domini incommutabilis, radians super hemisphærium mentis creatæ ex se incircumscriptibiliter, et inextinguibiliter. V. g. Scriptura vult, ut omnia ultimatè operemur propter DEUM. Et tamen dicitur : *Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam*. Ergo justitia ut sic (id est non qua virtus creata est, sed secundùm abstractam rationem justitiæ) non est quid distinctum à DEO. Ut sic enim benè operari propter virtutem, sive, ob præcisam rationem virtutis, sanctum est, imo sanctissimum.

9. *Ens* de genere *intelligibilium, et ens* de genere *existentium* vel *concretorum*. Hos terminos quandoque reperies : quibus res in duplici statu considerantur,

id est, et ut in se spectantur, et ut in DEO. Et quia prout in DEO reperiuntur aliquem stabilem ac immutabilem conceptum obtinent (ad quem habendum omnis qui scire desiderat, aspirat) in se autem nunquam in eodem statu permanent, ideo priori modo vocantur de genere intelligibilium, posteriori de genere concretorum. Vide fol. 324. n. 58. et 325. n. 59. et seq

10. *Ratio subjectiva et objectiva.* Hi bini termini sæpè occurrunt, quos explicatos, vide f. 5. n. 8. 9. 10. 11. 12. 13. Prior ratio est quæ ratiocinatur; posterior est id, quod is qui ratiocinatur intuetur, et à quo ad ratiocinandum movetur. Unde toto cœlo differunt. Prior enim est creata, numero multiplicata, quot nimirùm mentes sunt : et est alligata, definita ac limitata (saltem definitivè) ad certum locum, et temporis differentiam : sed posterior, quæ ut ratiocinari possimus debet semper, ac necessariò versari ante oculos mentis, est increata; una, eademque, respectu omnium; et nulli aut loco, aut tempori illigata, limitata, aut definita : sed eadem immutata manet hic et ibi, respectu mei, et tui : heri et hodie, ac semper, et ubique, et respectu omnium, qui ejusdem objectivæ rationis capaces sunt. Prima ratio non tam dicenda est esse, quam existere (omne creatum enim propriè loquendo existit) sed posterior verè est (verum enim esse est esse incommutabile, et illimitatum. Vide D. Aug. l. 7. Conf. c. 11.) Ex hâc duplici significatione rationis puto sumsisse originem distinctionem illam, quâ aliqua distingui dicuntur ratione raciocinante : alia verò etiam ratione ratiocinatâ. Prior est subjectiva.

11. Reperies ad mentem D. Aug. f. 505. et sæpiùs, DEUM esse in creaturis, et creaturas esse in DEO. Imo DEUM appellari omnia in omnibus : quo loquendi modo nec deviatur à Scripturâ (quæ utroque modo loquitur. Joan. 14. v. 20. *In illo die vos cognoscetis, quia ego sum in Patre meo, et vos in me et ego in vobis.* 1. Cor. 15. v. 28. *Ut sit DEUS omnia in omnibus*) nec à communi Theologorum, dicentium : DEUM esse eminenter omnia : id est DEUM esse totum id, quod perfectionis est in creaturis, resectis omnibus imperfectionibus. V. g. Lapis dicit esse (hoc habet DEUS) dicit verò etiam esse limitatum, creatum, temporale, non vivens etc. hoc non est DEUS.

12. DEUS multoties nominatur *ratio omnium rerum*, et quod in ipso sint *rationes omnium rerum in sua puritate* (sic D. Bonav. f. 559. in Itiner. n. 4.) non tamen ideo dicendum est, quòd DEUS sit essentia omnium rerum. Vide f. 578. n. 4. DEUS enim et res creatæ vel creabiles toto cœlo in essentia differunt. Nec ratio et essentia ex integro conveniunt. Nam essentia est prædicatum rei totaliliter intrinsecum, et cum est rei imperfectæ necessariò includit saltem partialem conceptum imperfectionis. Ratio verò, non necessariò est prædicatum intrinsecum, et si sumitur in sua puritate nullam imperfectionem includit, sed est conceptus *innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus* et imperfectionibus. Et hinc puto intelligi posse quod ait Augustinus f. 291. n. 67. sine ideis neminem posse sapientem esse (sic enim ait : *Tanta in eis vis constituitur, ut nisi his intellectis sapiens esse nemo possit*) Intelligit ergo Sanctus, eum solùm fore sapientem, qui de rebus conceptum format, qualem habent non in se, sed in DEO. Vide Coroll. 21 f. 298 n. 78. 79. 80. 81.

13. *Audire sicut auditur in corde.* Hoc termino utitur quoque D. Aug. : et puto eum nil aliud exprimere velle, quàm internam rationis naturalem loquelam, quæ intus menti ea eloquitur, quæ per illud lumen, quod signatum est super nos, interiùs proferuntur, sive homini gratum sit interna illa dictamina audire sive non. Vide f. 214. n. 87. 88.

14. Adhuc plures alios terminos hîc prænotare possem, quos diligentiùs expono Cap. 1. Sect. 3. Quid videlicet intelligatur nomine animæ, animi, spiritûs et mentis (vide f. 15.) Quid nomine partis intellectivæ et affectivæ? Quid nomine intelligentiæ (vide f. 19.) Quid sit apex mentis, fundus ac centrum animæ, vel syntheresis scintilla (vide f. 20. et seq.) Quid ratio superior et inferior. (vide f. 25.)

IRORES EX TYPO RELICTOS SIC CORRIGES :

fiere	*lege*	fieri
affligunt		affigunt
solus		solum
atque		atqui
similitudino		similitudo
deficienda		definienda
presequimur		prosequimur
animalis		animales
effectiva		affectiva
intelligimus		intelligemus
quod		quoad
ubi		ibi
ne quamquam		nequaquam
honorissimum		honoratissimum
a rerum		rerum
DEUS : ipse		DEUS ipse
illud		illuc
quis		qui
Gefundheit		Gesundheit
pulchritudinsm		pulchritudinem
sit		fit
sec retiora		secretiora
definire		definiri
sit		fit
nullæ		ullæ
omina		omnia

Pag.	lin.			
137		tenebra	*lege*	tenebras
142	7	sicus		sicut
147	15	objectum		objectivum
153	30	creatorum		creatarum
158	3	oculis		oculus
171	3	Magistrum		Magisterium
191	17	rejecit		rejicit
197	28	nauralis		naturalis
200	28	eadem		eamdem
203	36	ens definiri		definiri
214	25	sit		fit
230	20	totam		totum
253	10	fiant		sunt
262	7	actu		ictu
271	10	vicissim		vicissim manente
306	31	advertunt		avertunt
321	12	qui videntem		qui vident videntem
324	27	proprietarum		proprietatum
331	33	illæ		ille
346	37	ait		art
355	20	declanratur		declaratur
358	25	ssu		seu
362	7	§ IX*		§ IX
367	15	experimentiæ		experientiæ
369	35	sextarum		sectarum
	38	infaillibilia		infallibilia

SOLIS INTELLIGENTIÆ

LUMEN INDEFICIENS

SIVE

IMMEDIATUM

DEI UT ENTIS SUMMI

INTERNUM MAGISTERIUM

CAPUT I.

SYNOPTICA INTELLIGENTIA DE MENTE, AC ANIMA RATIONALI PRÆMITTITUR.

SUMMARIUM. — 1. Animastica notitia pro captu Solis intelligentiæ necessaria. — 2. Cur anima, et ejus potentiæ diversis appellentur nominibus?

1. Quia Doctrina Solis Intelligentiæ, quam in præsentiarum declarare satago, plurimùm ab animasticâ notitiâ, et modo, quo mens nostra per rationem operatur, dependet: congruum judicavi, in ipso statim limine synopticam horum intelligentiam præmittere: et ejusdem animæ rationalis, diversarumque potentiarum ipsius naturam, et qualiter operentur, paucis exponere: et eò opportuniùs, quòd de istis non uno, eodemque, sed plurimùm diverso modo, ac sub variis, ac distinctis nominibus inveniam Philosophos, ac Theologos; et quot quot de animâ rationali pertractant, sermocinari. Quæ nominum diversitas etsi plus in modo concipiendi, quam in re sit; interim Lectori, diversarum scientiarum lumine non imbuto, non modicas offundit tenebras: dum experitur eamdem rem nunc vocari animam, nunc animum, nunc spiritum, nunc mentem. Eamdem animæ potentiam nunc dici intellectum, nunc rationem simpliciter, nunc

rationem superiorem, aut inferiorem : nunc intelligentiam, quandoque apicem mentis, aut syntheresis scintillam, etc. Eamdem voluntatem nunc appetitum naturalem, nunc deliberativum, seu liberum arbitrium, nominari. Taceo plures nominum diversitates : ut quòd eadem hominis anima etiam cor hominis, aut sensus hominis dicatur : aut nomine carnis [id est, carnalis sensûs, et carnalis intelligentiæ] quandoque in Sacris Litteris appellata veniat.

2. Sed certum est, quòd sicut verum vero contrarium nullum est, ita nec Scientia Scientiæ unquam verè, ac in ipsâ re contraria esse poterit. Oritur tamen sermonis, ac nominum diversitas, cùm à diversis scientiis diversa principia, diversique respectus observantur, licet eamdem rem definiant, ac dividant. Philosophi quippè naturales considerant animam hominis secundùm se, ut est altera pars compositi physici, et principium motûs, et quietis. Medici verò eamdem spectant in ordine ad corpus humanum, quod ab animâ vivificatur, vegetatur, et sensum recipit. Theologi eamdem hominis animam contemplantur in ordine ad DEUM, velut animæ Creatorem, et Beatificatorem : et quatenùs ipsa anima, cum suis connaturalibus potentiis, est suo modo principium ac subjectum actûs humani, boni ac mali ; et proindè virtutis ac vitii ; meriti, ac demeriti ; gloriæ ac pœnæ. Mystici denique, innixi Scripturæ, ac sacræ Doctrinæ, speculantur animam, et ejusdem connaturales facultates in ordine ad perfectionem Christianam acquirendam, ac respectu charitatis, et unionis cum DEO : quò Theologia mystica, et Sacra Scriptura potissimùm respiciunt, dicente Paulo I. Tim. I. V. I. *Finis autem præcepti est Charitas.* Et indè fit, quòd omnia eò referant, speculando animam, ejùsque potentias, ut quidem à DEO Auctore, ac *naturâ plantatas*, sed *per culpam deformatas, et per gratiam reformandas* : Et proindè *purgandas* primò *per justitiam*, deindè *exercendas per Scientiam*, et tandem *perficiendas per Sapientiam* : ut loquitur Divus Bonaventura in suo mentis Itinerario Capite I. Diversa igitur cognitionis principia diversas ejusdem rei generant appellationes : quas ut opportuniùs ad meum Scopum intelligamus, quator diligentiùs in ipso Operis vestibulo pertractabo. Primò, explicando, quid sit anima rationalis, et à quâ ratione rationalis dicatur. Secundò, quæ, et quales sint facultates animæ rationalis. Tertiò, plæraque dubia circa potentias animæ resolvam. Quartò tandem, qualiter mens, vel anima rationalis operetur, explicabo.

SECTIO I.

QUID SIT ANIMA RATIONALIS, ET A QUA RATIONE RATIONALIS DICATUR ?

SUMMARIUM. — 3. Quæ sint certa de animâ rationali. — 4. Variæ definitiones animæ rationalis. — 5. Anima rationalis est similitudine omnium. — 6. Anima rationalis est substantia incorporea, rationis capax, seu particeps : vivificando, ac regendo corpori accommodata. — 7. Quid intelligatur nomine rationis? — 8. In recto significat rem creatam, in obliquo rem æternam. — 9. Discrimen inter rationem objectivam et subjectivam. — 10. Hoc discrimen probatur ex D. Augustino. — 11. Ratio objectiva est ipsa Dei essentia, et appropriatè Verbum, juxta D. Augustinum. — 12. Probatur etiam ex S. Hieronymo, ac D. Thomas. — 13. Probatur ex Evodio. — 14. Probatur ex processione Verbi. — 15. Verbo Divino omnia sempiternè dicuntur. — 16. Verbum Divinum habet vim expressivam omnium. — 17. Quid nomine Verbi hîc opporteat intelligi? — 18. Quomodo deficienda sit ratio objectiva ?

3. Quamvìs et olim apud antiquos gentilitatis Philosophos, et secutis temporibus apud plerosque Pseudo-Christianos variæ opiniones extiterint de naturâ, et origine mentis, vel animæ rationalis : quæ illud ipsum magnum bonum est, quod in homine præcipuum invenitur, et quo bestiis præcellimus : nunc tamen Catholica Philosophia Christianorum in his certis concordat, et sub anathemate concordare debet, videlicet quòd ipsa hominis mens, vel anima rationalis, sit spiritus, non corpus; creata à DEO, non à virtute seminali : incorruptilis, ac naturâ suâ immortalis : realiter tamen, ac essentialiter à DEO, et Angelis distincta : quòd non una in omnibus, sed singulæ in singulis insint, non ut accidens, sed ut substantia : vivens, intelligens, ac libertate utens. Nec ab his dissentiunt, quas de animâ rationali, varii varias assignant definitiones. Pro quarum meliori intelligentiâ noveris, animam hominis, quæ in ipso unica est, non solùm vivificare ipsius corpus, sed insuper esse spiritum per se viventem, et à corpore separabilem. Priori sensu dicitur anima [id est animans corpus], posteriori verò spiritus [aut etiam mens, et animus] appellatur. Et sub utrâque significatione potest definiri.

4. Seraphicus D. Bonaventura 3. Parte Centiloquii, Sect. 19. varias, id est, omninò septem ex diversis Auctoribus animæ rationalis definitiones adducit, quæ eamdem declarant, aut per se, ut est spiritus; aut in ordine ad corpus informandum, sive ut animam. Citat ergò Librum de motu cordis, quod anima sit *substantia incorporea intellectualis, illuminationum, quæ sunt à primà, et ultimà relatione perceptiva.* Æstimo sic intelligendum esse, quòd hominis spiritus, seu

quævis creata mens sit talis substantia, quæ ita cognitione prædita sit, ut ex participatione superni, ac Divini luminis percipere valeat, DEUM esse id, à quo omnia, et propter quod omnia : id est, primum principium, et ultimum finem rerum omnium. Illuminatio primæ relationis dirigit partem intellectivam ; illuminatio verò ultimæ relationis partem affectivam. Idem Seraphicus Doctor citat B. Remigium sic definientem animam: *Anima est substantia incorporea regens corpus.* Citat et Senecam, quòd *Anima sit spiritus intellectualis, in se et in corpore, ad beatitudinem ordinatus.* Citatur et Caput I. Genesis, ubi definiri videtur, aut indè definienda; quòd *Anima sit DEI-forme spiraculum vitæ.* Refertur et Aristoteles, ex. 2. de animâ. Cap I. Textu 6. *Anima est actus primus corporis organici, Physici, potentiâ vitam habentis.* Sed hâc definitione non sola anima hominis, sed etiam plantarum, et brutorum comprehenditur. Adde aliam ejusdem Philosophi definitionem loc. cit. Cap. 2. Textu 18. Quòd anima sit *principium,* [in priori vocat actum, ἐντελέχεια πρῶτη, actus primus. Si tamen hoc verè significatur per dictum nomen] *quo primò vivimus, sentimus, loco movemur, et intelligimus.*

5. Seraphicus Doctor citat Divum Augustinum ex Libro de spiritu, et anima ; Ubi dicitur : *Anima est similitudo omnium.* Quod intelligendum est ad mentem Philosophi 3. de animâ. Cap. 8 Textu 37. Quòd anima *sit quodammodo omnia* : scilicet non realiter, sed notionaliter, et secundùm rerum omnium imagines, quas in se recipere potest. Aliter exponitur citato Libro de spiritu et anima. *Habet siquidem anima in se vires, quibus omnia apprehendit, sive investigat, et omnibus similis existit, cùm sit una : similis est terræ per sensum, aquæ per imaginationem, aëri per rationem, firmamento per intellectum, cœlorum cœlo* [intellige cœlum empyreum] *per intelligentiam. Similis est lapidibus per essentiam, arboribus per vitam, animalibus per sensum, et imaginationem, hominibus per rationem, Angelis per intellectum, DEO per intelligentiam. Et sicut DEUS est omnibus captibilis, et participabilis, sic anima omnium est capax.* Ita loquitur Auctor Cap. 6. quem D. Bonaventura sub nomine S. Augustini citat. Sed S. Thomas, sicut et ipse multoties præfatum Librum, de spiritu et animâ, sub eodem Augustini titulo citatum profert, ita pariter semper negat D. Augustinum Auctorem fuisse. Nisi fortè, quis dicat: Aliquem posteriorem ex operibus hujus Sancti illum contexuisse. Interim verum est, quod stylus Augustinianum calamum non redoleat : qui ut sublimia devotissimè, ita paulò obscuriùs, ac mysteriosiùs pertractare solet. Unde legentem exigit, qui mentis aciem ad sua dicta

morosiùs figere possit. Sed Auctor præfati Libri, sicut planè incedit, ita facilè intelligitur. Habet tamen plæraque bona, ac utilia.

6. Aliam animæ rationalis definitionem ex hoc eodem Libro desumptam citat Doctor Seraphicus, quam iisdem prope verbis reperio apud S. Bernardum, de vita solitaria, post medium : Quòd videlicet, Anima, vel animus rationalis, sit *substantia quædam rationis particeps, regendo corpori accommodata.* Et Divus Bernardus : *Anima est res incorporea, rationis capax, vivificando corpori accommodata.* Hanc definitionem ideò cæteris præfero, quia differentiam essentialem animæ rationalis [quæ in rationalis capacitate consistit] expressiùs cæteris continet : quæ etiam meo Scopo, pro Solis Intelligentiæ indeficienti lumine probando non parùm auxilii confert : quam proindè fusiùs explicandam assumo. Dicitur ergò, quòd rationalis anima sit *substantia* [quo nomine convenit cum omni substantia creatâ]. Dicitur *incorporea* [quo exclusæ manent omnes substantiæ corporales]. Dicitur *rationis particeps* [quo excluduntur omnia, quæ ratione carent]. Cætera, quæ ponuntur excludunt Angelum, seu naturam Angelicam : non tamen excluditur anima separata, cùm semper aptitudinem ad corpus informandum, vivificandumque retineat.

A QUA RATIONE ANIMA RATIONALIS DICATUR ?

7. In his difficultas nulla est, at non levis esse videtur, quæ, vel qualis illa ratio sit, in cujus capacitate essentia animæ rationalis [vel cujuscumque mentis creatæ] consistit. An videlicet nomine rationis, in definitione animæ comprehensæ, veniat aliquid reale, vel fictum; aliquid creatum, vel increatum; aliquid purè finitum, vel infinitum ; aliquid merè temporale, vel quid æternum; aliquid mutabile, vel immutabile ? Quid ergò est ratio ? Quisquis rationem probè intelligeret facilè posset mentis suæ infinitam quasi dignitatem æstimare; posset naturæ donum, quo pecudibus antecellimus, lucidiùs intueri : posset et Solis Intelligentiæ æternum splendorem mente suâ non difficulter excipere, ac degustare. Quid igitur entis illud fuerit, cujus nos capaces sumus ?

8. Dico, quòd nomine rationis [cujus passiva capacitas animam rationalem ab ente irrationali discernit] quamvìs proximè, et immediatè, ac in recto, aliquid reale creatum significetur [id est, ipsa subjectiva creata ratio] ultimatè tamen, ac in obliquo importatur aliquid reale increatum, infinitum, æternum, immutabile : imò ipsum Ens entium DEUS, sive ipsa objectiva Ratio increata. Hoc ut meliùs

intelligere possimus, præmitto ac suppono primò, aliud venire nomine rationis, et aliud nomine ratiocinationis. *Ratio* [ut definit S. Augustinus, citato loco, et de Immortal. Animæ Cap. 6. Et de Quantitate animæ, Cap. 27.] *est animi aspectus, quo per seipsum, non per corpus verum intuetur. Ratiocinatio* verò *est ipsa rationis inquisitio (vel à certis ad incertorum indagationem nitens cogitatio,* ut habet alibi) unde quod ratiocinatio inquirit, ipsa ratio videt, ac intuetur : ac proindè ipsa ratio est idem ac mentis oculus, seu mentis aspectus, ut eam D. Augustinus appellat.

9. Suppono 2. Magnum quoque discrimen esse inter rationem hanc subjectivam, quæ dicitur mentis oculus, sive mentis aspectus ; et inter Rationem objectivam, quæ oculo, seu aspectui mentali objicitur, ac eumdem ad visum mentalem movet. Illa quippe est ipsa mens, quâ, velut principio activo et interno, ratiocinamur [vulgò die natürlich-erschaffne Vernunfts Kräfften mit welchen wir verstehen vnd vernünfftig handlen mögen. *La raggione, con la quale raggioniamo interiormente.*] Hæc verò, id est, objectiva Ratio, est illud entis, quod mentem movet ad ratiocinandum, id est, illud æternum verum, seu æterna veritas, quam mens ratiocinando intuetur [die Vernunfts Gründ so vns zum vernünftig handlen bewegen. Sed expressiùs Italicè : *La raggione, che ci muove à raggionar mentalmente, ò interiormente, che perciò tutti con la mente guardiamo, quando raggioniamo mentalmente, ò interiormente.*] Ac proinde ista duo, id est ratio subjectiva et objectiva, plurimum, imò toto cœlo differunt. Prior enim [id est, subjectiva, seu mens] aliquid in tempore creatum : ac proindè juxta numerum subjectorum intelligentium multiplicatum ; et simul ad certum locum, ac certam temporis differentiam alligatum ac limitatum, saltem definitivè. Ratio verò objectiva [quæ videlicet, ut ratiocinari possimus, ante mentalem oculum necessariò obversari debet] est una, eademque respectu omnium : nec ulli aut loco, aut tempori, aut aliis finitis limitationibus alligatur, vel definitur : sed eadem prorsus immutata manet, semper et ubique, hic et ibi, hodie, cras et heri ; respectu mei ac tui, et omnium, qui illius capaces sunt. Et consequenter nihil creatum esse potest, ut dicetur.

10. Quòd hæc duplex rationis acceptio necessario admittenda sit, nullus contradicet. Audiatur Divus Augustinus citato Capite 6. de Immortalitate animæ. *Ergò incumbendum omnibus ratiocinandi viribus video, ut ratio quid sit, et quoties definiri possit sciatur.* Mox subjungit. *Ratio est aspectus animi, quo per seipsum, non per corpus, verum intuetur : aut ipsa veri contemplatio, non per corpus* (hoc totum spectat ad

rationem subjectivam, sed verba sequentia ad Rationem objectivam) *aut ipsum verum, quod contemplatur*. Hæc Augustinus. Verum igitur, quod mens contemplatur, et eamdem ad ratiocinandum per modum rationis objectivæ movet, debet vocari Ratio. Sed dixeris, quid sit illud verum ex mente Augustini, quod animam ad ratiocinandum impellit? Respondet vir DEI eodem Capite sic : *Verum illud, quod Ratio dicitur, nihil habet commutabile, sicut apparet*. Ergo Ratio juxta D. Augustinum, sicut et verum, est aliquid immutabile.

11. Quid autem fuerit illud incommutabile verum, illa immutabilis veritas, illa objectiva Ratio, quæ ultimatè mentem creatam (id est, rationem subjectivam) ad ratiocinandum movet? Dico realiter loquendo esse ipsammet immutabilem DEI essentiam : et appropriatè loquendo ipsum æternum, ac immutabile DEI Verbum, et veram illam lucem, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Est sententia, quam millies in Augustino repereris ; in singulis propè paginis eò mentem suam dirigit Doctor hic celeberrimus. E millibus locis duo cape. Libro 7. Confessionum, Cap. 17. Quærit, quid illud sit, quod sibi tribuit posse res approbare, aut de mutabilibus firmiter, ac indubitanter judicare; hoc ita esse, hoc non ita; hoc alteri præferendum, etc., *quo lumine* mens sua ad hoc posse facere *aspergeretur*? Respondet his verbis : *Hoc ergò quærens unde judicarem, inveneram incommutabilem, et veram veritatis æternitatem supra mentem meam commutabilem*. Sed ut noverimus quid intelligat nomine incommutabilis, ac æternæ veritatis, Capite sequenti sic dicit : *Verbum enim tuum æterna Veritas superioribus creaturæ tuæ partibus supereminens subditos erigit ad seipsam*. Et supra inducit Christum dicentem : *Ego sum Via, Veritas et Vita*. Sed adhuc efficacius Tom. 8. in Psal. 123. *Veritas immortalis est, Veritas incommutabilis est, Veritas illud Verbum est, de quo dicitur : In principio erat Verbum, et Verbum erat apud DEUM, et DEUS erat Verbum*. Ergò, ad mentem S. Augustini, Verbum æternum est objectiva Ratio, seu immutabilis, ac æterna Veritas. Per Libri decursum plurima ex Eodem circa hoc idem suggeram.

12. Nec alii SS. Patres diffitentur Christum esse Rationem. D. Hieronymus Epistolâ ad Paulinum sic ait : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud DEUM ,et DEUS erat Verbum :* λόγος *enìm græcè multa significat, nam et Verbum est, et Ratio, et supputatio, et causa unius cujusque rei, per quam sunt singula, quæ subsistunt; quæ universa rectè intelligimus in Christo*. Ergò tenet S. Hieronymus Christum, seu Verbum, esse Rationem. Nec dissentit Angelicus Doctor supra S. Dionysium 7, Lect. 5, ubi probat nomen Rationis qua-

tuor significare (scilicet virtutem cognoscitivam, causam, supputationem, et aliquid simplex abstractum à multis) quæ omnia dicit convenire DEO. Et 2. d. 3. q. 1. a. 2. ad 4. ait, intellectum Divinum rationem nominari. Vide etiam Cornelium de Lapide in Evangelium Joannis, super illa verba : *In principio erat Verbum,* ubi agnoscit nomine τοῦ λόγου Rationem quoque rectè significari : *imò et definitionem, quia Verbum Patris naturam, omnesque res definitè exprimit et explicat. Ita Nazianzenus.* Sic loquitur Cornelius de Lapide. Quin et ipse Aristoteles ubicumque nos rationem ponimus habet ipse græcè τὸν λόγον. Vide Libros de anima.

13. Sed audiamus Doctissimum illum Evodium, Doctissimum Augustinum doctissimè consulentem, Tom. 2. Epistolâ 246. *Perfecta Ratio,* inquit, *illa est, quæ omnium rerum præstat Scientiam. Et maximè æternarum rerum, quæ intellectu comprehenduntur : hanc æternam esse, æternam esse debuisse, æternum illud esse, quod nec cœpit, nec mutatur, nec variatur, ipsa docet, atque ostendit ratio : quam necesse est esse æternam, non solùm, quod æterna doceat, et demonstret; sed multò magis, quòd ipsa æternitas non potest esse sine ratione : quæ arbitror non esset æternitas, si ratio ipsa æterna non fuisset.* Postmodùm ait : DEUM esse, convinci per æternam Rationem, quæ erit æterna, licet nemo illam intelligeret. Et infrà : *Cùm mundus factus est ratio habuit, ut fieret mundus. Prior ergò ratio quàm mundus. Ea ergò, quæ scivit ratio futura esse subsecuta sunt, ut sit princeps ratio, posteà mundi operatio.* Mox arguit, quod cum æternâ Ratione probetur DEUS æternus, sequi Deum et Rationem esse coæterna. *Nihil ergò ibi primum, et postremum : natura ergò hæc divina simul quodammodo habet Rationem, et DEUM.* Mox quærit an DEUS Rationem, vel Ratio DEUM genuerit ? Et respondit absque contradictione dicendum esse, quòd DEUS Rationem generet ; Interim ait DEUM, et Rationem cointelligi debere ad invicem, sicut Pater intelligitur esse qui habet filium, et filius intelligitur esse qui habet Patrem. Vult dicere, quod licet DEUS Rationem, non Ratio DEUM genuerit, nihilominùs se mutuò inferunt, et ablato uno aufertur et alterum. *Nam et ipsa ratio cum DEO DEUS est. Neque enim DEUS aliquando sine ratione fuit, aut ratio sine DEO. Tunc enim DEUS est, si est ratio, et tunc Filius est, si est Pater, ut si ratio auferatur, sicut dictum est, quod dici fas non est, ne ipse quidem DEUS est.* Et infrà : *Quid enim? an aliquando sinè ratione* ἄλογος *fuit? Quis hoc audeat dicere?* Hæc Evodius ad Augustinum. Ergò ad mentem D. Augustini, Hieronymi, S. Thomæ, Evodii, et aliorum, DEUS, sive Verbum divinum, est ipsa æterna

veritas, et ipsa Ratio, quæ mentem creatam veluti rationem subjectivam ad ratiocinandum movet, ac impellit: ac proindè cùm definimus mentem creatam, quod sit capax rationis, est idem ac esse capacem Verbi, seu illius veræ lucis, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

14. Confirmo meam Sententiam hoc unico argumento, ex processione Verbi desumpto. Quærunt Theologi ex quarum rerum cognitione Verbum Divinum procedat? Et quamvis non desint Auctores, qui dicant procedere, aut ex cognitione solius essentiæ divinæ; aut essentiæ, et simul Patris ac Filii: aut essentiæ, et omnium trium divinarum personarum: aut denique ex cognitione omnium eorum, quæ sunt ad intra, non verò creaturarum. S. Augustinus tamen, Divus Thomas, ac Seraphicus Bonaventura, aliique Theologi nobilissimi talem creaturarum, præsertìm quoad esse possibile, exceptionem, aut limitationem non exprimunt

15. Notentur verba S. Augustini Lib. 11. Conf. Cap. 7. *Verbum sempiternè dicitur, et eo sempiternè dicuntur omnia. Neque enim finitur, quod dicebatur; et dicitur aliud, ut possint dici omnia; sed simul, ac sempiternè omnia.* Et paulò post: *Et ideò Verbo tibi coæterno simul, et sempiternè dicis omnia quæ dicis: et fit quidquid dicis: ut fiat.* Notetur particula universalis quater replicata. In quibus verbis et hoc discrimen adverte. DEUS æternaliter suo Verbo omnia dicit, etiam purè possibilia, sed non omnia fiunt: Quia nimirùm, licet omnia dicat, et exprimat (quantum ad notitiam) non tamen omnia sic dicit, ut fiant. Et Libro 15. de Trinit. Cap. 13. ait: *Verbum DEI natum esse de Patris Scientia, et Sapientia.* Quis autem dubitat, Patris Scientiam, ac Sapientiam complecti omne cognoscibile, ergò ad mentem S. Augustini Verbum procedit ex notitia omnium rerum.

Et ita quoque tenet Doctor Angelicus 1. p. q. 34. a 1. ubi sic ait, ad 3. *Pater enim intelligendo se, et Filium, et Spiritum sanctum; et omnia alia, quæ ejus Scientia continentur, concipit Verbum: ut sic tota Trinitas Verbo dicatur, et etiam omnis creatura.* Et articulo 3, in Responsione sic dicit: *Respondeo dicendum, quod in Verbo importatur respectus ad creaturam. DEUS enim cognoscendo se cognoscit omnem creaturam. Verbum igitur in mente conceptum est repræsentativum omnis ejus, quod actu intelligitur... DEUS uno actu, et se, et omnia intelligit, unicum Verbum ejus est expressivum, non solùm Patris, sed etiam creaturarum.* Hæc D. Thomas. Quem tamen alii aliter interpretantur, ne dicere cogantur, quod Scientia visionis, quæ est actus liber, præcedat ratione generationem Verbi, quæ est

necessaria. Unde sentio cum Tannero ad minimum certum esse, quòd Verbum procedat ex illâ cognitione Patris, quæ saltem identicè et realiter sit cognitio omnium : imò loquendo de creaturis quoad esse possibile, ac necessarium (quo sensu tantummodo possunt esse objectum naturalis scientiæ) etiam formaliter.

16. Cùm ergò DEI Verbum, procedat formaliter ex cognitione omnis entis necessarii, habebit quoque vim expressivam omnis entis necessarii : ac proinde eò ipso per talem vim expressivam, quam unà cum essentiâ Divina recipit, constituetur essentialis prima objectiva Ratio, idea, et exemplar omnium rerum : et Lux, ac vita hominum, et cujuslibet mentis creatæ, eamdem ad ratiocinandum, et ad omnem rationalis vitæ actum eliciendum interiùs permovens. Illa quippe est essentialis, ac prima objectiva Ratio cujuslibet entis, quam primum intelligens primò concipit, intelligit, et exprimit. (Nec enim primum intelligens aliunde, seu à rebus, veritates recipit, sed potiùs easdem per suum primum, et immutabile intelligere veluti ex se parturit. Et quidquid per illud suum æternum, ac primum necessarium intelligere exprimit, ac vocat, *illud est nomen ejus*, et vera ratio, ac definitio). Ergò Verbum Divinum, ratione hujus virtutis expressivæ, erit illa objectiva Ratio, cujus mens rationalis capax dicitur.

17. Dices : mens creata est naturaliter capax Rationis, ergò si Verbum est Ratio, erit naturaliter capax Verbi, ergò etiam totius SS. Trinitatis, cùm non sit potior causa cur naturaliter sit capax unius personæ quàm alterius : sed consequens non est dicendum : quia Mysterium Trinitatis transcendit vires, et capacitatem totius naturæ. ℟ ad 1. sequelam cum distinctione, ergò erit naturaliter capax Verbi quoad essentialia ipsius, (seu naturam divinam, ac ipsum essentiale intelligere, et primam rerum expressionem : quâ et ipsum Verbum procedit et generatur) concedo : quoad notionalia, ac relationem personalem, nego. Vis enim expressiva rerum convenit Verbo ratione essentiæ et primæ intellectionis, quæ est prædicatum commune. Unde quoque superiùs dixi Rationem objectivam, cujus natura rationalis capax dicitur, esse realiter loquendo, ipsammet immutabilem DEI essentiam : et hoc prædicatum solum attribui Verbo per appropiationem. Præsertim, cùm non desint Theologi, qui tenent etiam essentialiter posse dici Verbum in Divinis. *Verbum DEI est Duplex* (inquit Cornelius de Lapide cit. loc. post S. Thomam 1. d. 27. q. 2. a. 2. cum Capreolo et Ferrariense) *unum essentiale, quod est ipsa intellectio Patris, quam cum essentiâ, intellectu, et voluntate*

communicat Filio, et Spiritui sancto. Alterum est notionale, quod est Verbum à Patre productum, et persona subsistens, scilicet Filius, de quo hic agit Joannes. Addit tamen strictè ac propriè solum notionaliter dici Verbum. Quidquid sit de hâc nominis controversiâ : mens mea alia non est, quàm nomine Verbi, seu Rationis objectivæ, naturam rationalem specificantis, Divinam essentiam, Divinumque primum intelligere importari, quo sicut ipsum DEI Verbum gignitur; ita quæcumque, veritas objectiva (cujus natura rationalis capax est) in suo esse constituitur, et veluti procreatur (sed non per realem distinctionem ab ipso intelligente, cum quo idem est).

18. Et si quæras, quomodo Ratio objectiva, quæ sua raditione naturam rationalem constituit definienda sit, si tamen definibilis est. Dico sic posse describi : Quòd *sit æternum, et incommutabile quid, definitivum, ac æternaliter determinativum omnis quæstionis de vero aut falso, de justo, aut injusto, de possibili aut impossibili : existens incommutabilis lex essendi, lux intelligendi, regula volendi, quod solùm dat menti creatæ ratiocinari, ac intellectualiter vivere.* Et eoipsò quia aliquid æternum et immutabile est, debet esse aliquid Divinum. Hanc definitionem capies ex dicendis.

SECTIO II.

QUÆ SINT POTENTIÆ, SEU FACULTATES ANIMÆ RATIONALIS ?

SUMMARIUM. — 19. Anima rationalis, vegetativa quoque est, ac sensitiva. — 20. Potentiæ nobis communes cum plantis quæ? — 21, Potentiæ communes cum bestiis sunt omnes sensus. — 22. Uterque appetitus sensitivus : potentia locomotiva. — 23 Vires animæ juxta Medicos. — 24. Quæ sint potentiæ hominis propriæ? — 25. Ex actuum experientiâ probantur.

19. Ut animum Lectoris ad intelligentiam mei principalis argumenti melius disponam, animæ nostræ vires, ac facultates breviter enumerare volui, ut inde intelligat, quid sibi ut enti rationali proprium : et quid sibi cum cæteris viventibus commune sit. Pro quo noveris animam, quæ in homine unica est, non solum rationalem esse (quo et DEO, et Angelis præ cæteris entibus viciniùs appropinquamus) sed etiam vegetativam (quo plantis assimilamur) et sensitivam (quo bestiis similes efficimur) sive dein formaliter, ut multi sentiunt, sive eminenter, ut volunt alii. Ac proindè anima hominis suâ informatione communicat homini non solas vires rationales, sed

vegetativas quoque, et sensitivas. Quæ licet omnes ipsum totum hominem pro subjecto denominationis habeant (totus enim homo dicitur non solùm vivere, et sentire; sed etiam intelligere) tamen solæ posteriores (id est, vegetativæ, et sensitivæ, quas potentias conjunctas appellamus) insunt toti composito veluti subjecto inhæsionis : rationales enim facultates insunt, soli animæ : quæ idcircò potentiæ separabiles appellantur, quia possunt unà cum animâ separari à corpore. Porrò anima hominis, quatenùs vegetativa, et sensitiva est, (sive quatenùs corpus informat, illudque vegetat, ac sensificat) simpliciter anima vocatur, ut superiùs insinuatum fuit : sed quatenùs rationalis est, juxta quod partialem suam habet subsistentiam, quâ per se separata conservari potest, honoratiori titulo nominatur, videlicet animus, seu mens, ac spiritus. Sed nunc in specie de animæ potentiis.

20. Dico ergò 1. Facultates, seu vires animæ nostræ, quas communes cum plantis habemus, sunt istæ. Prima est potentia nutritiva, quâ nutrimur. 2. Augmentativa, quâ augmentamur. 3. Generativa, quâ simile producitur. Quibus inserviunt quatuor potentiæ administræ, quæ alimentum attrahunt, retinent, concoquunt, expellunt. Galenus his quatuor alias tres adjungit, videlicet appetentem, distribuentem, secernentem. Nulla de his occurrit difficultas.

21. Dico 2. Facultates Animasticæ, quibus cum bestiis convenimus, sunt omnes sensus externi, et interni; uterque appetitus sensitivus, concupiscibilis, et irascibilis; ac potentia locomotiva. Quarum omnium evidentem experientiam habemus : nam experimur, non minùs quàm bestias, nos omnia sensibilia, quando sunt præsentia, per exterius corporis organum sensibiliter advertere, seu cognoscere (eadem videndo, audiendo, gustando, odorando, tangendo.) Imò ulteriùs experimur, nos eadem sensibilia etiam interiori cerebri organo non solùm præsentia, sed etiam absentia, per speciem, seu imaginem, sensibiliter, ac phantasticè intus repræsentare : et hoc tum per sensum communem (qui omnia intus percipit, dum sensus externi ea foris percipiunt) tum per imaginativam [quæ rem exteriùs sensatam etiam absentem intus effingit] tum mediante phantasiâ (quæ non solùm intus efformat exterius sensata : sed etiam ex compositione dictarum formarum sensatarum novas effingit, v. g. montem aureum) et æstimativam (quæ brutalis sagacitas dicitur, quâ discernuntur convenientia et disconvenientia : sic ovis fugit lupum, sequitur pastorem.) Ac denique per memoriam (quæ res sensatas diu retinet, ut illarum sensibiles imagines iterùm recurrere possint.) Et vocatur

memoria sensitiva, ad distinctionem memoriæ intellectivæ, quæ etiam spiritualium rerum potest recordari.

22. Porrò ad instar naturæ bestialis non solùm objecta sensibilia intus, et foris sensibiliter per sensus cognoscimus ; sed etiam sensibiliter ab iis in corde per appetitum sensitivum [concupiscibilem et irascibilem] movemur, et afficimur, ea prosequendo, aut fugiendo. Advertimus enim, quòd in nostro corde sensibiliter amemus, oderimus, desideremus, fugiamus, seu horreamus ; delectemur, ac doleamus, seu affligamur (et hæ sunt 6. passiones ad appetitum concupiscibilem spectantes) insuper quòd sensibiliter speremus, timeamus, audaces simus ; et de re difficili sensibiliter desperemus : ac irascamur (quæ omnia spectant ad appetitum irascibilem.) Et hi actus, propriè loquendo, passiones appellantur Communicamus insuper cum iisdem bestiis in potentiâ locomotiva, quâ et progredimur, et singula membra movemus, sicut oculis patet.

23. Hæc omnia recensita sicut ad meum Scopum minùs conducunt, ita nec probatione indigent : et Philosophis, ac Medicis discutienda relinquo. Et solùm per transennam observo, quòd Medici paulò aliter quàm Philosophi vires præfatas distribuant. Cùm enim Medici considerent animam rationalem non per se, sed in ordine ad corpus, ac sanitatem corporalem, eò quoque divisionem potentiarum dirigunt. Et ità generatim vires animæ distinguunt in facultatem animalem, vitalem, ac naturalem Primam, aiunt, originem trahere à cerebro, secundam à corde, tertiam à jecore. Ad vim, seu facultatem animalem, reducunt omnes sensus externos, et internos ; utrumque sensibilem appetitum, cum suis undecim passionibus ; potentiam loco motivam ; et facultatem, quæ spiritus animales conficit, et dispensat. Ad facultatem vitalem verò reducunt facultatem, quæ movet cor ; et eam, quæ movet pulmones, seu facultatem respirandi ; virtutem motricem arteriarum, virtutem ad conficiendos spiritus vitales : et vim conservativam caloris naturalis. Ad tertiam denique, seu facultatem naturalem, juxta Medicos spectat vis nutritiva, augmentativa, generativa, cum facultatibus administris. De quibus vide suprà.

24. Dico 3. Facultates animæ rationalis à corpore separabiles, quibus à plantis, ac bestiis distinguimur, sunt numero tres : videlicet, intellectus, voluntas, et memoria, quam dicimus intellectivam, seu spiritualem. Et insunt non corpori, aut toti composito, sed ipsi soli, ac nudæ animæ ; sive animo, ac spiritui, seu menti. An verò insint per identitatem realem, ut vult Scotus : vel per realem distinctionem,

ut tenet D. Thomas, non est hujus loci determinare. Sicut autem per has rebus corporalibus omnibus longissimè antecellimus, ita quoque per easdem dignitatem æmulamur Angelicam ; ipsiusque SS. Trinitatis expressa imago constituimur : faciuntque nos rerum æternarum, ac immutabilium, seu Divinarum, capaces.

25. Dari autem in homine has tres spirituales facultates ex actibus earum manifestiùs experimur. Siquidem advertimus, nos intùs percipere (tum primitùs cognoscendo, tum de jam cognitis denuo recordando) non solùm sensibilia sensibiliter [sicut et ipsi canes percipiunt] sed etiam tum ipsamet sensibilia intelligibiliter [ut cum eadem in abstracto concipimus] tum multa alia purè spiritualia, et omni corporeitate, ac sensibilitate carentia [v. g. DEUM, Angelos, animos, virtutes, aliaque accidentia spiritualia, etc.]. Quæ omnia sicut ab omni quantitate, aut corporeitate abstracta, sine motu, situ, loco, tempore, aliisque sensibilibus, et corporeis accidentibus spiritualiter valemus cognoscere, ita quoque ab iisdem modo spirituali advertimus nos moveri, et affici : absque eo, quòd ulla corporis, vel sensûs immutatio necessariò intercurrat. Ut cùm per intellectum, aut memoriam de rebus spiritualibus, ac divinis meditamur ; cum mediante voluntatis affectu virtutes amamus, odio presequimur vitia, sapientiam exoptamus, à malorum societate aversum animum gerimus, de benefactis gaudemus, de commissis peccatis tristamur : speramus cœlestem beatitudinem consequi, timemus DEUM offendere : desperamus de propriis viribus, animum concipimus de divino adjutorio, ac contra impedimenta salutis intùs in animo excandescimus. Quæ omnia cùm modo spirituali, et intelligibili fiant, aut fieri possint ; evidenter innuunt, quòd sint actus aliarum spiritualium potentiarum : sensus enim, et appetitus sensitivus nequeunt aut spiritualia, aut corporea, vel sensibilia modo abstracto, et spirituali concipere : quidquid enim sensus concipiunt totum apprehendunt cum appendicibus illi adhærentibus, scilicet cum quantitate, qualitate, motu, situ, loco, tempore, etc., et ipsæ passiones appetitûs sensitivi fiunt semper cum aliquâ sensibili corporis, vel carnis immutatione : subjectantur enim in organo corporeo et carneo, id est, in corde : et ibi sensibiliter advertuntur. Quod tamen in mentis operationibus [quæ soli animæ insunt] non necessariò contingit : quamvis plerumque ob sympathiam potentiarum animæ, dum operatur mens [sive per intellectum, aut memoriam cognoscendo, sive per voluntatem appetendo] et ipsi sensus et appetitus sensitivus simul operentur. Hinc juxta Aristotelem 3, de Animâ. *Intelligentem necesse est speculari*

phantasmata. Sed hoc non est de necessitate operationis mentalis. Unde etiam dicere solemus, ad Sacramentum pœnitentiæ sufficere dolorem voluntatis, id est, intelligibilem : nec requiri sensibilem, aut ut in sensu, vel corde sensibiliter advertatur.

SECTIO III.

DUBIA QUÆDAM CIRCA POTENTIAS ANIMÆ RESOLVUNTUR.

SUMMARIUM. — 26. Quid animæ varia nomina significent? — 27. Quid anima, animus, spiritus, mens? — 28. Unde lex spiritûs et membrorum? — 29. Differentia inter animam, et animum. — 30. Animæ ac spiritûs mutua effectuum contrarietas. — 31. Se invicem qualiter sublevent?

26. Cum anima rationalis, ejusdemque spirituales, seu propriæ, ac eidem soli inhærentes facultates, tam variis, ac diversis nominibus appellentur; præsertim apud Theologos, et eò plus apud Mysticos, dubitatur, quid per illorum singula debeamus intelligere : aut quid distinctionis illorum intercurrat? quid nimirùm sit anima, quid animus, quid spiritus, quid mens : quid pars animæ intellectiva : quid pars affectiva : quid intelligentia, quid apex mentis [vel ut alii fundum, seu centrum, vel scintillam animæ vocant : aut etiam supremam spiritûs portionem] quid ratio superior, quid inferior : quid intellectus agens, quid passibilis, seu possibilis : quid intellectus speculativus et practicus : quid voluntas ut appetitus naturalis, et quid voluntas ut appetitus liber, seu liberum arbitrium : denique, quid veniat nomine habitûs principiorum speculativorum [quem etiam intellectum appellant] et quid nomine habitûs principiorum practicorum [quem syntheresim vocamus]. Respondeo generaliter : licet plæraque ex recensitis non leves difficultates involvant, quæ fusiori stylo ab Animasticis dissolvuntur : quia tamen non omnia meum intelligentiæ solem concernunt, et simul plæraque ex dictis non strictè, sed aut formaliter, aut solis respectibus differunt : ideò quatenùs ad meum præfixum scopum novero deservire, ea breviori, ut sequitur declaro compendio.

§. I.

Quid anima, animus, spiritus, et mens?

27. Ut hæc, et sequentia faciliùs intelligas, scire debes in animâ rationali, seu mente creatâ quatuor generaliter reperiri, videlicet

essentiam, potentiam, habitum, et actum, sive operationem. Unde recensiti termini omnes ad unum ex his quatuor necessariò spectare debent, nec possunt aliquid ab iis omnibus realiter distinctum significare : et ideò aut significabunt ipsam animæ essentiam, aut unam ex tribus potentiis ipsius : aut denique animæ habitum, vel actum. Itaque.

Dico primò, quòd anima, animus, spiritus, ac mens eamdem rem [id est, essentiam animæ] sed sub diversis respectibus importent. Anima quippe vocatur, quatenùs refertur ad informandum, et animandum corpus : quo sensu hominem animalem, et sensualem, et ea quæ sunt carnis sapientem constituit : unde plus deprimit, quàm elevet. Animus verò, spiritus, ac mens [quæ suo modo, etiam Angelis, imò et ipsi DEO conveniunt] eamdem significant animam, sed ut per se acceptam, quatenùs nata est per se separata subsistere, quo sensu hominem à corporeis, et sensibilibus elevat, et eumdem spiritualem, et ea, quæ sunt spiritus appetentem efficit.

28. Ex hoc duplici diverso effectu formali rationalis animæ consurgit illa duplex lex spiritûs, et memborum ; sive rixa illa continua inter spiritum, et carnem ; quam advertunt omnes, quorum mentis speculum, non omninò deturpatum est : de qua loquitur S. Paulus Rom. 7. v. 23. Quam et Divus Augustinus advertebat constitutus in primo suæ conversionis vestibulo. De quà sic habet Lib. 8. Confess. Cap. 5. *Velle meum tenebat inimicus et inde mihi catenam fecerat, et constrinxerat me. Quippe ex voluntate perversâ facta est libido, et dum servitur libidini, facta est consuetudo, et dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas.* Hoc de malâ voluntate, nunc de bonâ priori contrariâ. *Voluntas autem nova, quæ mihi esse cœperat, ut te gratis colerem, fruique te vellem DEUS sola certa jucunditas ! nundum erat idonea ad superandam priorem vetustate roboratam. Ita duæ voluntatates meæ, una vetus, alia nova : illa carnalis, illa spiritalis confligegebant inter se, atque discordando dissipabant animam meam. Sic intelligebam meo ipso experimento id, quod legeram, quomodo caro concupisceret adversùs spiritum, et spiritus adversùs carnem.* Hæc Augustinus de carnis et spiritûs mutuâ luctâ.

Porrò inter animum, spiritum, et mentem aliqua differentia reperitur, *animus* quippè virtutem indicat, non autem *spiritus* : *Mens* verò dicit respectum ad DEUM, ac Divina, quatenùs illorum capax est. Undè Divus Thomas Tom. 8. q. 10. de mente a. 1. ait : mentem esse idem ac id, quod est altissimum in virtute animæ, quæ cum sit imago DEI, et hoc contingat per memoriam, intelligentiam, et amo-

rem, [quæ sunt potentiarum actus] sic putat nomine mentis, non tam essentiam animæ, quàm ejus potentias significatas venire. Quidquid sic de hâc nominis quæstione : moraliter hoc addiscimus, quòd anima, quatenùs ad corpus informandum refertur, ut sic hominem deprimat infrà se : sed quatenùs animus, ac spiritus est, nos à rebus corporeis disjungat, et nos intra nos, et ad ipsum animæ spiritualem decorem reflectat : denique ut est mens, nos suprà nos transportet ad invisibilia DEI, ut non solùm divinorum capaces, sed etiam eorumdem participes fiamus.

29. Dulciùs loquatur Bernardus de vita solitaria post medium : *Anima,* inquit, *est res incorporea, rationis capax vivificando corpori accommodata. Hæc animalis constituit homines, quæ carnis sunt sapientes, sensibus corporis inhærentes. Quæ ubi perfectæ rationis incipit esse non tantùm capax, sed et particeps, continuò abdicat à se nomen generis fœminini, et efficitur animus, particeps rationis, regendo corpori accommodatus, vel seipsum habens spiritus. Quamdiu enim anima est, citò in id, quod carnale est effœminatur. Animus verò, vel spiritus, non nisi quod virile et spirituale meditatur.* Et infrà. *Fit autem bonus animus, et rationalis diligens Dominum suum in toto corde suo, et in totâ animâ suâ, et in totâ mente suâ, et in omnibus viribus suis, et non nisi in ipso seipsum, et proximum suum sicut seipsum. Hæc* (ratio) *semper exerceri amat, in eo, quod utile est, et honestum ; exercitio proficiens ; desidiâ verò in semetipsâ marcescens. Nullum verò digniùs, et utiliùs exercitium est homini, eam,* [rationem] *habenti, quam in eo, quod melius habet, et in quo cæteris animalibus, et cæteris partibus suis præeminet, quæ est ipsa mens vel animus. Menti verò, vel animo, cui cætera pars hominis regenda subdita est, nec digniùs est aliquid ad quærendum, nec dulciùs ad inveniendum, nec utilius ad habendum, quam quòd solam ipsam mentem superemineet, qui est solus DEUS. Nec longè est ab unoquoque nostrum, quia in ipso vivimus, movemur, et sumus — per fidem — per spem — per amorem.* Et infrà : *Ipse* [animus] *imago DEI est. Et per hoc, quòd imago DEI est est, intelligibile ei fit, et se posse, et debere inhærere ei, cujus imago est. Ideò, et si in terris regit corpus sibi commissum : meliore tamen parte sui scilicet memoriâ, intelligentiâ, et amore : ibi semper conversari amat. Unde quidquid est, quidquid habet, se novit accepisse, et ubi in perpetuum se mansurum, et cum plena DEI visione, plenam DEI similitudinem adepturum, sperare ei licet.* Ita dulcissimè mellifluus Doctor.

30. Ex hâc quali quali inter animam et spiritum intercurrente

differentiâ, sequitur utriusque mutua effectuum contrarietas : In quantum enim anima, ejusque effectus corporeæ ac sensualis vitæ roborantur, et fortes convalescunt; in tantum spiritus, et ejusdem spiritualis vitæ fervor tepescit, ac debilitatur, et è contra. Anima quippe tanquam forma carni conjuncta, in omnibus carni compatitur, et omnes potentias, etiam superiores, ad hanc versus carnem favorabilem compassionem inclinat. Spiritus verò, tanquam substantiâ naturâ suâ à carne separabilis, prosapiæ suæ condignas actiones, carnis sensualitati contrarias, æmulatur.

31. Interim quamvis anima et spiritus contraria soleant concupiscere, non tamen eòusque contrariantur, quòd unius defectus non sublevetur per robur alterius. Unde sœpius contingit, hominem tunc potentem fieri cùm carne infirmatur (2. Cor. 12. v. 18.). Et quòd sæpius *in exterioris hominis corruptione interior renovetur de die in diem;* quo fit, *ut gustatâ requie spirituali, et affluentia deliciarum DEI, in spe beatitudinis futuræ omnia aspera et gravia releventur ac deliniantur,* (ut loquitur expertissimus Augustinus, Serm. 9. de Verbis Domini.) Et hinc mirari non debemus, quà esse potuerit, ut tot innumerabiles Sancti, non obstante rigore vitæ tam stupendo, ad plurimos annos, ad usque senectam et senium vitam mortalem duxerint : cùm eos constet vix sufficientia ad sustentationem naturæ de cibo, potu, somno, vestitu, aliisque corporeis commoditatibus accepisse. Prout S. Petrus de Alcantara, cujus hodie [cum hæc scribo]. Festum celebramus, ad usque 63. ætatis annum, non dicam corporis vitam, sed continuam carnis mortem, ac incredibilem carnis mortificationem inter jejunia perpetua, flagella cruenta, cilicia fermè inhumana, solo unius et mediæ horæ somno contentus perduxit. Quæ de Antonio, Paulo, Hilarione Eremitis leguntur, ut nota suppono. Quæ horum longioris vitæ ratio ? Sine dubio Gratiæ DEI primas nos hîc concedere oportet. Sed nec ratio naturalis abest, si pensetur hominis mortalis conditio, qui cùm constet et carne et spiritu, dum unum debilitatur, alterum invalescit, atque alterius defectum supplere potest : ut si caro ex se deficiat, ac roberetur spiritus, idem robur etiam in vitam corporalem redundet. Natura quippè delectationibus assueta facilè contenta sopitur, modò non ab omni prorsus delectatione excidat. Facilè enim unius facultatis inopia suppletur per alterius copiam. At si contingat naturam ab omni tali cibo, ac lenimento privari, certò certius eam succumbere necessum erit. Et hinc Religiosorum proverbium : Der Mensch muß einen Trost haben.

§. II.

Quid Pars animæ intellectiva et affectiva : et quid intelligentia?

SUMMARIUM. — 32. Quid Pars intellectiva et affectiva? — 33. Quid intelligentia?

32. Dico : Animam rationalem, tanquam spiritum naturâ suâ indivisibilem, nullas posse habere physicas, aut integrantes partes : unde quoties eadem, vel aliqua spiritualis ejus potentia in partes, seu portiones dividitur, totum intelligendum est non divisione molis, sed virtutis ac potentiarum, seu diversarum virium ejusdem potentiæ. Et proindè intellectus ac memoria efficiunt partem intellectivam; voluntas autem partem affectivam. Vide D. Thomam 3, p. q. 46. a. 7. Et hoc sensu ipsemet intellectus, seu potentia intellectiva, juxta gradus suæ virtutis, ac diversum modum in attingendo sua objecta, dividitur a variis in varia membra, v. g. in intellectum simpliciter, in rationem [eamque superiorem, vel inferiorem] in intelligentiam, in supremam animæ portionem, sive apicem mentis, etc. Quorum terminorum non est eadem expositio apud omnes. S. Bonaventura in Centiloquio P. 3. sect. 23. sic ait : *Anima sensu percipit corporea : imaginatione corporum similitudines : ratione corporum* [et corporearum rerum, ut habuit suprà] *naturas : intellectu spiritum creatum ; intelligentiâ spiritum increatum.* Hæc D. Bonaventura.

Sed quæres quid propriè loquendo sit intelligentia? Respondetur cum D. Thoma 1. p. q. 79. a. 10, esse potiùs actum quàm potentiam : quamvìs et ipse intellectus, quatenùs ad hunc actum eliciendum ordinatur, possit quoque nominari intelligentia, velut in actu primo : quo sensu S. Bonaventura citato loco ait : *Intelligentia est ea vis animæ, quæ immediate supponitur DEO.* Sed hoc modo videretur coincidere cum apice mentis. Boëtius apud D. Thomam loco citato accipit intelligentiam pro actu intellectûs, qui transcendat actum rationis. Latiùs sumit intelligentiam Aristoteles 3, de Anima, scilicet pro notitiâ incomplexâ simplicium terminorum : Unde ait : *Intelligentia est indivisibilium, in quibus non est falsum.* Alii restringunt actum intelligentiæ ad evidentem, et immediatam, ac discursu carentem notitiam primorum principiorum. Tamen latiùs alii hoc nomen usurpant pro quovis evidenti rationis actu, obscuro actui fidei contradistincto ; sive dein sit definitiva rei apprehensio, aut evidens judicium, aut evidens consequentia. Quo sensu conveniunt intelli-

gere, et intelligentia. Et respiciunt fidem, sive actum credendi, sicut videre respicit audire. Unde sicut credere, seu fides gignitur ex auditu ; ita ipsum intelligere, seu intelligentia fit per mentis aspectum. Et sub hoc sensu aio per decursum Libri, intelligentiam esse munus DEI, ac fieri ex immediata illustratione SOLIS INTELLIGENTIÆ. Denique ipsi Angeli vocantur intelligentiæ, seu mentes.

§ III.

Quid sit apex mentis, seu fundus, ac centrum animæ ?

SUMMARIUM. — 34. Quid apex mentis? — 35. Quid D. Bonaventura de apice mentis? — 36. Idem de eodem in Itinerario. — 37. Quid S. Augustinus de apice mentis? — 38. Cur mentis apex asseratur? — 39. Apex mentis comparatur monti Olympo. — 40. S. Catharina de Senis experta fuit. — 41. Concluditur dari apex mentis. — 42. Residet in utraque parte animæ. — 43. Continet seminaria virtutum. — 44. Movetur immediatè à Sole Intelligentiæ.

34. De hoc mentis apice conveniunt Doctores omnes, quòd sit suprema ac nobilissima mentis portio, quidquid tandem illa sit. Unde in varias abeunt sententias, dum alii asserunt esse ipsammet animæ substantiam vel essentiam, in quam solus DEUS illabi possit. Alii verò dicunt non esse substantiam, sed potentiam : non tamen distinctam ab intellectu, voluntate et memoria. Nec desunt, qui sentiant esse potentiam omninò ab illis tribus distinctam. Denique sunt aliqui, qui dicant esse habitum principiorum, et præsertim practicorum, quem appellamus syntheresim. Horum controversiam ego decidere nolo, maneat cuique sua probabilitas. Saltem dico certum esse, quòd apex mentis adæquatè acceptus ad utramque partem animæ spectet, licèt sensu mystico principaliùs ad affectivam. Et utroque modo significat id, quod in spiritu nostro supremum est, sive supremam ac nobilissimam animæ rationalis, seu mentis creatæ virtutem, quâ mens nostra immediatè ab ipso DEO, ejusque veritate et bonitate mobilis est.

35. De hoc mentis apice, quatenùs partem affectivam tangit, sic loquitur Divus Bonaventura in mystica Theologia Quæstione unica, post medium (vel quisquis Operis Auctor est) *Spiritus sanctus per ignem amoris tangit, et inflammat supremum affectivæ apicem ; et indicibiliter sine omni cogitatione, vel rationis discretione ad se trahit. Undè sicut lapis suo pondere trahitur, et fertur naturaliter ad suum centrum inferiùs : sic apex affectûs suo pondere, et directione imme-*

diatè, et sine obliquâ obliquatione, absque omni previâ, vel concomitante cogitatione [NB. fidei tamen actum non excludit, ut patet totam quæstionem legenti] *sursum fertur in DEUM Undè illa potentia, quæ est affectus, et supremum in spiritu hominis. Spiritui sancto immediatè amoris vinculo est unibilis. Et hæc potentia, ut est supremum in spiritu, quasi ab omnibus ignoratur, nisi ab illis, in quibus ab igne Sancti Spiritûs immediatè affectus tangitur, et movetur. Undè secundùm istam virtutem motam à Spiritu sancto immediatè, est multò major de DEO cognitio, quam per omnem intellectum vel rationem investigando. Undè primùm tangitur supremus apex affectûs, secundùm quem movetur per ardorem in DEUM, et ex isto contactu relinquitur in mente verissima cognitio intellectûs : nam illud solùm, quod sentit de Divinis, verissimè apprehendit intellectus, — Ex quâ etiam unitione ingenium ad investiganda occulta mirabiliter clarescit.* Hæc S. Doctor, vel quisquis Auctor est. Qui deinde placita utriusque Theologiæ, Scholasticæ et Mysticæ (apparenter contraria) pulcherrimè conciliat.

36. De hoc eodem mentis apice, et ejus actu tractat Doctor Seraphicus in aureo suo Libello, Itinerario mentis, Cap. 7, his verbis : *In hoc autem transitu* (seu mentis excessu) *si sit perfectus, opportet quòd relinquantur omnes intellectuales operationes, et apex affectûs totus transferatur, et transformetur in DEUM. Hoc autem est mysticum, et secretissimum, quod nemo novit, nisi qui accipit : nec accipit, nisi qui desiderat, nec desiderat, nisi quem ignis Spiritûs sancti medullitùs inflammat, quem Christus misit in terram.* Hæc Seraphicus Doctor verè seraphicè. Quid Angelicus Doctor sentiat de hoc apice, vide infrà de syntheresi, si nimirùm idem esse dicatur apex et syntheresis.

37. Sed nec Magnus Augustinus hunc supremum mentis apicem reticuit. Sic enim loquitur Lib. 10. Confess. Cap 7. *Quid ergo amo, cùm DEUM meum amo ? Quis est ille, super caput animæ meæ? Per ipsam animam meam ascendam ad illum.* Caput animæ est vertex, et apex animæ, in quo DEUS animæ Rector velut in Regiâ suâ inhabitat. Et ecce, quâ viâ, et quot gressibus sanctus Vir ad hanc Divinam Regiam ascenderit, et quidem non aliâ scalâ, nisi mentis vel animæ suæ ! initio videlicet facto à primo ejus gradu vegetantis animæ : inde ad vim exteriùs sentientem, ulteriùs ad internam vim imaginantem, memorantem, judicantem, intelligentem, etc. Sic enim dicit præfato Capite. *Transibo vim meam, quâ hæreo corpori, et vitaliter compagem ejus repleo* [sed in hoc primo gradu] *non eâ vi reperio*

DEUM meum, nam (aliàs etiam) *reperiret equus et mulus, quibus non est intellectus — Est et alia vis non solùm, quâ vivifico, sed etiam sensifico carnem meam* (sed nec in hoc gradu est DEI Regia). *Nam et hanc habet equus et mulus. — Transibo ergò* (Cap. 8.) *et istam vim naturæ meæ gradibus ascendens ad eum, qui fecit me cum eâ, et venio in campos, et lata prætoria memoriæ meæ, ubi sunt thesauri innumerabilium imaginum, etc.* (sed nec hîc, id est, in sensitivâ memoriâ, seu vi imaginativâ DEUS inhabitat. *Habent enim memoriam et pecora et aves! alioquin non cubilia, nidosve repeterent,* ut dicit Cap. 17.) *Atque ita gradatim* (Lib. 7. Cap. 17.) *à corporibus ad sentientem per corpus animam : atque inde ad ejus interiorem vim, cui sensus corporis exteriora nuntiaret, quousque possunt bestiæ. Atque inde rursus ad ratiocinantem potentiam, ad quam refertur ad judicandum quod sumitur à sensibus corporis* (sed nec ista est suprema Cœli Regio, seu DEI Regia : Quare? sequitur). *Quæ se quoque in me comperiens mutabilem, erexit se ad intelligentiam suam,* (omnia videlicet imaginum phantasmata, et ad ipsum sublimissimum mentis culmen ascendendo) *subtrahens se à contradicentibus turbis phantasmatum, ut inveniret quo lumine aspergeretur, cùm sine ulla dubitatione clamaret, incommutabile præferendum esse mutabili, unde nosset ipsum incommutabile, etc.* Modò tandem Beatus Vir appulsus fuerat ad Regiæ vestibulum, *Al Antecamera.* Sic enim concludit : *Tum verò invisibilia tua (ac dulce lumen DEUM cordis Dei,* ut alibi vocat) *per ea, quæ factæ sunt intellecta conspexi, sed aciem figere non valui, etc.* Hæc Augustinus de mentis culmine.

38. Ratio concedendi hoc animæ intimum centrum, aut supremam hanc spiritûs portionem, multiplex à Theologis Mysticis assignatur, cùm enim viri in rebus divinis multùm experti longiori usu advertant sæpiùs contingere, quòd tempore sterilitatis ac tentationum, anima fermè tota (tam quoad partem affectivam, quàm intellectivam) obruatur, et veluti obcæcata fiat, ac indurescat : ita ut non sola sensualitas totaliter exteriùs succumbere videatur, sed etiam ipsa interior rationalitas densis tenebris occupetur : ita quidem, ut nec à memoriâ, nec ab intellectu, nec à voluntate, nec à ratione inferiori, aut superiori, quidquam lucis, aut lenimenti animæ sensibiliter affulgeat : sed omnia veluti collisa jaceant. Et nihilominùs in hoc ariditatis statu clarissimè advertunt, in culmine mentis et ipsam fidei lucem adhuc splendescere ; et se in imo affectûs fundo, DEO, ac virtuti [licèt omni animæ sensu obstrepente] collectos, ei unitos reperiri. Ex quo colligunt animum hominis inter ipsos turbines inquie-

tudinum quietum; inter ipsas tenebras illuminatum esse posse: licèt non secundùm ullam, aut sensûs, aut virium inferiorum, aut superiorum sensibilem experientiam : cùm hæ ex integro obrutæ sint, sed juxta ipsam supremam spiritûs portionem. Ac proindè licèt DEUS pro illo sterilitatis tempore videatur longiùs ab animâ separatus, [eò quòd secundùm nullum carnis, aut mentis sensum advertatur ejus præsentia] nihilominùs est animæ præsentissimus, existens videlicet pro tunc in ipsomet profundissimo, et maximè intimo fundo, ac centro animæ, ubi se tantisper occultat, *donec transeat iniquitas*, seu acris illa tempestas. Qui denuò in palàm egrediens, et mentem priori quiete, et animam totam abundantiâ pristinâ reimplet, ac fœcundat.

39. Hunc inter medios inferioris partis turbines imperturbatum mentis apicem comparant iidem Græciæ monti Olympo, qui dicitur nubes suo culmine excedere. Ac proindè licèt ejus pars, seu portio inferior, et nubibus, et ventis, et pluviis, et tempestatibus, horrendum in modum quatiatur, supremus tamen montis apex ob nimiam à terrâ versùs cœlum elevationem imperturbatâ luce, ac quiete perfruitur. Idem, aiunt Illi, contingere cum hoc supremo mentis culmine, seu ipsâ supremâ spiritûs, et animæ portione, quamdiu tentationibus non cedit : etiamsi pro interim omnes vires animæ hoc apice inferiores cum Apostolo Paulo egregiè, ac fortiter colaphizentur, et quoad omnem sensum succumbere videantur.

40. Experta fuit D. Catharina de Senis, quæ aliquandò cùm gravissimis, ac fædissimis carnis illecebris quateretur, et simul tota veluti anima horrendis tentationibus obrueretur, iis tandem finitis ac transactis, à Christo sibi mox apparente [à quo se totam derelictam arbitrabatur] hoc tulit responsum, videlicet, se non eam deseruisse, sed pro interim acri illo conflictu durante, in medio cordis ipsius delituisse, ac ne tentationibus consentiret effecisse. Non ergò tempestas illa ad intima usque penetraverat, medium cordis, fundus, ac centrum animæ illæsa et intacta manebant. Et hoc ipsum centrum, hic idem fundus est apex mentis, et suprema animæ portio. *Nam*, ut ait Doctor Seraphicus 2. d. 8. q. 2. *in animâ hominis idem est intimum et supremum*. Vide infrà qualiter explicet ?

41. Ex his, et aliis rationibus, colligunt præfati Viri divinorum experti, necessariò concedendam esse supremam hanc spiritûs et animæ portionem, seu virtutem; cùm impossibile videatur idem secundùm idem esse sumul nubilosum, ac serenum; obtenebratum, ac illuminatum; turbidum, ac limpidum; turbatum, et pacatum :

dejectum, et erectum ; ligatum, ac liberum : DEO quasi refractarium, et simul unitum. Sicut autem suprema hæc mentis portio omnes cæteras animæ facultates transcendit, ita quoque intellectum et voluntatem quà tales : quamvìs fortè ab iis realiter non differat. Et per hanc animæ superiorem virtutem, inquit Nonnemo, *sinus mentis in immensum quasi extenditur, quâ acies contemplantis acuitur.*

42. Porrò, quòd hoc supremum animæ imperturbatum culmen [quidquid tandem illùd esse dicatur] non solâ effectivâ animæ parte collocandum sit, sed in intellectivâ quoque, inde colligitur, quia sicut affectivæ nostræ, seu voluntatis superior pars immediatè mobilis, ac tangibilis est à Spiritu sancto, seu bonitate divinâ : ita quoque ipsius intellectivæ, sive intellectûs nostri purior, et elevatior portio est immediatè perfectibilis à Verbo, seu veritate divina.

43. Imò credo, quòd in hoc utroque apice resideant illa indelebilia virtutum intellectualium, ac moralium prima seminaria, quæ nobis à DEO naturaliter indita inexistunt. De quibus sic loquitur D. Thomas 1 sec. q. 63. a. 1. *Virtus est homini naturalis secundùm quamdam inchoationem — inquantùm in ratione hominis insunt naturaliter quædam principia naturaliter cognita, tam scibilium, quàm agendorum, quæ sunt quædam seminaria intellectualium virtutum, et moralium : et inquantùm in voluntate inest quidam naturalis appetitus boni, quod est secundùm rationem.* Et q. 53. a. 3. Negat habitum primorum principiorum, tam speculabilium, quàm practicorum [qui dicta seminaria comprehendit] ullâ oblivione, aut deceptione corrumpi posse. Quia videlicet supremus apex mentis soli DEO subest, nec ulla creata vis eò pertingere potest.

44. Unde cùm in sequentibus aio, mentem creatam, tanquam naturalem DEI imaginem, à solo DEO immediatè mobilem esse ; solum DEUM eamdem immediatè et alloqui, et illuminare ; solum DEUM superiorem animæ affectum immediatè inclinare, et allicere posse, etc. hoc totum ad præfatum mentis apicem referendum est : à cujus immedità motione omnes alii actus rationales necessariò dependent.

Pro cujus rei confirmatione sufficiat hîc attulisse sensum Doctoris Seraphici 2. d. 8. q. 2. ubi tenet, mentis apicem, ac animæ intimum centrum esse omninò idem : et utrique solum DEUM immediatè illabi posse, intimè in illis operando : non verò aut Angelum, aut dæmonem, minùs aliam creaturam, aut spiritualem, aut corpoream : cùm sit proprietas solius DEI. Sed audiamus verba Seraphica : *Dæmones,* inquit citato loco : *animabus humanis illabi nequeunt, hoc enim solius est DEI, cùm in animâ idem sit intimum, atque supre-*

mum : solus autem DEUS est superior mente humanâ. Hanc Conclusionem sic probat : *Illabi aliquid alicui importat, quòd illud intimum sit ei, et quòd intimè operetur in illo : nihil autem tale est respectu animæ, nisi solus DEUS : ideò solus divinus Spiritus animæ potest illabi. In animâ namque humanâ idem est intimum et supremum : et hoc patet, quia secundùm suum supremum maximè approximat DEO, similiter secundùm suum intimum : unde quantò magis redit ad interiora, tantò magis ascendit, et unitur æternis. Et quia solus DEUS superior est mente humanâ, secundùm sui supremum solus DEUS potest menti esse intimus : et ideò illabi spiritui rationali est Divinæ substantiæ proprium.* Hæc ille.

Ergò juxta D. Bonaventuram, id quod DEUS in rationali creaturâ, seu mente, ac creatâ imagine suâ, immediatè tangit, ac movet illabendo, est illud, quod in nobis est magis intimum, seu magis supremum, et proindè quod est viciniùs DEO [nam res vicinæ se attingunt, non verò remotæ] sed hoc est apex mentis, ergò, etc.

§. IV.

Quid ratio superior et inferior.

SUMMARIUM. — 45. Quid ratio superior et inferior? — 46. Notitiæ certitudo est à solis rebus æternis.

45. Respondeo, per rationem superiorem et inferiorem [realiter et subjectivè, non ut suprâ objectivè, acceptas] nihil distinctum ab intellectu significari, sed esse idem cum illo realiter : cum hâc tamen formali differentiâ, quod dicatur intellectus, quatenùs absque discursu veritatem intuetur : ratio verò quatenùs eamdem per discursum videt. Porrò, si discursus hic procedit à principiis, ac rationibus, seu veritatibus æternis, ac immutabilibus, vocatur ratio superior ; si verò procedat à temporalibus, ac mutabilibus vocatur ratio inferior. Quamvis autem ratio superior directè respiciat æterna, indirectè tamen respicit et ipsa temporalia, de quibus etiam judicat, non quidem ex regulis temporalibus, sed ex suis propriis regulis, videlicet æternis. Undè fit, quòd ratio superior dirigat inferiorem [cum habeat regulas certiores, scilicet æternas, ac immutabiles : regulæ verò rationis inferioris sunt mutabiles, et errori magis obnoxiæ] inferior autem ratio dirigit sensualitatem. Ne tamen ratio superior sit absque regulâ dirigente, cùm et ipsa saltem per accidens errare possit [ob

malam æternorum principiorum applicationem] dirigitur à fide, et exteriùs ab Ecclesiâ.

46. Ex his videas naturalem rationis certitudinem, seu discursum verum, ac notitiam firmam nullam dari, nisi resolvatur in prima principia, ac æternas regulas rationis superioris. Ac proindè notitiæ certitudo non provenit, nisi à rebus æternis. Undè Divus Thomas, de veritate q. 11. de Magistro. a. 1. ad 13, sic ait : *Dicendum, quòd certitudo Scientiæ tota oritur ex certitudine principiorum. Tunc enim conclusiones per certitudinem sciuntur, quando resolvuntur in principia. Et ideò quòd aliquid per certitudinem sciatur, est ex lumine rationis* [videlicet superioris] *divinitùs interiùs indito, quo in nobis loquitur DEUS : non autem ab homine exteriùs docente, nisi quatenùs Conclusiones in principia resolvit, nos docens : ex quo tamen nos certitudinem Scientiæ non acciperemus, nisi inesset nobis certitudo principiorum, in quæ Conclusiones resolvuntur*. Hæc ille. Ergò, certitudo Scientiæ provenit à solis æternis principiis rationis superioris. Ideò autem indiget etiam ratio superior supernaturali dirigente, tum propter res fidei, quæ rationem naturalem excedunt ; tum quia etiam quoad notitias naturales per peccatum originale læsa fuit. Sed de hoc fusiùs alibi. Vide Doctorem Angelicum, quoad utramque rationem citato loco q. 15, per totam, ubi dicit rationem superiorem et inferiorem, esse unam, eamdemque potentiam cum intellectu, et in utrâque posse reperiri peccatum.

§. V.

Quid intellectus agens, et possibilis ?

SUMMARIUM. — 47. Quid intellectus agens et possibilis? — 48. Quid Aristoteles de iis senserit? — 49. Difficultates circa intellectum agentem. — 50. Sensus D. Bonaventuræ. — 51. Mens ejus exponitur. — 52. Quid D. Thomas senserit? — 53. Intellectus agens datur, sed non sufficit? — 54. Ejus insufficientia probatur ex D. Thomâ. — 55. Lumen primorum principiorum potest à solo DEO imprimi. — 56. Qualiter DEUS, et qualiter intellectus agens illuminet? — 57. D. Thomas conciliatur cum S. Augustino. — 58. In solum DEUM referenda est actûs certitudo et infallibilitas. — 59. Denuò D. D. Angelicus et Seraphicus cum S. Augustino conciliantur.

47. Dico, juxta communem sensum Philosophorum, ac Theologorum [insistentium vestigiis Aristotelicis 3, de Anima Cap. 5.] nomine intellectûs agentis significare potentiam, quæ rerum intelligibilitatem à corporeis, et sensibilibus objectis eruat, species intelligibiles ab

iisdem abstrahendo, et per hoc sensibilia intelligibilia efficiendo. Cùm enim intellectus non corporea, sed spiritualis res sit, non potest corporea, ac sensibilia objecta in se per cognitionem recipere, nisi priùs omnem corporeitatem, et sensibilitatem exuerint, et veluti in naturam spiritualem transierint, prout Sectione sequenti fusiùs dicetur [nam *quidquid recipitur, per modum recipientis recipitur*]. Et ad hoc spiritualizationis officium exequendum astruitur intellectus agens. Nomine verò intellectus possibilis significatur potentia intellectiva, quæ per species [aut infusas, aut per intellectum agentem fabricatas] res cunctas percipit, ac intelligit.

48. Sensus Philosophi citato loco sic sonat : *Cum autem in omni naturâ sint quædam, quorum alterum quidem unicuique generi materies est, quod id esse patet, quod est potentia illa cuncta* [hoc spectat ad intellectum possibilem] *alterum vero causa est, et efficiens ; omnia nimirùm efficiendo, atque agendo : talem subiens rationem, qualem ars conditionem ad materiam subit.* [Hisce verbis ostendit intellectum agentem] Unde ut sequitur concludit : *Necesse est et in animâ differentias has easdem inesse. Atque quidem est intellectus talis, ut omnia fiat* [scilicet intellectus possibilis] *quidam talis, ut omnia agat, atque efficiat* [id est, intellectus agens]. Sed quid fuerit, vel ad quid profuerit intellectus agens ? sequitur. *Qui quidem ut habitus est quidam, et perinde atque lumen.* Vult ergò intellectum agentem esse lumen, et officium ipsius esse illuminare objecta, sicut corporeum lumen illuminat colores : Unde subjungit. *Nam et lumen colores, qui sunt potentiâ, actu colores quodammodo facit.* Additque esse potentiam *separabilem ; et non mixtam, passioneque vacare :* ac proinde incorruptibilem. Hæc Aristoteles de intellectu agente.

Difficultates circa naturam, existentiam, et officium intellectûs agentis.

49. Sed his non obstantibus fuerunt et olim, et nunc, ac semper, gravissimæ difficultates circa naturam, existentiam, et præfatum officium intellectûs agentis, cum plerisque semper difficile visum fuerit, qualiter creata facultas valeat rem, naturâ tantùm sensibilem, ac corpoream, intellectualem, et veluti spiritualem efficere ; cùm certum videatur, quòd nec ens corporeum in ens spirituale, nec vicissim ens spirituale in corporale agere possit. Undè plerique ex Antiquis in eam iverunt sententiam, quòd rerum activa intelligibilitas, non in potentiam conjunctam, sed in aliquam separatam intelli-

gentiam refundenda sit [et hanc vel creatam, aut increatam] quo sensu hæc exterior intelligentia officium intellectûs agentis suppleret. Sed hæc opinio modo communiter rejicitur.

50. Audiamus Seraphicum Doctorem 2. d. 24. q. 4. *Philosophi*, inquit, *posuerunt animam rationalem illustrari à decimâ intelligentiâ, et perfici ex conjunctione sui ad illam : sed iste modus dicendi falsus est, et erroneus, sicut suprà improbatum est, dist.* 8. *Nulla enim substantia creata potentiam habet illuminandi, et perficiendi animam, propriè intelligendo : imò secundùm mentem immediatè habet à DEO illuminari, sicut in multis locis Augustinus ostendit. Alius modus intelligendi est, quòd intellectus agens esset ipse DEUS, intellectus verò possibilis esset noster animus. Et iste modus dicendi super verba Augustini est fundatus : qui in pluribus locis dixit, et ostendit, quòd lux, quæ nos illuminat; Magister, qui nos docet; veritas, quæ nos dirigit, DEUS est, juxta illud Joannis :* Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem, etc. *Iste autem modus dicendi et si verum ponat, et fidei Catholicæ consonum, nihil tamen est ad propositum.* Hæc S. Bonaventura, qui mox subjungit. Ideo non esse dictum modum ad propositum, quia et si DEUS in omni actione cujuslibet creaturæ sit principale agens, nihilominùs dedisse *cuilibet suam vim activam, per quam exiret in operationem propriam.* Consequenter et ipsi animæ datam esse vim activam, seu intellectum agentem.

51. Mens Seraphici Doctoris hæc est, quòd solus DEUS exteriùs ac objectivè nos illuminet, sed hoc non obstante præter hunc objectivum DEI concursum admittendum esse aliquod internum, et subjectivum principium, nobis conjunctum; id est, creatum intellectum agentem, qui tanquam causa secunda subserviat principali agenti DEO, veluti causæ primæ. Debet ergò mens hominis, vel ipse intellectus noster possibilis, juxta D. Bonaventuram, à duplici principio actuari, et perfici : Primò interiùs ab intellectu agente, qui unà cum phantasmate producit in intellectu possibili species intelligibiles, veluti instrumenta ad apprehendendum res modo intelligibili, id est, absque corporeis vel sensibilibus accidentibus : Secundò exteriùs et objectivè à superiori vel increato lumine, id est, ab ipso DEO. Unde, Capite tertio Itinerarii mentis in DEUM, dicit : quòd memoria, seu mens nostra non solùm capiat ea, quæ per portas sensuum introire possunt, sed etiam, quæ per sensus non introeunt : ut simplicia, v. g. punctum, instans, unitas, quæ velut principia scita præsupponuntur à scientia mathematica : Item principia complexa, sive dignitates, et universalia axiomata, quæ sunt principia ante omnem scien-

tiam præsupposita : *quia nunquam potest sic oblivisci eorum, dummodò ratione utatur, quin ea audita approbet, et eis assentiat, non tanquam de novo percipiat, sed tanquam sibi innata, et familiaria recognoscat.* Et ideò subjungit, quòd inde appareat, quòd mens nostra *non solùm habeat ab exteriori formari per phantasmata* (et consequenter interiùs per officium intellectûs agentis, dicta phantasmata depurantis) *verùm etiam à superiori, suscipiendo, et in se habendo simplices formas, quæ non possunt introire per portas sensuum, et sensibilium phantasias.* — Et quòd *habeat lucem incommutabilem sibi præsentem* (objectivè) *in quâ meminit invariabilium veritatum.* Hæc Doctor Seraphicus.

52. Divo Bonaventuræ concordat Divus Thomas, velut Angelus Seraphino, et ubique cum eodem supponit dari intellectum agentem, qui veluti causa secunda, et particularis in efficiendâ rerum intelligibilitate subserviat causæ primæ, velut principali, ac universali. Interim sicut S. Bonaventura, sic et ipse meminit ubique, difficultatem non deesse, in astruendo creato intellectu agente à DEO distincto. Vide eumdem 1. p. q. 79. a. 4. etc. 5. Et Opusculo de lumine. Item q. unicâ de animâ, a. 5. Ubi sic loquitur : *Respondeo dicendum, quòd intellectum agentem esse unum et separatum plus videtur rationis habere, quàm si hoc de intellectu possibili ponatur.* Et infrà. *Ideò quidam Catholici posuerunt, quòd intellectus agens sit ipse DEUS, qui est lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Addit tamen citatis locis convenientiùs dici, quòd præter DEUM etiam creatus intellectus agens detur, ut salvari possit, quòd in effectibus naturalibus præter causam primam opporteat semper etiam assignari causam secundam, sive creatam ; ut etiam S. Bonaventura discurrit. Sed pace utriusque tam eximii Doctoris non defuerint, qui ratiocinationem negaturi sint, dicentes nihilominùs, etiam absque creato intellectu agente, salvari posse concursum causæ secundæ, quatenùs intellectus possibilis à solo DEO illustratus, postea unà cum DEO (velut causa secunda cum primâ) suas intellectiones activè producit. Et inde fit, quòd Durandus 1. d. 3. q. 5. et alii quidam, negent intellectum agentem creatum, qui coadjuvet in producendâ rerum intelligibilitate. Quibus et hæc ratio videri posset suffragari, quòd lumen intelligibilitatis sit essentialiter imago quædam æterni luminis, seu intellectionis divinæ; consequenter videtur à solo DEO, et ejus æternà facie posse mentibus nostris imprimi, veluti quædam sigillativa obsignatio, juxta quod dicitur Psalmo 4. v. 7. *Signatum est super nos lumen vultûs tui Domine.* A quo modo lo-

quendi nec D. Thomas abhorrere videtur, locis citatis. Et de veritate q. 11. a. 1. Vide, quæ mox dicentur.

53. Ut mens utriusque Doctoris Seraphici, et Angelici clariùs elucescat, dico cum communi Doctorum, omninò concedendum esse creatum intellectum agentem, eumdemque animæ nostræ veluti naturalem potentiam inexistere, et simul aliquo modo activè concurrere in efficiendâ rerum corporearum, ac sensibilium intelligibilitate. Nec tamen per hoc aut mihi, aut meo Soli intelligentiæ, et solius Christi interno, ac immediato Magisterio minimùm præjudico : modo officia utriusque (id est, Solis Intelligentiæ, et intellectûs agentis) ritè discernantur, et quid unum, et alterum, in efficiendâ rerum intelligibilitate conferat, subtiliùs advertatur. Concurrit ergò intellectus agens ad producendam rei corporeæ, vel sensibilis intelligibilitatem ex parte subjecti tantùm : DEUS autem etiam ex parte objecti, seu rationis objectivæ : ille solùm administrat species, ad posse apprehendere; DEUS autem solus dat lumen, ad certò, ac rationabiliter discernendum, judicandum, et concludendum. Nego itaque intellectum agentem sic efficaciter concurrere, ut per illum mens nostra, sine immediato aspectu ad radium Solis Intelligentiæ, et absque immediatâ objectivâ motione ipsius æternæ, ac immutabilis veritatis (quæ DEUS est) possit ullum actum rationalem, evidentem, ac certum elicere. Unde faciat intellectus agens totum, quod potest (illuminando phantasmata, fabricando intelligibiles rerum imagines, easdem menti, seu intellectui possibili imprimendo) si tamen, his omnibus positis, mens ipsa non immediatè tangatur, moveatur, ac internè feriatur (et ut nominat S. Augustinus, *conspergatur*) ab objectivo radio æternæ, ac immutabilis veritatis; sibi lucentis, ac suprà omne tempus, et suprà omnem locum rutilantis, nullo modo poterit exire in actum rationalem, evidentem, ac certum : sed solùm in actum naturalem et fallibilem : ad quem DEUS solùm concurrat ut causa prima, non ut objectiva ratio. Et hoc ipsum est, quod per decursum totius Libelli continuatò probabitur. Nunc sufficiat hîc demonstrasse, quod nec Divus Thomas, nec Seraphicus Bonaventura intellectum agentem aliter explicent.

54. Quòd ergò Divus Thomas nullo modo sentiat, quòd intellectus agens absque immediato intuitu incommutabilis, ac æternæ veritatis sufficiat ad efficiendum actum rationalem, aut evidentem et certum, ex sequentibus probatur. Primò, quia expressè tenet, quòd lumen, ac notitia primorum principiorum (à quâ omnes actus rationales necessariò pendent) à solo DEO immediatè effici possit. Sic enim loquitur

de Veritate q. 11. a. 1 : *Hujusmodi autem rationis lumen, quo principia hujusmodi sunt nobis nota, est nobis à DEO inditum, quasi quædam similitudo increatæ veritatis in nobis resultantis. Unde cum omnis doctrina humana efficaciam habere non possit, nisi ex virtute illius luminis; constat, quòd solus DEUS est, qui interiùs, et principaliter docet, sicut natura interiùs etiam principaliter sanat.* Et ad 13. sic respondet : *Quòd certitudo scientiæ sit ex lumine rationis divinitùs interiùs indito, quo in nobis loquitur DEUS.* Quomodo verò lumen istud in mentibus nostris à DEO procreetur, refertur ab eodem Q. unica, de spiritualibus creaturis a. 10. ad 8. Et 1. p. q. 16. a. 6. videlicet, *sicut ab unâ facie hominis resultant plures similitudines in speculo, sic ab unâ veritate divinâ resultant plures veritates.* Ita D. Thomas ex S. Augustino in Psalmum 11. v. 2. cujus verba hæc sunt : *Veritas una est, quâ illustrantur animæ sanctæ. Sed quoniam multæ sunt animæ, in ipsis multæ veritates dicit possunt : sicut ab unâ facie multæ in speculis imagines apparent.*

55. Sit ait Augustinus à S. Thoma per modum Glossæ relatus. Sentit ergò Doctor Angelicus, quòd impressio luminis primorum principiorum, et æternarum veritatum sit opus solius DEI, aliàs homo non esset ad imaginem solius DEI, si hoc lumen etiam à creaturâ menti imprimi posset. En verba S. Thomæ : *Tertiò* (sic loquitur citato loco de spiritualibus creaturis a. 10. in Respond.) *quia si homo participaret lumen intelligibile ab Angelo, sequeretur, quòd homo secundùm mentem non esset ad imaginem ipsius DEI : sed ad imaginem Angelorum, contrà id, quod dicitur Genesis primo. — Unde dicimus, quòd lumen intellectûs agentis, de quo Aristoteles loquitur, est nobis immediatè impressum à DEO, et secundùm quod discernimus verum à falso, et bonum à malo. Et de hoc dicitur in Psalmo 4.* Multi dicunt, quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. *Per quod nobis bona ostenduntur.* Hæc Doctor Angelicus.

56 Sed dixeris, quomodo ergò, et quali differentiâ DEUS, et intellectus agens, juxta D. Thomam, concurrunt ad efficiendam rerum intelligibilitatem ? Respondet idem Sanctus citato loco, et 1. p. q. 79. a. 5 ad 3, DEUM concurrere ut Solem intelligentiæ, et intellectum agentem ut lumen participatum, et subjectivè existens in animâ : sed audiamus propria illius verba : cit : a. 10. *Sic igitur id, quod facit in nobis intelligibilia actu per modum luminis participati et aliquid animæ, et multipticatur secundùm multitudinem animarum, et hominum. Illud verò, quod facit intelligibilia per modum Solis illuminantis, est unum separatum, quod est DEUS. Unde Augustinus dicit*

in 1. Soliloquiorum : Promittit ratio, se demonstratura DEUM meæ menti, ut oculis Sol demonstratur. Nam mentis quasi oculi sunt sensus animæ : disciplinarum autem quæque certissima talia sunt, qualia illa, quæ Sole illustrantur, ut videri possint. DEUS autem est ipse, qui illustrat. Hæc Thomas, et Augustinus, bini Viri illuminatissimi, totum ad meum Solem intelligentiæ congruentissimè.

57. Sed denuò replicabis : Si quis attentiùs D. Augustinum perlegerit, inveniet passim eumdem totam mentis illustrationem in solum DEUM referre, quomodo ergò concordabit cum D. Thomâ, qui etiam in intellectum agentem ex parte illam refert? Et si in utrumque referenda est mentis illustratio, à quo certitudinem, et actûs infallibilitatem recipiet, à DEO, vel ab intellectu agente? Respondeo : Audiamus S. Thomam, seipsum cum S. Augustino conciliantem, et pariter intelligimus, cui sit attribuenda actûs infallibilitas, et certitudo. Sic ergò ait, citato articulo 10, ad 8 : *Judicare aliquo de veritate dicimur dupliciter, uno modo sicut medio (sicut judicamus de Conclusionibus per principia, et de regulatis per regulam). Et sic videntur rationes Augustini procedere. Non enim illud, quod est mutabile, vel quod habet similitudinem illius potest esse infallibilis regula veritatis.* Ergò fatetur D. Thomas cum S. Augustino, quòd intellectus agens, veluti ens mutabile, non possit esse infallibilis regula veritatis : ergò in hoc ambo conveniunt, quòd solus DEUS sic hæc infallibilis regula cognoscendi. Et licèt D. Thomas et ipsum intellectum agentem pro virtute judicandi constituat, ejus tamen mens non est, quòd intellectus agens per se judicii certitudinem efficiat : sed quia mentem nostram elevat, ac dirigit in ipsam divinam regulam rationis æternæ [quæ DEUS est] quâ admotâ, sicut potest dici, quòd intellectus agens nos interiùs illustret [id est, subjectivè, non objectivè] ita quoque dici potest, quòd Magister externus nos exteriùs doceat. Sed hoc semper salvo, quòd illuminativum per se, in quod actus certitudo, ac infallibilitas refundi debet, non sit intellectus agens, aut Magister creatus, sed ipsa infallibilis, ac æterna ratio, quæ DEUS est ; ad quam, ut internum aspectum eleves lumen intellectûs agentis subjectivè te movet, et verba exteriùs docentis Magistri te monent : quam proindè æternam regulam si ritè, ac benè inspexeris, errare non poteris : errabis verò, si eam assequutus non fueris.

58. Vides ergò et Divum Augustinum, et Doctorem Angelicum in eo convenire, quòd actûs infallibilitas, et certitudo in solum DEUM referenda sit. Lege, si placet, totam illam Responsionem, ad Octavum ; quia inde certior fies de ipsius mente. Ubi videbis, qualiter

sensum Divi Augustini profundiùs scrutetur, et velut ab ovo : quomodo antiquiores Philosophi, inspectâ rerum instabilitate, et continuo fluxu, de certâ veritate rerum acquirendâ veluti desperaverint : quomodo Plato, et Platonici pro stabiliendâ scientiarum certitudine admiserint mentem nostram illustrari à quodam superiore Sole, sicut visus corporeus illustratur à Sole corporeo : quomodo, et in quantum (juxta quod fides Catholica non contradicebat) D. Augustinus sequutus fuerit Platonem, statuendo *rationes rerum in mente divina* (non separatas à DEO, ut dicitur Platonem sensisse) *et quod per eas secundùm intellectum illustratum à luce divina de omnibus judicamus — secundùm quod illæ supremæ rationes imprimunt in mentes nostras, — sicut ab unâ facie resplendent multæ similitudines in speculis, ita ex unâ primâ veritate resultant multæ veritates in mentibus nostris.* Ita refert Doctor Angelicus de mente S. Augustini. Et quamvìs ibidem addat, Aristotelem alio itinere rerum infallibilitatem, et stabilitatem quæsivisse, mox tamen hæc formalia subjungit : *Non multùm autem refert dicere, quòd ipsa intelligibilia participantur à DEO* [juxtà sensum D. Augustini] *vel quod lumen faciens intelligibilia* [juxtà viam Aristotelicam]. Nam utrobique, vult dicere, rerum intelligibilitas participatur à DEO : et ipsa scientiæ, seu ratiocinationis certitudo, ac immutabilitas refunditur in ipsum DEUM. Quia videlicet, ut rationaliter ac certitudinaliter operemur, non satis est procedere ex aliquo ut virtute creatâ, sed oportet procedere tanquam ex medio cognito, et regulâ infallibili, hæc autem solus DEUS est, juxta S. Augustinum, et Divum Thomam.

59. Ex his collige sensum et convenientiam utriusque Doctoris, cum quibus et Doctorem Seraphicum concordare, partim ex dictis, partim ex dicendis patebit. Unde inter eos vera contrarietas circa mentis naturalem illustrationem nulla est. Siquidem dum S. Augustinus totam illuminationem soli DEO adscribit, loquitur de illuminante extrinseco per modum principii, ac luminis objectivi : seu quod idem est, per modum regulæ, ac mensuræ. D. Thomas verò dum et ipsi creaturæ partialiter illuminationem attribuit, loquitur de illuminante per modum virtutis intrincesæ, seu per modum principii subjectivi. De hoc duplici ac diverso concurrente principio, vide plura Sectione sequenti § 2, et Capite 3. Hypothesi 6. En verba S. Thomæ citato loco, ad 10 : *Illud, quo judicatur de duobus quid sit melius, oportet esse utroque melius : si eo judicetur ut regulâ, et mensurâ (sic DEUS est regula et mensura omnium entium, quia unumquodque tantò melius est, quantò magis optimo*

appropinquat) non verò si eo judicetur ut virtute cognoscitivâ. Et sic per intellectum agentem judicamus Angelum esse animâ meliorem, licèt intellectus agens non sit melior Angelo. Hæc ille. Cujus tamen mens nullo modo est velle affirmare, quòd iste posterior judicandi modus absque priori sufficiat ad producendum judicium certum, seu quemcumque alium rationalem actum. Vide infrà, Sect. 4. § 4. 4. 5. et 6. Ac proinde, cùm ambo Doctores Seraphicus et Angelicus aiunt, DEUM respectu intelligibilitatis, ac illuminationis efficiendæ, tantùm esse causam principalem, et universalem; intellectum agentem verò (vel etiam alios exteriùs adjuvantes) esse causas secundas, et particulares : nullo modo intelligendi sunt, quasi loquerentur de concursu per modum objecti, vel rationis objectivæ [cujus inactionis objectivæ non aut bestiæ, aut aliud ens corporeum, sed sola mens capax est : Et quoad hanc inactionem rationis objectivæ DEUS nullum admittit consortium alicujus activæ causæ secundæ] sed de concursu DEI per modum causæ efficientis : quo sensu omninò concedenda est, sicut causa prima, ita etiam secunda. Et hoc modo non sola mens, sed quodlibet ens creatum est capax DEI inagentis, sive alicujus actionis divinæ, cum quo et ipsum ut causa secunda concurrere potest. Sed hic modus concurrendi non est ad propositum. Unde cùm in sequentibus, inhærens vestigiis præfatorum Sanctorum, DEUM Solem intelligentiæ constituo, non sermo est de concursu DEI efficiente ex parte ipsius subjecti, sed de concursu objectivo ex parte ipsius objecti : Vide plura Capite sequenti, ubi status quæstionis fusiùs explicabitur.

§. VI.

Quid sit intellectus speculativus et practicus ; et quid voluntas ut natura, et ut libera ?

SUMMARIUM. — 60. Quid intellectus speculativus et practicus? — 61. Quid voluntas ut natura, et ut libera?

60. Dico, esse unum eumdemque intellectum, qui dicitur speculativus, et practicus : unam eamdemque voluntatem, quæ spectatur vel ut natura, vel ut libera, seu liberum arbitrium : et tota differentia consistit in diversitate actuum et operationum. Intellectus enim speculativus dicitur, quatenùs ipsam per se veritatem cognoscit : practicus verò quatenùs ordinatur ad aliquod opus : seu quatenùs aliquid ut operandum cognoscit. An autem nomine operis etiam

veniant operationes ipsius intellectûs [quo sensu Logica practica esset, cùm doceat intellectivè operari] alii affirmant, alii verò negant, dicentes intellectum fieri practicum extensione ad aliquod opus alterius potentiæ.

61. Voluntas spectatur, ut natura, sive ut appetitus naturalis quatenùs consequitur naturalem cognitionem intellectûs : dicitur verò libera, seu deliberata, vel liberum arbitrium, quatenùs consequitur eamdem suam præviam lucernam, id est, intellectum, non purè naturaliter, sed per aliquam inquisitionem cognoscentem. Ipsa enim voluntas est per se cæca, nec potest liberè agere, nisi præcedat rationis inquisitio. Unde voluntas, et liberum arbitrium comparantur ad invicem sicut intellectus, et ratio : sicut enim (ut ex dictis patet) eadem numero potentia intellectiva, tamen cum diverso respectu, et in ordine ad diversos actus considerata, vocatur intellectus et ratio : ita pariter voluntas, et liberum arbitrium se habent. Audiamus Angelicum Thomam subtiliter, ac solidè, ut alias solet, rem hanc decernentem 1. p. q. 83. a. 4. *Respondeo, quod potentias appetitivas oportet esse proportionatas potentiis apprehensivis — sicut autem ex parte apprehensionis intellectivæ se habent intellectus, et ratio : ita ex parte appetitûs intellectivi se habent voluntas, et liberum arbitrium ; quod nihil aliud est, quàm vis electiva : et hoc patet ex habitudine, et objectorum, et actuum. Nam intelligere importat simplicem acceptionem alicujus rei. Undè intelligi dicuntur prima principia, quæ sine collatione per seipsa cognoscuntur. Ratiocinari autem propriè est devenire ex uno in cognitionem alterius. Undè propriè de Conclusionibus ratiocinamur, quæ ex principiis innotescunt.* Hæc Divus Thomas, qui mox positam utriusque analogiam sic applicat : *Similiter ex parte appetitûs, velle importat simplicem appetitum alicujus rei. Undè voluntas dicitur esse de fine, qui propter se appetitur. Eligere autem est appetere aliquid propter alterum consequendum. Undè propriè est eorum, quæ sunt ad finem : sicut autem se habet in cognitivis principium ad Conclusionem, cui propter principia assentimus : ita in appetitivis se habet finis ad ea, quæ sunt ad finem, quæ propter finem appetuntur. Undè manifestum est, quòd sicut se habet intellectus ad rationem, ita se habet voluntas ad vim electivam, id est, ad liberum arbitrium. Ostensum est autem suprà, quòd ejusdem potentiæ est intelligere, et ratiocinari ; sicut ejusdem virtutis est quiescere, et moveri. Undè ejusdem etiam potentiæ est velle, et eligere, et propter hoc voluntas, et liberum arbitrium non sunt duæ potentiæ sed una.* Hæc Vir Angelicus clarè, ac sufficienter.

§. VII.

Quid sit habitus principiorum?

SUMMARIUM. — 62. Habitus principiorum quoad lumen concreatus est : sed quoad species acquisitus, — 63. Et ideò non statim ac infunditur anima rationaliter operamur : nec cæcus à nativitate judicat de coloribus. — 64. Dividitur in intellectum et syntheresim. — 65. Quis et qualis sit actus syntheresèos?

62. Dico nomine habitûs principiorum non intelligi potentiam animæ rationalis, sed aliquem habitum, intellectui, vel memoriæ intellectivæ superadditum, quo faciliter, imò naturaliter ipsis primis veritatis principiis [tum speculativis, tum practicis] absque alio discursu, vel inquisitione per se statim assentimur. Hæc sunt verba Doctoris Angelici 1. p. q. 79. a. 12. *Ratiocinatio hominis cùm sit quidam motus, ab intellectu progreditur aliquorum, scilicet naturaliter notorum absque investigatione rationis : sicut à quodam principio immobili, et ad intellectum etiam terminatur, in quantum judicamus per principia per se naturaliter nota de his, quæ ratiocinando inveniuntur. Constat autem, quòd sicut ratio speculativa ratiocinatur de speculativis, ita ratio practica ratiocinatur de operabilibus. Oportet igitur naturaliter nobis esse indita, sicut principia speculabilium, ita et principia operabilium.* Hæc S. Thomas. Ergò juxta hanc veriorem Sententiam Doctoris Angelici, habitus principiorum non est per exercitium acquisitus, sed à DEO in creatione animæ inditus, et concreatus, saltem quoad ipsum lumen [quo prima principia incomplexa certò definimus, et complexa infallibiliter judicamus] tamen quoad species, quibus simplices terminos apprehendimus acquiritur successivè [vide D. Thomam 1. sec. q. 10. a. 1.] Ut enim v. g. judicare possim totum esse majus suâ parte, debeo posse priùs apprehendere totum, et partem : hanc autem apprehensionem acquiro per sensus, v. g. cùm per oculos video totum, et partem, etc.

63. Et hinc colligimus causam, quòd homo non statim ac infunditur anima rationaliter agat : nec cæcus à nativitate, licèt adultus, de coloribus judicare possit ; quia videlicet ob organi defectum, non valent res apprehendere sensibiliter, nec ideò intelligibiliter [quia apprehensio intellectûs dependet ab apprehensione, quæ fit in phantasiâ] et minùs judicare possunt : etiamsi utrique insit intellectus, et habitus principiorum : nam ut vis judicativa, aut etiam definitiva, possit exercere suum actum, debet præcedere simplex rei apprehen-

sio, velut conditio sine quâ non. Porrò cùm habitus principiorum cum naturâ concreetur, est incorruptibilis, et inamissibilis [vide Doctorem Angelicum 1. sec. q. 53. a. 1.] Et quamvis immediatè respiciat sola prima principia, vim tamen suam naturaliter extendit, etiam ad Conclusiones, imò usque ad singularia, seu individua. Interim habitus, qui habetur de Conclusionibus, non habitus principiorum, sed scientia appellatur [vide citatum Doctorem 1. sec. q. 59. a. 2. ad 2. Et Lib. Poster. Lect. 7].

64. Habitus principiorum est duplex, unus quo cognoscimus principia speculativa, et dicitur intellectus : alter quo cognoscimus principia practica, quem syntheresin appellant : alii scintillam, alii aquilam nominant : alii confundunt cum apice mentis. Causam harum appellationum vide apud Doctorem Angelicum 2. d. 24. q. 3. a. 3. ad 5. d. 29 q 3. a. 1. De veritate q. 1. a. 1. q. 17. a. 2. ad 2. Et q. 16. a. 1. ad 3. Ubi S. Thomas ideò hisce nominibus syntheresin vocari dicit, quia ob suam puritatem, et altitudinem velut aquila transcendit utramque rationem inferiorem et superiorem, quam utramque infrà se complectitur, et est ipsius rationis velut suprema et purior pars, et veluti scintilla intellectualis respectu majoris intellectualis luminis Angelici.

65. Porrò actus synthereseos est remurmurare contra malum, et inclinare ad bonum, inquit idem S. Thomas 1. p. q. 79. a. 12. Et de veritate q. 16. a. 1. ad 12. Et quoties peccamus remurmurat : sed ejus murmur non semper auditur. Et hoc, vel propter inclinationem mali habitûs, vel ob impetum passionis (idem 2. d. 29. q. 3. a. 1. ad 2. De veritate q. 16.) Syntheresis reperitur etiam in infidelibus, et quidem integra quoad lumen naturæ; sed cæca quod lumen fidei. Et ideò remurmurat, si Lutheranus v. g. furatur ; sed non remurmurat, si contra edictum Ecclesiæ ferià 6. comedit carnes. Vel dic cum Thomâ semper remurmurare in universali, non autem in hoc particulari, propter errorem rationis (S. Thomas 2. d. 39. q. 3. a. 1 ad 3. De Veritate q. 16.) Imò et in damnatis, ac dæmonibus remurmurat contra culpam, licèt obstinatio voluntatis repugnet (idem 2. d. 7. q. 1. a. 2. ad 3. d. 39. q. 1. a. 1. ad 5.) Undè non potest syntheresis, aut peccáre, aut errare, eo ipso, quòd continuam peccati displicentiam habeat (2. d. 24. q. 3. a. 3. ad 5.) Nec unquam extinguitur, aut amittitur.

§ VIII.

Synopsis terminorum animasticorum, et gradus ad Sapientiam Christianam.

SUMMARIUM. — 66. Synopsis terminorum animasticorum. — 67. Iter ad Sapientiam Christianam. — 68. Gradus ad Sapientiam Christianam. — 69. Hæc mentis scala adumbrata fuit per scalam Jacob. — 70. Deus ibi reperitur ubi veritas residet. — 74. Scopus totius Sectionis eruitur.

66. Ex omnibus dictis extrahe hanc Synopsim : quæ eò facilior intellectu foret, si Scoti sententia vera esset, dicentis, nullam potentiam animæ, aut inter se, aut ab animâ realiter differre, sed esse realiter unam, eamdemque rem : Quo sensu diceres illam rem, quæ anima, et aliis nominibus vocatur, dici animam (ut corpus informando, et animando, nos animales, et sensuales efficit) spiritum (ut est quid à corpore separabile, et proindè hominis cogitationes, et affectus à corporalibus, et sensualibus rebus avocat) animum (ut virtutem mentis significat) mentem verò (ut hominem DEI, ac divinorum capacem constituit.) Apicem mentis (ut absque medio est immediatè unibilis DEO.) Rationalis vocatur, [quia est capax Rationis æternæ, ex quâ per creationem emanat ratio creata] dicitur sensitivâ (quatenus corpus sensificat, et hominem sensitivum efficit) vegetativa (quia dat homini vivere, ac vegetari.) Eadem ipsa res vocatur intellectus (ut primò rem cognoscit) memoria (ut rem cognitam denuò cognoscit) voluntas (ut vult) liberum arbitrium (ut liberè vult) Dicitur ratio (quatenùs id, quod intellectus simpliciter, ipsa per discursum cognoscit) ratio superior (ut procedit ex principiis æternis, et immutabilibus) ratio inferior (quatenùs procedit ex temporalibus, et mutabilibus.) Vocatur quoque intellectus agens (ut ex rebus sensibilibus, abstrahendo species, intelligibilitatem eruit) intellectus possibilis (ut erutam intelligibilitatem, et quamcumque veritatem actu intelligit, aut intelligere potest) dicitur intellectus speculativus (ut intelligit veritatem sine relatione ad opus) intellectus practicus (ut cognitio ejus refertur ad aliquod opus.) Hoc totum est res illa, quæ anima dicitur juxta Scotum 2. d. 16. q. unica. Nec Doctor Seraphicus dissentit 1. d. 3. q. 3. Item Gregorius 2. d. 16. q. 3. Ocham, Gabriel, Marsilius. Sed negat D. Thomas 1. p. q. 77. a. 1. eo quòd in solo DEO conveniant realiter esse, posse, ac operari : non autem in creaturis, quæ per aliud sunt, per aliud possunt, et per aliud operantes dicuntur. Divum Augustinum credo

plùs propendere in priorem sententiam. Vide Lib. 10. de Trinit. C. 11. Sermone de imagine C. 11. Libro de spiritu et animâ, Cap. 13. Ipsi animæ (vel ejus potentiis, si re differunt (superadduntur habitus, quorum duo primi sunt habitus principiorum speculativorum (ad cognoscenda prima principia speculativa) et habitus principiorum practicorum : qui immediatè concreantur : à quibus, velut à semine, pendent omnes cæteri acquisiti.

Gradus ad Sapientiam Christianam.

67. Ex omnibus item dictis collige, quo itinere, quibusque gradibus, et potentiis anima rationalis ad Sapientiam Christianam provehatur. Et quia minùs in hoc itinere expertum me video, sequor præeuntem Doctorem Seraphicum, Capite 1. sui Itinerarii mentis in DEUM. Primò, *Scala* eò veniendi *secundùm statum conditionis nostræ est ipsa rerum Universitas*. Secundò, per eam Scalam debemus venire, *ad primum principium considerandum, quod est spiritualissimum, et suprà nos*. Tertio, ac proindè *oportet nos transire per vestigium* rerum corporearum, et temporalium, et extrà nos existentium, et indè *intrare ad mentem nostram, quæ est imago DEI æviterna, et spiritualis, et intrà nos* posita. Et per hanc *oportet etiam nos transcendere ad æternum, spiritualissimum, primum principium ; quod suprà nos* eminet. Quartò : Undè juxta hæc tria genera rerum anima nostra *tres habet aspectus principales*, 1. ad *corporalia exteriora (secundùm quem dicitur animalitas vel sensualitas)* alium intra se, et in se *(secundùm quem dicitur spiritus)* tertium suprà se *(secundùm quem dicitur mens.) Ex quibus omnibus disponere se debet ad conscendendum in DEUM, ut ipsum diligat ex totâ mente, ex toto corde, ex totâ anima : in quo consistit perfecta legis observatio, et simul cum hoc Sapientia Christiana*. Hæc Doctor non minùs sapiens quam Seraphicus.

68. Quintò. Quibus nunc potentiarum gradibus eò devenire possimus, idem Doctor (per alpha et omega ternario aspectu in senarium specialiùs diviso) sic enumerat. *Juxta igitur sex gradus ascensionis in DEUM, sex sunt gradus potentiarum animæ, per quos ascendimus ab imis ad summa, ab exterioribus ad intima, à temporalibus ad æterna : scilicet sensus* [quo percipimus corpora) *imaginatio* (quâ corporum similitudines) *ratio* (quâ corporum naturas) *intellectus* (quo spiritum creatum) *intelligentia* (quâ spiritum increatum) *apex mentis, seu syntheresis scintilla* (quâ adhæremus DEO.) Ita S. Bonaventura in Itinerario. Et in Centiloquio P. 3. Sect. 23. Qui priori loco hanc conditionalem sic prudenter efformat. *Quicumque ergò vult in DEUM*

ascendere, necesse est, ut vitatâ culpâ deformante naturam, naturales potentias supradictas exerceat, ad gratiam reformantem (et hoc per orationem) ad justitiam purificantem (et hoc in conversatione) ad scientiam illuminantem (et hoc in meditatione) ad sapientiam perficientem [et hoc in contemplatione]. Sicut igitur ad sapientiam nemo venit, nisi per gratiam, justitiam et scientiam : sic ad contemplationem nemo venit, nisi per meditationem perspicuam, conversationem sanctam, et orationem devotam. Sicut igitur gratia fundamentum est rectitudinis voluntatis, et illustrationis perspicuæ rationis ; sic primò orandum est nobis, deindè sanctè vivendum, tertiò spectaculis veritatis intendendum, et intendendo gradatim ascendendum, quousque veniatur ad montem excelsum, ubi videatur DEUS Deorum in Sion.

69. Hæc D. Bonaventura de mentis scalâ, per quam speculando et operando, non ausu temerario, sed felici successu ad DEUM usque conscendere possumus, si gratiam sequi volumus præeuntem. Hanc certè scalam non irrationabiliter adumbratam æstimo per illam Jacobæam, Genesis 28. v. 12. *Viditque in somnis scalam stantem super terram, et cacumen illius tangens cœlum : Angelos quoque DEI ascendentes et descendentes per eam : et Dominum innixum scalæ, dicentem, etc.* Nec à similitudine dissidet, quòd Jacob non infimæ, aut mediæ, sed supremæ parti scalæ (vel ut ait Textus, cacumini) DEUM innixum viderit : ut inde addiscamus, ubi locorum DEUM invenire possimus. Quamvis enim illum intra nos quærere debeamus, dicente Christo Luc. 17. v. 21. *Regnum DEI intra vos est.* Solerter tamen observare nos convenit, quam animæ partem specialiùs DEUS inhabitet ? An fortè infimam, seu carnem, et sanguinem ? non certè, quia caro et sanguis non revelant nobis DEUM, Matth. 16. v. 17. An verò partem sensibilem, seu corporeos sensus ? Etiam non, *quia et hi in malum proni sunt ab adolescentia,* Genesis 8. v. 21. Et aliàs equus et mulus, cùm sentiant, DEUM invenirent. An ergò interiores animæ sensus, aut ipsum interioris mentis oculum, quâ discursivus est ? Nec hîc quidem, si magno credimus Augustino Lib. 7. Conf. Cap. 17. Cùm et hunc quoque excæcandum velint, ad hoc ut DEUM inveniamus, quotquot interpretantur primum Caput Mysticæ Theologiæ : juxta quod et ipse Divinus Sponsus seriò suadet, Cant. 6. v. 4. *Averte oculos tuos à me, quia ipsi me avolare fecerunt.*

70. In altiori ergò loco DEUS posuit tabernaculum suum, in ipso supremo montis et mentis culmine : innititur principio superiori scalæ DEUS, quem quærimus : in ipso mentis apice residet : ibidem locorum, ubi veritas prima, et bonitas summa animæ fulget, ut inde

et viribus inferioribus hâc supremâ facultate mediante eadem ad operandum communicari valeat. Vide suprà folio 21. num. 37. qualiter præfatus S. Augustini per hos eosdem scalares gradus ad supremum usque conscenderit : et ubi locorum DEUM invenerit. Fatetur Libro 10. Conf. Cap. 24. *Ubi enim inveni veritatem, ubi inveni DEUM meum ipsam veritatem.* In ipso igitur supremo mentis culmine, ubi veritas reperitur, ibi DEUS inhabitat : inde nos alloquitur, inde in nos effundit primas veritates, seu prima principia, tum speculativa, tum practica; ex quibus omnes alii mentis actus effici habent. Inde ex eodem scalæ culmine audimus eum dicentem : *Ego sum Dominus DEUS tuus. — Non habebis Deos alienos coram me. — Non assumes Nomen Domini DEI tui in vanum. — Honora Patrem tuum, et Matrem tuam — Non occides. Non mœchaberis. Non furtum facies. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. Non concupisces, etc.* Uno verbo : quidquid lumine naturæ per se clarum est, totum illud in hoc scalæ culmine DEUS eloquitur. Unde inspecto hoc mentis nostræ tam digno supremo habitaculo jure merito cum Jacob exclamare possemus : *Verè Dominus est in loco sancto isto, et ego nesciebam. — Quàm terribilis est locus iste! non est hîc aliud nisi domus DEI, et porta cœli.*

71. Tandem ex longiori hâc Sectione, de potentiis animæ rationalis, pro remotâ dispositione, ad faciliùs capiendum secretum mysterium Solis intelligentiæ, Scopus hic unicus esto, intellexisse, cujuscumque actûs rationalis certam veritatem, certitudinem, ac infallibilitatem, evidentiam ac rationabilitatem in nos redundare, non ex aliquo ente creato (quocumque tandem appelletur nomine) sed ex objectivo influxu, seu communicatione divinæ æternæ, ac immutabilis illius lucis, ex se radiantis suprà locum et suprà tempus : quamvis subjectivè, seu ex parte principii subjectivi, etiam potentiæ rationales, veluti causæ secundæ subservientes causæ primæ, concurrant. Ut magis et magis ex ulteriùs dicendis palam fiet.

SECTIO IV.

QUALITER MENS, VEL ANIMA RATIONALIS OPERETUR ?

SUMMARIUM. — 72. Potentiæ in operando dependent ab objecto. — 73. Potentia respicit objectum ut fœmina virum. — 74. Explicatur comparatio. — 75. Duplex modus contrahendi matrimonium. — 76. Moralitas. — 77. Cur fiat connubium inter absentes per vicariam imaginem? — 78. Absentia rerum, et improportio species detexerunt. — 79. Potentia non admittit objectum nisi connaturali suâ ratione vestitum.

72. Ut modus, quo mens creata cum suis potentiis operatur, me-

liùs intelligatur, supponendum est, potentiam quamcunque ad operationem suam eliciendam necessariò, imò essentialiter dependere ab aliquo objecto. Quia secundùm quod colligitur ex Aristotele, 2. de Animâ T. 33. *Potentiæ distinguuntur per actus, et actus per objecta.* Ac proindè cum D. Thomâ Quæstione unicâ, de animâ, Articulo 13. dicendum, *quòd potentia, secundùm id, quod est, dicatur ad actum— actus autem ex objectis speciem habeant. Nam si sint actus passivarum potentiarum* [quales censentur omnes cognoscitivæ, et appetitivæ] *objecta sunt activa.* Et infrà. *Relinquitur igitur, quòd secundum distinctionem objectorum* [formalium videlicet] *attenditur distinctio potentiarum animæ.* Et 1. p. q. 79. a. 10. ait : *Potentia passiva, quæ movetur ab objecto in actu existente — comparatur ad suum objectum, ut ens in potentia ad ens in actu.* Hæc D. Thomas.

§ 1.

Potentia rationalis, ut operetur, respicit objectum sicut fœmina virum.

73. Hoc ut lucidiùs intelligas, advertasque, quo sensu objectum in potentiam agat ; et ambo simul operationem progenerent : sciendum est, potentiam rationalem comparari ad suum objectum eo ferè modo, quo mulier ad virum : ita ut operatio sit utriusque proles. Sequor autem in formandâ similitudine normam D. Augustini Lib. 1. Confess. Cap. 13, ubi fatetur, DEUM maritare mentem suam, sic dicens : *DEUS lumen cordis mei, et panis oris intus animæ meæ, et virtus maritans mentem meam, et sinum cogitationis meæ.* Imò Lib. 12. de Trinitate, Cap. 3, 4 et 5. ex hâc connubii mentalis analogiâ probat in nobis imaginem SS. Trinitatis reperiri. Ubi etiam pro cohonestandâ comparatione hisce verbis carnalem sensum excludit. *Quamquam et hæc castissimè cogitent, quibus mundis omnia munda sunt : immundis autem, et infidelibus, quorum polluta sunt, et mens et conscientia, ita nihil est mundum, ut quosdam eorum etiam de Virgine secundùm carnem natus Christus offendat.* Additque quò per hujusmodi carnales similitudines mentem oporteat elevari : *Assuescat,* inquit, *in corporalibus ita spiritalium reperire vestigia, ut cum indè sursum versus, duce ratione, ascendere cœperit, ut ad ipsam incommutabilem veritatem, per quam sunt facta ista, perveniat, non secum ad summa pertrahat, quod contemnit in infimis.* Quo casto sensu [ut S. Doctor subjungit] *non erubuit sapiens uxorem sibi eligere Sapientiam* : increatam videlicet, quæ est illud ipsum verbum, quod

velut objectum mentem Augustini tam dulciter maritabat. *Hanc* proindè nos quoque, cum sapiente, et Augustino, præ cunctis amabilibus *amemus, et exquiramus à juventute nostrâ, et quæramus eam Sponsam nobis assumere, et amatores fiamus formæ illius* certissimi effecti, quod ex tali mentis connubio numerosissima proles sit nascitura : *Omnia*, videlicet, *bona, et innumerabilis honestas*. Sap. 7 et 8. Sed nunc fusius analogiæ convenientiam discutiamus.

74. Ergò potentia rationalis comparatur ad objectum, sicut mulier ad virum, sicut principium passivum ad suum comprincipium activum, sicut perfectibile ad suum perfectivum. Et proindè sicut *materia appetit formam, et fœmina marem, et turpe pulchrum* [sic Aristoteles 1. Physic. Cap. 6. T. 81.] ita quoque magno innnato desiderio potentia appetit suum proportionatum objectum. Undè sicut *vir est caput mulieris* [1. Cor. 11 v. 3. Eph. 5. v. 23.] et aliquid perfectiùs quàm mulier, ita quoque objectum debet excedere perfectionem potentiæ, imò est perfectio potentiæ, et habet rationem formæ, ut ait D. Thomas 1. sec. q. 18. a. 2. ad, 2. Et ulteriùs sicut fœmina viro destituta non generat, sic et potentia carens objecto non operatur. Mulier à viro fœcundata generat prolem ; potentia, quam objectum fœcundat, operationem procreat. Et sicut in generatione prolis duo concurrunt, vir et fœmina, ita cùm operatio fit, objectum intervenit, ac potentia. Unde D. Augustinus Lib. 9. de Trinit. c. 12. ait : *Ab utroque enim notitia paritur, à cognoscente, et cognito*. Vir si non solus, saltem principaliter activè concurrit, ac speciem dat proli, sic et objectum est illud, quod specificat actionem. Ut fœmina à viro concipiat, ac prolem generet debet ab eo conveniri, ut *sint duo in carne unâ*. Genesis 2. v. 25. Sic quoque, ut potentia per objectum fœcundetur, ac operationem pariat, debet à suo objecto conveniri, ut ex objecto et potentiâ, ex intelligente ac intelligibili, unum fiat. Et sicut ibi consummatio non fit nisi inter unum et unam, exclusis omnibus aliis, etiam Patre et Matre, ut adhæreat uxori suæ [Genesis 2. v. 24.] ita nec unio potentiæ cum objecto consummata, aut plena erit, nisi fiat inter unum et unam, exclusis omnibus cæteris, etiam Patre, et Matre, et omni alio, quod aliud unum non est [Matth. 10. v. 35. 36. 37. 38. 39. Luc. 14. v. 26 27. 33.] ut dicere possit : *Dilectus meus mihi, et ego illi*. [Cant. 2. v. 16.]

75. Porrò ad connubium contrahendum inter fœminam et virum aliquæ conditiones, et aliqui modi intercurrunt, iidem quoque adesse debent cùm ab objecto maritatur potentia. Nam imprimis sicut Sponsa in connubium cum sponso non consentit, nisi illum, et ejus

qualitates cognitas habeat, ita quoque potentia rationalis non maritatur ab objecto, nisi illud cognoscat. Sponsa venit in cognitionem Sponsi, aut per ejus præsentiam, aut per aliorum vicariam relationem : Unde quoque contingit dupliciter celebrari connubium: aut inter præsentes, aut per vicarium, seu procuratorem, qui allatâ Sponsi, vel Sponsæ imagine, vices sui principalis agat : ita quoque dupliciter contingit objectum manifestari, et maritari potentiæ, aut per seipsum [cum in potentiam realiter recipitur] aut veluti per vicarium, et procuratorem : seu per vicariam objecti speciem, seu imaginem, quam loco sui ad potentiam transmittit. Et sicut dum celebratur connubium mediante procuratore , animus et intentio Sponsæ non fertur in præsentem procuratorem, sed in Sponsum absentem, ita quoque dum objectum absens maritat potentiam per vicariam speciem, intentio potentiæ non directè tendit in præsentem speciem, sed in objectum absens [species enim impressa, sive sensibilis, sive intelligibilis, non est id, quod directè cognoscitur, et attingitur ; sed est id, quo cognoscitur, et attingitur] Sponsa censetur infidelis, *et mulier vocabitur adultera, si vivente viro fuerit* cum *alio vero* (Rom. 7. v. 3.). Sic mens quoque, creata ad imaginem solius DEI [velut sui objecti primarii, ac principalis : et loquendo de objecto formali motivo, unici : ut infrà probabitur] spirituale committit adulterium , si cor suum dividat, et loco DEI alterius Sponsi super inducat imaginem, creaturæ videlicet non Creatori inhærendo. Porrò sicut Sponsa longè plùs afficitur ex præsentia Sponsi, quàm ex solâ ipsius imagine ; sic et potentia rationalis sine comparatione plùs delectatur ex objecto in se præsente, quàm si per solam sui imaginem, vel speciem adsit. Et hinc major delectatio est causa perfectioris prolis : et in potentiâ perfectioris operationis : Lege D. Augustinum undecimo de Trinitate Cap. 2. circa finem.

76. Unde ad mores nostros hoc documentum recipimus, quia *nunc* pro statu isto, quo degimus in hâc lacrymarum valle, ipsum DEUM solùm *videmus per speculum in ænigmate*, ut ait S. Paulus 1. Cor. 13. v. 12. (quod est veluti per speciem, et transmissam imaginem ei uniri) ideò (proh dolor!) opera, quæ facimus, et ipsa contemplatio nostra, et DEI amor, ac fruitio sunt proles adeò informes, ac infirmæ. Cùm autem *videbimus eum sicuti est* per mutuam præsentiam; quandò DEUS per seipsum, et non per signa menti nostræ junctus fuerit : tunc *cognoscemus eum, sicut et cogniti sumus* (1. Cor. 13. v. 12.) Eumque diligemus *ex toto corde, ex totâ animâ, et ex totâ mente* (Deut. 6. Marci. 12.) *et gaudebimus gaudio magno valdè, propter vocem Sponsi*

non ampliùs absentis, sed in æternum præsentis, intrantes in *gaudium Domini* nostri, ut *gaudium nostrum sit plenum, et gaudium nostrum nemo tollat à nobis*. (Joan. 3. v. 29. c. 16. v. 22).

77. Redeo ad analogiam mulieris et viri, potentiæ et objecti : et omitto dicere, ex quibus causis matrimonium corporale sæpius non inter præsentes, sed per vicarium procuratorem inter absentes celebrari debeat, quia non est semper eadem, sed multiplex hujus ratio esse potest. Undè quoque duplex occurrit causa, cur mysticum connubium inter potentiam et objectum, non per realem utriusque præsentiam, et unionem; sed inter absentes per vicariam speciem, seu imaginem celebretur. Quia vel locò ab invicem longiùs distant; aut generis nobilitate, stemmatis, ac naturæ conditione sibi non proportionantum : dum vel objectum potentiam excedit, aut potentia objectum. Ut si objectum fuerit supernaturale, potentia naturalis : aut è contra. Vel objectum fuerit corporeum, potentia verò incorporea, illud sensibile, hæc verò spiritualis, et intelligibilis : aut è contra. Undè sicut Sponsus plebeius, indutus veste sordidâ, exclusus manet à toro nobilioris Sponsæ : ita quoque objectum corporeum, ac sensibile, ob naturæ grossitiem ineptum reperitur, quo minùs ad interius mentis cubile personaliter accedat. Quòd si verò Sponsus, [id est, objectum] Sponsam (seu potentiam) excedat, dedignatur et ipsum, nec potest in personâ, ac veste propriâ, ignobiliorem hunc adire thalamum. Contra hoc utrumque connubii impedimentum DEUS et natura sollicitè providerunt de remedio, ut absentiâ præfatâ, ac improportionalitate non obstantibus, possint nihilominùs ad invicem copulari : rebus videlicet corporeis ac sensibilibus mirabili hâc virtute donatis, quâ et sui imaginem procreare, et eamdem ad potentiam usque, quamvis loco remotam, destinare : potentiæ verò facultate impertitâ, qua corporalium spirituales, et spiritualium rerum corporeas imagines concipere, ac effingere possit : proviso quoque contra naturalem Sponsæ, seu potentiæ, ineptam naturæ conditionem decoro vestitu supernaturalium habituum, ac luminis gloriæ, quibus mediantibus ad possibiles amplexus supernaturalis Sponsi convenienter valeat elevari.

78. Et hæ ipsæ binæ causæ, scilicet absentia, et improportio, suppeditârunt Philosophis occasionem in notitiam specierum sensibilium, ac intelligibilium veniendi. Sciebant enim, quòd objecta realiter moveant potentias, et quòd ad quamlibet realem actionem aliqua tandem inter agens et passum tum approximatio, tum naturæ proportio requiratur. Quomodo ergò fiet, ut Sol v. g. existens in sublimi

cœlo, moveat oculum existentem in terrâ, nisi aut descendendo (quod est contra experientiam) aut sui vicariam efformatam sensibilem effigiem ad eumdem submittendo. Et quomodo sensibilis hæc imago Solis (habens latum, longum, rotundum, lucidum, aliaque accidentia sensibilia) movebit, aut recipietur in intellectum, qui est potentia spiritualis, quæ in se nec habet latum, aut longum, aut rotundum, nec aliam sensibilem localem dispositionem; nisi detur potentia aliqua, quæ aut illam speciem, seu imaginem transferat in spiritualem conditionem; aut ex eâ omninò novam proportionatam efficiat? Sic etiam quomodo objectum supernaturale, quod ex suâ naturâ transcendit omnem naturæ capacitatem recipietur in potentiâ naturali, nisi aut illa per aliquid supernaturale altiùs elevetur : aut ipsum objectum aliquo modo descenderit, et speciem seu imaginem naturalem induerit? Quia sicut locus et locatum debent ad invicem proportionatè commensurari, ita *quidquid recipitur per modum recipientis recipitur*. Et hinc evenit, quòd facultas corporea, omnia (etiam spiritualia et intelligibilia) sub formâ corporeâ; potentia sensitiva omnia (etiam quæ sentiri non possunt) sub formâ sensibili : potentia naturalis omnia (etiam supernaturalia) sub formâ, vel analogiâ rerum naturalium : et tandem potentia spiritualis, et intelligibilis, omnia (etiam corporalia, et sensibilia) sub formâ spirituali, et intelligibili concipere debeat. Sicut enim in connubio corporali plurimùm attenditur ad personæ paritatem, ut meritò dixerit Ovidius Epist. 9. ad Deian.

Quam malè inæquales veniunt ad aratra juvenci.
Tam magno premitur conjuge nupta minor.
Et ideo suadet. *Si qua vales aptè nubere nube pari.*

ita quoque, ut potentia maritari possit ab objecto requiritur utrisque paritas ac proportio : et hæc aut innata, seu naturalis, aut acquisita, et veluti super producta, ac super induta. Ergò ut potenti conveniat objecto, et objectum non displiceat potentiæ, si natura similitudo non suppetit, per alium vestitum illam superindui, aut superinduci necessarium erit.

79. Et ut nil dicam de improportione potentiæ ad objectum stando in dissimilitudine objecti ad potentiam supponendum est igitur, quod nullum objectum ab ipsâ potentiâ admitti possit, nisi sub veste, et ratione propriâ ipsius potentiæ : veluti si Turcarum Imperator legatos Cæsaris Christianorum ad suam præsentiam non admitteret, nisi propriis Turcarum vestibus indutos. Aut vicissim. Sic et

potentia suæ dignitatis zelotypa est. Unde cum ex suo connaturali modo agendi est determinata ad certam rationem formalem, quidquid in illam velut objectum cadit, debet illam rationem aut jam habere, aut induere. v. g. potentia corporea est determinata ad res corporeas, sensitiva ad res sensibiles, spiritualis ad res, quæ re, aut modo spirituales sint : intellectiva ad ipsum verum, appetitiva ad ipsum bonum : Et ideò sub tali ratione necessarium est, ut omnia sua objecta attingat : ita ut et ipsum spiritum sub ratione corporis, et ipsum corpus sub ratione spiritûs, et ipsum intelligibile sub ratione sensibili, et ipsum falsum sub ratione veri, et ipsum malum sub ratione boni ipsa potentia attingere debeat; quia nulla potentia potest transilire limites sui objecti formalis : quod nullo contradicente verissimum esse debet, ac certissimum. Et hinc fit, quod DEUS naturâ invisibilis, et insensibilis, oculo nostro per visibiles colores, et phantasiæ per sensibiles figuras repræsentetur.

§ II.

Connaturalis objectiva ratio operandi rationaliter, est aliquid immutabile, æternum, ac divinum.

SUMMARIUM. — 80. Probatur quintupliciter hæc ratio operandi. — 81. DEUS est unica virtus maritans mentem nostram. — 82. Nec inter actus rationales exceptio facienda. — 83. Solvitur objectio quoad peccata. — 84. Confirmatur solutio per D. Augustinum. — 85. Aliud ipsius S. clarius testimonium. — 86. Omnis, qui peccat perversè DEUM imitatur. — 87. Divo Augustino concordat D. Bonaventura. — 88. Et utrique D. Thomas q. de dæmonibus a. 8. — 89. Et 1. p. q. 105. a. 4. — 90. His non obstantibus peccamus : et cur?

Ex hoc certo nunc incumbit mihi, et quidem in hoc præliminari Capite, ubi de animâ rationali, et ipsius operandi modo sermonem facio, paulò fusiùs id rationibus ostendere, quod per decursum Libelli sæpius demonstrare conabor : videlicet rationem hanc objectivam, quâ velut veste, omne objectum incurrens in mentem nostram induendum est, necessario esse quid immutabile, æternum, ac divinum : et realiter loquendo esse ipsum DEUM summum verum, ac summum bonum. Consequenter, quòd mens creata nullum objectum rationaliter attingere possit, nisi aut sit aliquid immutabile, æternum, ac divinum; aut non nisi sub ratione, ac veste Entis immutabilis, æterni, ac divini (si non actu explicito, saltem implicito) ità ut omne illud, quod mentem creatam formaliter, et immediatè ad

agendum movet, ac sollicitat, aliud non sit, quam aliquid immutabile, æternum, et increatum.

80. Probatur primò ex dictis Sect. I. Ratio objectiva, cujus mens creata cum suis potentiis capax dicitur, est ipsum Verbum, id est ipsum immutabile, æternum, ac Divinum ens, sive DEUS. Ergò nulla potentia ipsius mentis potest ullum objectum attingere, nisi sub tali ratione.

Secundò : Mens est essentialiter imago DEI (ex Genesi) ergò non potest sub aliâ ratione tendere in objectum, nisi sub ratione DEI, nam modus agendi sequitur modum essendi.

Tertiò : Mens est creata à DEO, ut ipso frueretur : et hinc à nullâ aliâ re satiari potest, dicente D. Augustino Lib. 1. Conf. Cap. 1. *Fecisti nos Domine ad te, et quomodò inquietum est cor nostrum; donec requiescat in Te.* Et David ait : *Satiabor cùm apparuerit gloria tua*) sed quævis res est determinata ad rationem illius, quod illam satiare potest, ergò mens creata est determinata ad DEUM.

Quartò : Objectum est quasi forma potentiæ, ergo debet excedere dignitatem potentiæ [sicut vir excedit mulierem] sed solus DEUS excedit mentem (mens enim suprà se habet solum DEUM.) Ergò solus DEUS erit objectum mentis.

Quintò : A simili, oculus nil videt, nisi sub ratione luminis, seu illuminati (undè omnes colores si videri volunt debent induere vestem luminis) Ergò mens, cùm sit determinata ad lumen incircumscriptum (id est, lumen immutabile, æternum, Divinum) nihil attingit, nisi vestitum sit hâc ratione.

81. Ergò sola, et unica ratio entis immutabilis, æterni, ac Divini erit in omnibus objectis ipsa formalis ratio, seu virtus, quæ maritat mentem nostram : vel ut ait Augustinus, loco suprà citato : *DEUS est virtus maritans mentem meam.* Ergo juxta sensum D. Augustini, et ipsius veritatis, dicere debeo : Si contemplor mundum corporeum, et erga illum afficior : *DEUS est virtus maritans mentem meam!* si contueor Sanctos, et in illos affectu feror, *DEUS est virtus maritans mentem meam!* si considero cœlestes genios, seu Angelicos spiritus, et mente illos diligo, *DEUS est virtus maritans mentem meam!* si vel aut ipsam Divam Virginem, ipsius DEI Matrem aspicio : et illam teneriùs amo, *DEUS est virtus maritans mentem meam!*

83. In summa, quidquid objectorum per ullam suam potentiam (aut intellectivam, aut affectivam) mens attigerit, sive sit res indifferens, aut honesta, aut utilis, aut delectabilis, semper DEUS erit ipsa virtus, quæ illam maritet, et ad agendum fœcundabit, ac movebit.

Nec hic distinguendum est inter actiones, quæ fiunt propter DEUM, aut propter aliquid aliud : aut ea quæ agimus impulsu amoris amicitiæ, vel concupiscentiæ. In omni actu ratione nixo, divina aliqua ratio erit virtus maritans mentem nostram, eamdem fœcundans, et ad agendum movens.

83. Objicies, si hoc verum est, quòd DEUS sit menti universalis ratio operandi, mens semper benè operabitur, et nunquam malè ; aut si malè operatur, dicendum erit, quòd DEUS moveat ac maritet mentem ad peccatum. Ñ negando omnes sequelas. Concedo lubens in omni operatione mentis, quæ ex aliquâ ratione procedit (de his solis loquor, quia hæ solæ rationales sunt, et vitam rationalem constituunt) DEUM ipsum, vel aliquod ejus attributum esse rationem operandi. Et hoc non solùm cùm benè, aut indifferenter, sed etiam quando peccantes malè agimus. Nec mireris dictum. Non aio, quòd DEUS sit ratio ad peccatum : vel quòd sit ratio maritans mentem nostram ad peccandum, aut quòd DEUS nos moveat ad peccatum, vel ad peccandum. Absit hoc à corde meo. Est blasphemia Calvini. *DEUS fidelis, et absque ullâ iniquitate, justus et rectus. Qui mortem non fecit, nec delectatur in perditione vivorum. Quonium non DEUS volens iniquitatem tu es.* Deut. 32. v. 4. Sap. 1. v. 13. Ezech. 18. v. 32. Et 33. v. 11. Psalm. 5. v. 5. Nec aio, quòd DEUS præmoveat, aut physicè prædeterminet hominem ad ipsum actum peccaminosum, seu ad ipsum materiale peccati (est sensus quorumdam Theologorum.) Hæc, fateor, haud benè sonant : censeo utrumque præjudicare libertati, imò et ejus sanctitati, præsertim primum. In hâc meâ sententiâ DEUS nihil prævium influit in nostram libertatem velut conditionem ad agendum naturaliter necessariam (gratiam excipio in actibus supernaturalibus, quæ tamen libertatem non tollit) sed aio, DEUM esse unicam lucem ad omne intelligibile, et unicam rationem ad omne amabile, velut causam formalem, non subjectivam et internam, sed objectivam et externam, necessario prærequisitam ad intelligendum, et volendum quodcumque . Non quasi semper, quoties rationabiliter operamur, DEUM sub formali, et expressâ ratione DEI nobis præfigere debeamus ; sed quia non potest mens, in ordine ad DEUM, veluti ejus naturalis similitudo, creata, aliquid rationabiliter agere, nisi sub aliquâ æterna ratione, quæ soli DEO subjectivè conveniat.

84. Sed ne credatur me in hoc asserto authoritatibus aliorum destitui, D. Augustinum loquentem audiamus, quomodo DEUS optimus maximus sit aliquo modo, etiam dum peccamus, ipsa objectiva Ratio ac virtus maritans mentem nostram. Cujus dicti præpono illud na-

turæ principium : *Quòd nemo respiciens ad malum operetur*, nec quidem dum peccat. Quid ergò dicit Augustinus ? Lib. 1. Soliloq. Cap 1. sic ait : *DEUS, quem amat omne, quod potest amare, sive sciens sive nesciens*. Quamvìs verba hæc appareant impertinentia ad id quod volo, quisquis tamen profundiùs mentem sancti Viri perscrutatus fuerit, inveniet eumdem per hanc universalem sententiam idipsum insinuare velle, quod præfatum naturale principium, neminem videlicet unquam rationabiliter operari, nisi propter universalem rationem boni, quia nemo tam stultus est ut ad malum operetur. Et hinc est, quod idem Augustinus, Lib. De beatâ Vitâ, fusè probat, omnes velle beatè vivere, et extra DEUM non esse beatitudinem : Quia *nemo bonus nisi solus DEUS* : Ergò, cùm omnes in omni suo deliberato, ac rationali actu saltem implicitè velint, ac ament bonum, sequitur quod ipse DEUS, vel aliquid DEI sit communis ratio omnia volendi.

85. Sed expressiùs sancti Viri mens elucet Lib. 2. Confess. Cap. 6. ubi manifestè etiam de peccantibus, ac malè agentibus loquitur, quòd videlicet, quoties id agunt toties aliquod DEI attributum, saltem tacitè, præfixum habeant. Sermo autem erat de furto, quod adolescentem se commisisse deplorat. Sic ergò dicit : *Et nunc Domine DEUS meus, quæro quid me in furto delectaverit, et ecce species nulla est?* (quia nimirùm commissum fuerat ex merâ petulantiâ, absque ullâ, ut videbatur, præfixa ratione boni aut honesti, aut utilis, aut delectabilis.) Ultimò tamen concludit sic : *Quid ergò in illo furto ego dilexi, et in quo Dominum meum vel vitiosè atque perversè imitatus sum? An libuit facere contra legem, saltem fallaciâ, quia potentatu non poteram, mancam libertatem captivus imitarer faciendo impunè, quod non liceret, tenebrosâ omnipotentiæ similitudine.* Divinam ergò omnipotentiam, quæ facit omne, quod lubet, præfixam habuit Augustinus petulanter furando.

86. Occasione ergò hujus commissi furti transit ab hypothesi ad thesim, et id quod de se dixerat ad omnes malè operantes extendit his verbis : *Perversè te imitantur omnes, qui longè se à te faciunt, et extollunt se adversum te*. Quam universalem à partium enumeratione demonstrat, ostendens, quòd superbia DEI celsitudinem imitetur ; ambitio Divinum honorem, ac gloriam : sævitia DEI potestatem : blanditiæ lascivientium, quibus amari volunt, blandissimam DEI charitatem ; et præ cunctis salubrem, formosam, et luminosam ipsius veritatem : curiositas sciendi, omniscientiam ipsius : ignorantia et stultitia [quâ innocentes, et simplices volunt videri] DEI simplicitatem : ignavia certam DEI quietem : luxuria [cupiens vocari satietas,

et abundantia] plenitudinem, et indeficientem copiam divinæ, et incorruptibilis suavitatis : effusio [sive prodigalitas] sub umbrâ liberalitatis, DEUM affluentissimum bonorum omnium largitorem : avaritia DEUM omnia possidentem : invidia, de excellentiâ litigans, DEI infinitam excellentiam : ira, vindictam quærens, DEUM justissimum vindicem, etc. Tandem cœlestis hic, ac Seraphicus Divinorum Contemplator sic enumerationem concludit : *Ita fornicatur anima cùm avertitur abs te, et quærit extra te ea, quæ pura et liquida non invenit, nisi cùm redit ad te. Perversè te imitantur omnes, qui longè se à te faciunt, et extollunt se adversum te. Sed etiam sic te imitando indicant Creatorem te esse omnis naturæ, et ideò non esse, quò à te omninò recedatur.* Notentur hæc verba : *Non esse quò à te* [in quâcumque rationali actione] *omninò recedatur.* Quasi diceret, homo [et quævis mens creata] ad imaginem DEI facta est : ergò sicut DEUS, quoties quid facit, æternam rationem, quæ DEUS est, præfixam habet; sic et homo, si non sincerè, et ex virtute, saltem *fallaciâ, ac tenebrosâ Divinorum attributorum similitudine.*

87. Divo Augustino concordat in omnibus Seraphicus Doctor, Cap. 3. Itinerarii mentis in DEUM, his expressis verbis : *Desiderium* [mentis creatæ] *principaliter est ipsius, quod maximè ipsum movet. Maxime autem movet, quod maximè amatur. Maximè autem amatur esse beatum. Beatum autem esse non habetur nisi per optimum, et finem ultimum. Nihil autem appetit humanum desiderium, nisi summum bonum, vel quod est ad illud, vel quod habet aliquam effigiem illius.* Hæc Divus Bonaventura. Qui mox ad propositum meum ita concludit. *Tanta est vis summi boni, ut nihil nisi per illius desiderium à creatura possit amari. Quæ tunc fallitur, et errat, cùm effigiem, et simulacrum pro veritate acceptat.* Sic ille. Ergò sentit, nos nihil amare posse, nisi per desiderium Summi boni.

88. Concordat et D. Thomas. Quæst. 16. de dœmonibus a. 8. his verbis : *Motus voluntatis humanæ dependet ex summo ordine rerum, qui est summum bonum : quod etiam secundùm Platonem et Aristotelem ponitur altissima causa. Voluntas enim non est alicujus boni particularis, ut proprii objecti* [Notetur hoc] *sed boni universalis, cujus radix est summum bonum. — Unde cùm voluntas interiùs non possit ab alio, nisi à DEO moveri, cujus ordini immediatè subest motus voluntatis, et per consequens voluntariæ cogitationis, non potest cognosci neque à dæmonibus, neque à quocumque alio, nisi ab ipso DEO, et ab homine volente, et cogitante.* Hæc D. Thomas de proprio motivo voluntatis humanæ.

89. Vide eumdem et 1. p. q. 105. a. 4. ubi idipsum demonstrat hi verbis : *Respondeo dicendum, quòd sicut intellectus movetur ab objecto et ab eo, qui dedit virtutem intelligendi : ita voluntas movetur ab objecto, quod est bonum, et ab eo, qui causat virtutem volendi. Potest autem voluntas moveri sicut ab objecto à quocumque bono, non tamen sufficienter et efficaciter nisi à DEO. Non enim sufficienter aliquid potest movere aliquod mobile, nisi virtus activa moventis, excedat, vel saltem adæquet virtutem passivam mobilis. Virtus autem passiva voluntatis se extendit ad bonum in universali. Est enim ejus objectum bonum universale, sicut et intellectûs objectum est ens universale. Quodlibet autem bonum creatum est quoddam particulare bonum : solus autem DEUS est bonum universale. Undè ipse solus implet voluntatem, et sufficienter eam movet ut objectum.* Et infrà. *Inclinare autem in bonum universale est primi moventis, cui proportionatur ultimus finis, sicut in rebus humanis, dirigere ad bonum commune, est ejus, qui præest multitudini. Undè utroque modo proprium est DEI movere voluntatem, sed maximè secundo modo interiùs eam inclinando.* Hæc S. Thomas. Et 1. sec. q. 9. a. 6. sic ait : *Voluntas habet ordinem ad universale bonum : unde nihil aliud potest esse causa voluntatis, nisi ipse DEUS, qui est universale bonum.* Et ibi per totum articulum probat, voluntatem moveri à solo DEO, sicut ab exteriori principio. Et Responsione ad 3 ait : *DEUS movet voluntatem hominis sicut universalis motor ad universale objectum voluntatis, quod est bonum, et sine hâc universali motione homo non potest aliquid velle.* Nec quidem peccando, prout ibi sermo est.

90. Vides prudens Lector, et Angelicum Thomam, et Seraphicum Bonaventuram, Angelico et Seraphico Augustino ad unguem adstipulari : quòd videlicet DEUS ter optimus maximus sit unica, ac universalis virtus, seu ratio maritans, ac sufficienter movens mentem nostram : consequenter, quòd solum Ens æternum, ac immutabile sit unicum formale, et immediatum impulsivum, quo mens creata ad agendum incitatur, et invitatur. Quo tamen non obstante, ideò contingit nos peccare, et à Scopo deviare, quia contra DEI æternam legem, præfatam dignissimam Entis æterni et immutabilis rationem, inconvenienti subjecto applicamus, [v.g. superbus creatis honoribus, luxuriosus lasciviis, avarus possessionibus, gulosus ventri] ac proindè DEO magnam injuriam facimus, dum id, quòd solam effigiem et simulacrum DEI repræsentat, pro ipsomet DEO, ac ipsa veritate colimus, et acceptamus : et hoc vel actu explicito (et erit idololatria formalis) vel actu solùm implicito (et erit quodlibet aliud peccatum mortale).

§ III.

COROLLARIUM CIRCA RATIONEM OPERANDI.

SUMMARIUM. — 91. Actus rationalis pendet à duplici principio. — 92. Non sufficit sola mens, etiam cum specie informata. — 93. Species non est discretiva teste D. Augustino. — 94. S. Augustinus admittit etiam species intelligibiles. — 95. Species intelligibilis solum dat posse rem fallibiliter apprehendere. — 96. Objectio. — 97. Quid propriè sit aliquid definire?

91. Collige ex omnibus suprà dictis quamcumque mentis creatæ rationalem, seu ratione nixam operationem, quâ et à bestiis operantibus distinguimur, necessariò, ac essentialiter à duplici principio procreari : uno conjuncto, ac subjectivo [quo nomine venit ipsa mens seu potentia, unà cum specie intelligibili, vel aliis internis dispositionibus quibuscumque. Et hoc sensu mens respicit DEUM sicut causa particularis suam causam universalem : quia ambæ in suo ordine verè et efficienter concurrunt, sicut et quodlibet alius agens naturale ad suum effectum naturalem.] Alterum principium est separatum, ac objectivum : quo nomine præfata immutabilis et æterna Ratio intelligitur, lucens suprà locum, et suprà tempus ; et ideò naturaliter menti conspicua. Quo sensu solus DEUS objectivè agit, nec patitur secundarium, aut subordinatum consortium : cujus proindè objectivæ inactionis divinæ nullum aliud ens capax est, nisi solum ens rationale, juxta quod animam suprà definivimus, rationis capacem, seu participem. Vide fol. 4. num. 6 et seq. Undè conformiter dictis de intellectu agente num. 53. Et sequentibus, intellectus noster [sive per se acceptus, sive ut informatus specie intelligibili] absque dictâ immutabili, et æternâ Ratione non sufficit ad producendum actum rationalem. V. g. ad definiendum, judicandum, affirmandum, negandum, inferendum, etc. Quod etsi per Libelli decursum, veluti fundamentum totius hujus doctrinæ, de Solis Intelligentiæ incircumscripto, indeficienti, et inextinguibili lucis radio, sæpiùs demonstrabitur ; volo nihilominùs pro majori legentis satisfactione hoc ipsum in hoc præliminari Capite, per hunc, et sequentes Paragraphos, aliquantò fusius comprobare ; ut inde meliùs addiscamus, qualiter mens creata operetur.

92. Et quidem quòd nuda mens, seu potentia intellectiva non sufficiat indè patet, quia intellectus nudus comparatur ab Aristotele 3. *de Animâ, C. 4. Tex. 14.* tabulæ rasæ, in quâ nihil scriptum est. Quòd verò nec intellectus informatus specie intelligibili sufficiat, sic

probatur. Species intelligibilis non sufficit ad discernendum, ergò nec ad definiendum, aut judicandum, aut inferendum, etc. Consequentia est legitima, quia posteriores actus supponunt discretionem rerum. Probatur ergò antecedens. Quia species impressa cùm directè non cognoscatur, non potest esse discretiva : cùm enim substituatur pro re ipsâ, cujus est vicaria, et quidem simillima, eo ipso non discernit inter se, et ipsam rem : sed non cognita ducit in cognitionem ipsius. Undè contingit, quòd somniantes [quandò plerumque soluti s. speciebus intelligibilibus, ipsa ratio ligata, ac sopita manet] imagines rerum pro ipsis rebus æstimemus. V. g. somnians de divitiis se verè divitem credit : et simulacra divitiarum habet pro realibus divitiis. Adde, si species intelligibiles essent discretivæ, et à nobis reflexè adverterentur, nullus species negaret. Negat autem illas Durandus, et alii quidam cum ipso : ergò non advertuntur. Imò Philosophi non aliter in notitiam specierum venerunt, quàm per longum discursum. Cùm igitur species intelligibilis à nobis non advertatur, non potest esse principium discretivum. Si enim discerneret rem, deberet eam à quocumque, quod non est ipsa, discernere : sed hoc non facit, quia, ut jam dixi, in somnis, sola species absque ratione non distinguit inter veras, et falsas divitias.

93. Et hoc reperio Divum Augustinum expressè sensisse, 11. Lib. de Trinit : Cap. 2. et seqq. ubi fusiùs probat, tantam inter speciem, et rem, cujus est species intercedere similitudinem, quod non nisi per judicium rationis discrimen advertatur. Quin imò subjungit, quandoque contingere posse, quòd nec per ipsam rationem, inter rem et ejus speciem ulla differentia advertatur, sed potiùs unum habeatur pro altero. Quòd hæc sit expressa mens S. Augustini patet ex propriis ipsius verbis : *Corporis formam, quod videmus* [sic loquitur Cap. 2.] *et formam, quæ ab illâ in sensu videntis fit, per eumdem sensum non discernimus ; quoniam tanta conjunctio est, ut non pateat discernendi locus. Sed ratione colligimus ne quamquam nos potuisse sentire, nisi fieret in sensu nostro aliqua similitudo conspecti corporis. Neque enim cùm annulus ceræ imprimitur* [comprobat sententiam suam cum annuli impressorii similitudine] *ideò nulla imago facta est, quia non discernitur, nisi cùm fuerit separata etc.* Et Cap. 3. hoc ipsum refert etiam ad speciem intelligibilem quod videlicet non per se, at sola ratione discerni possit : sic enim ait : *Sicut autem ratione discernebatur species visibilis, quâ sensus corporis formabatur, et ejus similitudo, quæ fiebat in sensu formato, ut esset visio, alioquin ita erant conjunctæ, ut omnino una, eademque putaretur : sic*

illa phantasia cùm animus cogitat speciem visi corporis, cùm constet ex corporis similitudine, quam memoria tenet, et ex eâ, quæ inde formatur in acie recordantis animi: tamen sic una et singularis apparet, ut duo quædam esse non inveniantur, nisi judicante ratione: quâ intelligimus aliud esse illud, quod in memoriâ manet, etiam cum aliunde cogitamus, et aliud fieri cùm recordamur, id est, ad memoriam redimus, et illic invenimus eamdem speciem. Et Cap. 4. subjungit, si ad hanc specierum simillimam unitatem accedat vehemens voluntatis adhæsio, nec vel ipsâ ratione discrimen adverti posse. Sic enim ait : *Voluntas verò illa, quæ hâc atque illâc fert, et refert faciem formandam, conjungitque formatam, si ad interiorem phantasiam tota confluxerit, atque à præsentiâ corporum, quæ circumjacet* [alii legunt, *circumjacent*] *sensibus; atque ab ipsis sensibus corporis, animi aciem omninò averterit, atque ad eam, quæ intùs cernitur imaginem penitùs converterit, tanta offenditur similitudo speciei corporalis expressa ex memoriâ, ut nec ipsa ratio discernere sinatur, utrum foris corpus ipsum videatur, an intùs tale aliquid cogitetur.* Hæc S. Augustinus, qui mox varia hujus illusionis affert experimenta.

94. Loqui autem S. Doctorem non de solis speciebus sensibilibus, sed etiam intelligibilibus. Vide RR. PP. Connimbricenses in Libros de anima. Lib. 3. C. 5. q. 3. a. 2. ubi citant hunc locum D. Augustini, et inde probant existentiam specierum intelligibilium. Imò et ipse R. P. Henricus Wagnereck Soc. JESU, in Notis super Libros Confessionum, quamvis Lib. 10. post Cap. 9. neget S. Augustinum, præter species sensuum externorum, et internorum; alias intelligibiles admisisse : tamen post Cap. 15. concedit eumdem admisisse intelligibiles species affectuum in animâ. Et certè D. Augustinus illo priori Capite 9. Non sic intelligendus est, quasi scientiæ et disciplinæ ita in nobis per se inessent, quasi nulla requireretur species apprehensiva : sed tantùm ratione luminis, quod censuit nobis à DEO velut Sole intelligentiæ communicari, et menti nostræ veluti obsignari ad omnia intelligenda : eo modo, quo et D. Thomas docet. Vide suprà Sect. 3. § 5. à num. 53. et § 7. num. 62. Ergò etiam ad mentem D. Augustini species intelligibilis per se accepta non est instrumentum discretivum : consequenter nec rationale, nec definitivum, nec per se scientificum : nec proinde sufficiet ad rationabiliter operandum.

95. Confirmatur. Species intelligibilis impressa non plùs confert intellectui, quàm cum periculo errandi posse rem simpliciter tantùm apprehendere. Ergò non confert posse rem, aut discernere, aut definire; et minùs judicare, aut concludere : quia omnia ista plùs

insuper aliquod medium, velut principium objectivum. Et hoc objectivum principium, seu cognitionis medium, aut est ipsa res cognoscenda potentiæ cognoscitivæ realiter præsens. Ut cùm ipse realis sonus implet aurem, realis odor afficit odoratum, realis calor intrat tactûs sensorium, cibi realis sapor mulcet gustum, etc. Vel hoc cognitionis principium non ipsa res est, sed aliquid, quod vicem rei gerit. Porrò hoc vicem gerens, sive hæc objecti imago, pro eodem in actu cognitionis supponens, triplex posset concipi : scilicet rei species, rei idea, ac rei mensura : quas majoris claritudinis causâ his novis appello nominibus, scilicet imaginem repræsentantem (quâ apprehendimus) imitantem (quam imitamur) participantem (quam participamus).

99. Novis terminis obscuritatem tollo per hanc concionatoriam praxim. Concionator in Cathedrâ sibi nitidissimam puritatem D. Josephi dignissimi Sponsi Magnæ Virginis explicandam assumit : quam proindè variis mediis populo cognitam facit. Primo enim, juxta quod eumdem ex Evangelica narratione concipimus, ut nutritium Christi ; ut Sponsum Virginis Matris ; ut illum, cui DEUS erat subditus (quæ cognitio fit per species sensibiles, et intelligibiles ex Evangelio desumptas) ostendit decuisse, ac debuisse virum talem ac tantum esse mundissimum, purissimum et castissimum. Mox per aliud medium, aliudque principium idem de eodem suâ concione demonstrat ejusdemque puritatem auditoribus probatam exhibet, ex plùs quàm Angelicâ B. Virginis Matris puritate, quam dicit Josephum diligentissimè imitatum fuisse. En alius modus cognoscendi, scilicet per imaginem imitationis, seu per cognitionem ideæ, quam B. Josephus sibi imitandam proposuerat. Denique, ad tertium medium, seu principium, progressus eamdem ipsius puritatem declarat ex infinitâ ipsius DEI puritate, ac sanctitate, quam omnes creatæ sanctitates veluti mensuram suam æmulantur (dicente Christo : *Estote perfecti sicut Pater vester cœlestis perfectus est*) et proindè omnes Sancti eam participant, sed inæqualiter, ita ut unus viciniùs altero ad infinitam hanc DEI puritatem accedat, quò majoribus à DEO gratiæ muneribus affectus fuerit. Sed D. Josephum et gratiæ charismatibus copiosiùs cæteris donatum, et cæteris proximiùs ad DEI puritatem et sanctitatem appropinquâsse, ac de illâ liberaliùs participâsse, officium ad quod electus fuit honorissimum nos piè credere facit. Et hoc est tertium medium, seu tertium cognitionis principium, quo Sanctissimæ DEI Genitricis Sponsum maximâ puritate, et castitate fulsisse intelligo.

100. Alia brevior praxis est hæc. Personam Cæsaris non solùm

cognosco præsentem, sed etiam absentem, primò per speciem, seu imaginem apprehendentem (quâ illum mente velut præsentem effingo, et intueor). Secundò per picturam, sive imaginem ipsius idealem (quâ commonefio de vultu, aliisque Cæsaris lineamentis). Tertiò, denique ex mihi jam notâ veri Principis ac Monarchæ debitâ ratione, definitione, ac mensurâ; ad quam cerno ipsum Cæsarem multùm accessisse, et multas partes ejusdem participâsse. Ut si mensura veri Principis sit habere virtutem sine ullo admixto vitio, in persona Cæsaris paucissimos advertam nævos, etc.

§ V.

Differentia inter speciem, ideam, et mensuram.

SUMMARIUM. — 101. Differentia inter speciem, ideam, et mensuram. — 102. Quid et quantum species conferat? — 103. Per se nudè accepta potest errare, nec extenditur ad omnia individua. — 104. Objectio de intellectu respiciente infinitas formas. — 105. Quid et quantum conferat idea, et mensura.

101. Porrò inter speciem, ideam, et mensuram, sive inter imaginem apprehendentem, imitantem, et participantem non parva intercedit differentia, ut ex jam dictis colligi potest. Prima enim est signum rei formale, non instrumentale : ideòque cùm sit objecto, sive rei, simillima, absque eo, quod præcognoscatur ducit in ejus notitiam, nec discernit inter se et illud objectum : ac proindè non est reflexiva, et ideò non dat rem definitivè cognoscere, sed tantùm fallibiliter apprehendere. Et quia velut signum naturale ex aliquo, vel aliquibus entibus effigiata fuit, ideò illius, vel illorum tantùm notitiam causare poterit, ex quibus emanavit et fabricata est. Quia nihil protenditur extra sphæram activitatis suæ. Et quia potest esse, quòd illud, ex quo depicta fuit, non fuerit talis res, vel objectum (ut cùm video arborem putans esse hominem) ut sic ipsa species potest esse causa apprehensionis erroneæ.

102. Et hoc dicendum æstimo, sive cum Scoto, Richardo, Ochamo, Toleto, Valentia teneamus, quòd omnes species productæ ab intellectu agente repræsentent sola singularia signata, et primum ab intellectu possibili ex inspectâ convenientiâ plurium singularium fiant species universales : sive cum Thomistis contrarium sentiamus, quòd videlicet omnes species, quas intellectus agens ex phantasmatibus eruit, ac fabricat, non singulares, sed universales sint. Nam utrobique species eruta fuit ex rebus particularibus, et mutabilibus,

ac errori obnoxiis, et ut sic, et errare poterit. Præsertim cum ex parte phantasmatis, quod asserunt esse concausam, (sive dein materialem, efficientem, aut exemplarem) in producendâ specie intelligibili, varia impedimenta, et illusiones intervenire possunt. Et quia nemo est, qui sensu perceperit omnia singularia unius generis, aut speciei [quæ infinita sunt, saltem potentiâ] quomodo ergò poterit fabricare e illis paucis visis unam speciem universalem, quæ omnibus, etiam non visis, communis sit, nisi præterea accedat aliud universale lumen, sive intuitus ad æternam aliquam regulam, ideam, et mensuram, quæ luceat suprà locum, et suprà tempus : quam nullum individuum pro ullo imaginabili loco aut tempore effugere possit. Sicut pictor, si vult aliquorum idealem imaginem justè depingere, aut debet ipse omnes vidisse : aut aliunde certò scire, quòd talem, ac talem vultum omnes habeant, prout intendit eos coloribus exprimere : quia de invisis, et de incognitis nemo judicare potest. Et certè, si species intelligibilis per se nuda spectetur, absque præfato intuitu ad aliquam communem, et impræjudicabilem Regulam, non video quomodo possit esse principium, aut ut per eam aliquid infallibiliter, et sine periculo errandi cognoscatur; aut ut per eam infinita cognoscantur, et repræsententur. Ratio est, quia non datur virtus activa creata, quæ mutationi non sit obnoxia, et quæ in suo effectu, quem activè prestat, non sit ad aliquid certum, ac finitum determinata, ac limitata.

103. Confirmatur 1. Id quod omnia individua unius speciei [v. g. hominis] debet posse certitudinaliter et absque errore repræsentare, debet incommutabiliter, et æternaliter lucere suprà omnem locum, et suprà omne tempus [aliàs enim non posset suâ repræsentatione complecti omnia individua, pro quâcunque loci, vel temporis differentiâ possibilia] sed nulla creatura, aut vis creata, per se accepta lucet suprà omnem locum, et suprà omne tempus [quia saltem definitivè est alligata ad certum locum, et ad certum tempus]. Ergò nulla creatura, aut vis creata per se nudè accepta poterit certitudinaliter, et absque errore omnia individua unius speciei, v. g. hominis, aut unius generis, v. g. animalis, quoad aliquid commune omnibus repræsentare. Confirmatur 2. Non datur extra DEUM creata virtus, quæ formaliter faciat hominem ab intrinseco impeccabilem in voluntate [sic tenent illi, qui putant de absolutâ potentiâ posse stare peccatum cum entitate gratiæ] ergò nec datur extra DEUM virtus, quâ quis certus fiat, se non errare in intellectu.

104. Dices, intellectus noster est virtus creata, et tamen respicit infinitas formas, quas certitudinaliter cognoscere, et intelligendo in

se recipere potest. Ergò poterit etiam aliqua virtus esse creata, et simul infinita repræsentare, et quidem certitudinaliter. ℟. Concedo antecedens, nego consequentiam. Quia nec intellectus respicit infinitas formas ut unica virtus earumdem formarum activa, sed receptiva tantùm : nec intellectui cognoscenti obtingit certitudo ex se (cùm sit creatura mutabilis) sed ex conjunctione ad lumen æternum, et immutabile. Et hoc ipsum est, quo D. Thomas intendit, cum Q. unicâ de animâ. a. 5. ad 9. negat intellectum agentem posse sufficienter intellectum possibilem ad perfectum actum reducere, nisi DEO uniatur, in quo sunt rationes omnium, sic enim loquitur : *Ad 9. dicendum, quòd intellectus agens non sufficit per se ad reducendum intellectum possibilem perfectè in actum : cùm non sint in eo determinatæ rationes rerum, ut dictum est. Et ideò requiritur ad ultimam perfectionem intellectûs possibilis, quòd uniâtur aliqualiter illi agenti, in quo sunt rationes omnium rerum, scilicet DEO.* Hæc D. Thomas de insufficientiâ intellectûs agentis, et consequenter speciei intelligibilis : sive imaginis representantis.

105. Longè alia ratio est quoad alias duas imagines, imitantem et participantem, sive ideam et mensuram : hæ quippè non cæco modo, sicut species (quæ non visa ducit in notitiam rei) sed benè inspectæ, et mente visæ, ducunt in notitiam illorum, quæ illas imitantur et participant. Et proinde discernunt inter se effigiem, et rem effigiatam (v. g. inter Mariam et Josephum, inter picturam et Cæsarem; inter puritatem DEI et Josephi : inter virtutem Leopoldi, et Principis, qui sit norma vivendi omnibus Principibus.) Et ideò possunt inservire pro notitiâ, non unius, aut aliquorum, sed omnium illorum (quamvis infinitorum, si darentur) quæ tali ideæ assimilantur, vel talis mensuræ perfectionem aliqualiter participant. Et ulteriùs possunt esse principium cognitionis infallibilis, ac certitudinalis, eò quòd moveant ad ideati et mensurati notitiam, cum reflexione ad aliquam rationem æternam ac immutabilem. Unde non solùm dant rem apprehendere, sed etiam definire, distinguere, judicare, affirmare, negare, inferre : cum hâc tamen differentiâ, quòd idea, quæ est rei affirmativè, vel negativè comparabilis, serviat pro judicio et illatione : mensura verò, quandoquidem mensurato comparabilis non est, cum illud necessariò in perfectione debeat excedere (juxta illud, *primum in unoquoque genere mensura est cæterorum*) sic consequenter non tàm judicandis, aut inferendis, quàm potius definiendis rebus inservit. Ut enim v. g. naturam, qualitates, et perfectiones Argenti, vel alterius imperfectioris metalli definire possim, ac discernere ; non parùm

lucis ad hoc faciendum allaturum est ipsum perfectissimum metallum, scilicet aurum : quod est omnium metallorum mensura : cùm sit omnium perfectius, purius, incorruptibilius, ductilius; sive percussione dilatabilius, ponderosius, etc. Exinde per majorem, vel minorem accessum ad has naturæ perfectiones, possunt inter inferiora metalla discernere, et singula eorum definire : quò viciniùs enim aliquod metallum accedit ad auri perfectionem eò melius ac perfectius est : quò magìs ab eâ recedit eò viliùs æstimatur. Aurum ergò in genere metallorum est mensura ad cognoscenda et definienda omnia metalla. Sed quæ fuerit communis definiendorum mensura in omni genere entis? ℟. per sequentem Paragraphum.

§ VI.

DEUS est unica mensura et idea ad omnia infallibiliter cognoscenda.

SUMMARIUM. — 106. DEUS est unica infallibilis idea, et mensura rerum etiam juxta D. Thomam. — 107. Et non solùm in essendo, sed etiam in cognoscendo — 108. Et non solùm ad certò judicandum, sed etiam ad definiendum. — 109 Quomodo omnia à nobis cognoscantur in rationibus æternis? — 110. Præter rationes æternas requiruntur etiam species. — 111. Rationes æternæ non cognoscuntur à nobis in se ac perfectè; sed in alio, et imperfectè — 112. Confirmatur testimonio D. Augustini. — 113. Aliud testimonium ejusdem. — 114. Tertium ipsius testimonium. — 115. Confertur S. Augustinus cum D. D. Thoma et Bonaventura. — 116. Quo sensu et ipse intellectus vel subjectivum rationis lumen dici possit regula et mensura agendi? — 117. An veritas hæc latuerit Philosophos antiquos?— 118. Quid de Aristotele sentiendum sit? — 119. Cur Plato et Aristoteles pleraque falsa de DEO senserint?

106. His prælibatis assero unicam infaillibilem rationem, mensuram et ideam, ad omnia discernenda, definienda, judicanda, affirmanda, neganda, approbanda, reprobanda, inferenda, etc., esse ipsum DEUM ter optimum maximum. Assertio probatur per totum Libri decursum, sufficiat hic mentem D. Thomæ paulò fusiùs referre, ut advertatur mihi contrarium non esse. Ergò 1. p. q. 3. a. 5. sic ad secundum respondet : *DEUS dicitur mensura omnium, ex eo, quòd unumquodque tantum habet de esse, quantum ei* [id est DEO] *appropinquat*. Et q. 16. a. 5. *Intelligere* [DEI] *est mensura, et causa omnis, alterius esse, et omnis alterius intellectûs. Et ipse* [DEUS] *est suum esse, et intelligere.* Et primâ secundæ q. 93. a. 1. ad 3. sic ait : *Intellectus Divinus est mensura a rerum, quia unaquæque res in tantùm habet de veritate in quantum imitatur intellectum Divinum. Et ideò intellectus Divinus est*

verus secundum se. Undè ratio ejus est ipsa veritas. Hæc ibi. Ubi quoque S. Doctor approbat id, quod Augustinus dixerat, videlicet, legem suprà mentem nostram esse ipsam veritatem. Idem, Quæstione unica, de spiritualibus creaturis, a, 10. ad 8. concedit, si aliquid cognoscatur velut ex medio, et per regulam, ac mensuram, necessariò illud medium debere esse aliquid immutabile. Et ad 10. sic expressè ait : *Illud, quo judicatur de duobus, quòd sit melius, oportet esse utroque melius, si eo judicatur, ut regula et mensurâ. Sic DEUS est regula et mensura omnium entium, quia unumquoque tantò melius est, quantò magis optimo appropinquat.*

107. Vides Ergò S. Thomam DEUM pro universali mensura statuere, et non solum in essendo, sed etiam in cognoscendo. Et quamvis ibidem adjungat etiam intellectum agentem posse deservire ad judicandum, non tanquam per medium, sed tanquam per virtutem cognoscitivam : tamen ut ex jam dictis constat, mens S. Thomæ nullo modo est, quòd absque intuitu ad infallibilem divinam mensuram possit haberi infallibile judicium. Nam q. 11. de Magistro a. 1. ad 13. expressè dicit, *quòd certitudo scientiæ tota oriatur ex certitudine principiorum — Et lumine rationis divinitùs interiùs indito, quo in nobis loquitur DEUS.* Ergò non oritur hæc infallibilis certitudo ab intellectu agente, vel specie intelligibili, aut aliâ re mutabili. Et sicut absque intuitu ad dictam infallibilem mensuram non potest haberi certitudo in judicando, sic nec in definiendo, ob paritatem rationis.

108. Sed audiamus ipsummet Doctorem Angelicum ulteriùs loquentem. Et quidem 1. p. q. 87. a. 1. sic ait : *Verum est, quòd judicium et efficacia hujus cognitionis, per quam naturam animæ cognoscimus* [definiendo] *competit nobis secundùm derivationem luminis intellectûs nostri à veritate divinâ, in quâ rationes omnium rerum continentur, sicut suprà dictum est (q. 84. art. 5.) Unde Augustinus dicit in Nono de Trinitate. Intuemur inviolabilem veritatem, in quâ perfectè quantùm possumus definimus,* etc. Hæc ille. Et dicta q. 84. [prout idem Sanctus seipsum citat.] Per totum articulum 5. demonstrat, quòd mens *omnia cognoscat in rationibus æternis sicut in cognitionis principio.* Pro quo astruendo primò verba D. Augustini ponit, quæ habet Lib. 12. Confess. Cap. 25. *Si ambo videmus verum esse, quod dicis, et ambo videmus verum esse, quod dico, ubi quæso id videmus? Nec ego utique in te, nec tu in me : sed ambo in ipsâ, quæ suprà mentes nostras est, incommutabili veritate.* Post quæ subjungit D. Angelicus : *Veritas autem incommutabilis in æternis rationibus continetur. Ergò anima intellectiva omnia vera cognoscit in rationibus æternis* Et infrà. *Et sic*

necesse est dicere, quòd anima humana omnia cognoscat in rationibus æternis, per quarum participationem omnia cognoscimus. Ipsum enim lumen intellectuale, quod est in nobis, nihil est aliud, quam quædam participata similitudo luminis increati, in quo continentur rationes æternæ. Unde in Psalmo dicitur, multi dicunt, quis ostendit nobis bona? Cui quæstioni Psalmista respondet, dicens : Signatum est super nos lumen vultûs tui Domine. Quasi dicat. Per ipsam sigillationem Divini luminis in nobis omnia demonstrantur.

109. Hæc doctor sanctus. Qui tamen in eodem articulo binas limitationes adjungit. Primam quòd omnia in rationibus æternis cognoscamus, non ut *in objecto cognito*, sed tantùm ut *in cognitionis principio*. Alteram, quòd pro habendâ notitiâ rerum materialium non sufficiat lumen rationis, seu participatio dictarum rationum æternarum, sed requiri insuper species intelligibiles à rebus acceptas. Pro prima limitatione alibi (q. unica de Spirit. creat. art 10. ad 8.) dat hanc causam, quia si illæ rationes æternæ à nobis viderentur, etiam ipse DEUS secundùm essentiam à nobis videretur, cum quo realiter idem sunt. Pro alterâ restrictione affert testimonium S. Augustini Lib. 4 de Trinitate, Cap. 16. dicentis. Etsi Philosophi *ex rationibus æternis* perceperint, ac cognoverint *omnia temporalia fieri*, non tamen indè percipere potuerunt, *quot sint animalium genera, quæ semina singulorum*, etc., *sed ista omnia per locorum ac temporum historias quæsivisse.*

110. Ego huic posteriori limitationi totaliter consentio. Quia ut mens nostra alicui rei materiali æternas rationes discurrendo applicet, debet posse eamdem rem apprehendere : sed rerum apprehensio fit per species, ergò præter lumen æternarum rationum requiruntur etiam species. Et ideò cæcus à nativitate non potest doceri de coloribus, ut ait S. Thomas 1. q. 84. a. 3. Sed etiam quoad priorem limitationem menti Doctoris Angelici totaliter consentio, non tamen simplici exteriorum verborum apparentiæ. Mens Doctoris sancti per illa verba : *non sicut in objecto cognito*, nullo modo intendit, quòd æternæ rationes, quibus cætera cognoscimus, nullo modo à nobis cognoscantur. Si enim nullo modo à nobis cognoscerentur, quomodò possent inservire pro cognitionis principio? Omnes Dialectici affirmant inter cætera præcognita ante demonstrationem deberi etiam præcognosci principia : debeo quippè saltem scire, quid nominis, et quod vera sint.

111. Vult ergò S. Thomas solùm negare, quod non cognoscantur à nobis intuitivè, sicut videntur à Beatis. Hanc esse mentem Doctoris

Angelici colligo ex propriis ejusdem verbis citata quæstione 84. a. 5. ubi postquam dixisset æternas rationes inservire pro cognitionis principio, non tamen ut in objecto cognito, etc. Mox ait : *Sic* (id est, ut in objecto cognito) *in rationibus æternis cognoscunt omnia Beati, qui DEUM vident, et omnia in ipso*. Et infrà. *Quòd autem Augustinus non sic intellexerit omnia cognosci in rationibus æternis, vel incommutabili veritate, quasi ipsæ rationes æternæ, videantur, patet ex hoc*, etc. Nota terminos *DEUM vident : quasi ipsæ rationes videantur*. Ergò D. Thomas solùm negat æternarum rationum perfectam intuitionem, non verò cognitionem illarum abstractivam, vel etiam imperfectam intuitivam (quâ res videtur non in sè, sed ut inclusa in altero, de quâ plura suo loco).

112. Et certè (utor S. Augustini discursu Lib. 7. Conf. cap. 17.) Quomodò est possibile, quòd ego rem æternam, et incommutabilem præponam rei commutabili, nisi illam æternam, et incommutabilem [saltem in ictu trepidantis aspectûs] aliquo modo cognoscam! En verba S. Patris! *Quærens enim undè approbarem pulchritudinem corporum, sive cœlestium, sive terrestrium; et quid mihi præsto esset integrè de mutabilibus judicanti, et dicenti, hoc ita esse debet, illud non ita. Hoc ergò quærens, undè judicarem, cùm ita judicarem, inveneram incommutabilem, et veram veritatis æternitatem suprà mentem meam commutabilem*, [His verbis insinuat æternam veritatem, sive æternas rationes esse principium ad cognoscendum, et judicandum. An verò hæ rationes cognosci debeant : En quid Vir sanctus de illis subjungat!] *Ratiocinans potentia*, inquit, *quæ se quoque in me comperiens mutabilem, erexit se ad intelligentiam suam, et adduxit cogitationem à consuetudine, subtrahens se à contradicentibus turbis phantasmatum, ut inveniret quo lumine aspergeretur, cum sine ullâ dubitatione clamaret, incommutabile præferendum esse mutabili : Undè nôvisset ipsum incommutabile, quod nisi aliquod modo nôsset* (Notetur hoc) *nullo modo illud mutabili certò præponeret, et perveniret ad id, quod est in ictu trepidantis aspectûs*. Sed dices, cùm Augustinus suâ contemplatione eò usque ascendit, quid invenit? sequitur *tum verò invisibilia tua, per ea, quæ facta sunt intellecta, conspexi, sed aciem figere non valui, et repercussa infirmitate redditus solitis non mecum ferebam nisi amantem memoriam, et quasi olfacta desiderantem, quæ comedere nondum possem*. Mox Capite sequenti. *Et quærebam viam comparandi roboris, quod esset idoneum ad fruendum te, nec inveniebam, donec amplecterer mediatorem DEI, et hominum, hominem CHRISTUM JESUM*.

113. Ergò sentit S. Augustinus nullo modo posse nos rationem

quamdam æternam et immutabilem rei temporali certò præponere (sicut omnes præponunt) nisi ejusdem rationis æternæ aliqualem notitiam naturaliter insitam habeamus.

Hoc ipsum alio ratiocinio demonstrat hic Vir DEI amantissimus, Lib. 10. c. 19. ubi clarè et eleganter probat, neminem quæsiturum, et inventurum DEUM, nisi aliquam ejus insertam notitiam haberet; sic enim loquitur : *Si præter memoriam meam te invenio immemor tui sum. Et quomodo jam inveniam te, si memor non sum tui? Perdiderat enim mulier drachmam, et quæsivit eam cum lucernà, et nisi memor ejus esset non invenisset eam. Cùm enim esset inventa, undè sciret, utrùm ipsa esset, si memor ejus non esset?* Hæc ille, subdens, se multa perdidisse, et cum quærenti varia offerrentur, se tamdiu respondisse : *non est, donec id offerretur, quod quærebat.* Ergò memor erat illius, ergò illud non à memoria, sed à solo visu perierat, cujus tamen imaginem in memoria retinebat. Ulteriùs discurrit. Consequenter vult dicere, quomodo potest aliquis per demonstrationem invento DEO, cognoscere esse idipsum, quod quærebat? nisi id, quod modo invenit, comparando cum imagine, quam priùs inditam memoriæ retinebat. Hic est scopus S. Doctoris. De hoc Augustini discursu hanc fert censuram doctissimus Henricus Wagnereck Soc. JESU, in suis Notis super Libros Confess. *Clara et elegans est hæc S. Doctoris doctrina, inde optime concluditur, DEUM intra memoriam quæri debere, et aliquam illius notionem, sive conceptum, saltem obscurum, nobis insitum esse.* Hæc ille.

111. Est ergo juxta S. Augustinum homini naturaliter inserta aliqua notitia DEI ac rationum æternarum, quibus velut medio utimur ad omnia veraciter discernanda ac intelligenda. Imò hæ rationes æternæ, seu DEUS : ipse, sunt illud ipsum objectivum rationis ac mentis lumen, quo omnia discernimus, et judicamus : sicut etiam alibi sæpiùs fatetur, et præsertim Lib. 12. de Genesi ad litteram, Cap. 31. ubi sic ait : *Aliud autem est ipsum lumen, quo illustratur anima, ut omnia vel in se, vel in illo veraciter intellecta conspiciat : nam illud ipse DEUS est, hoc autem creatura : quamvis rationalis et intellectualis ad ejus imaginem facta, quæ cum conatur lumen illud intueri, palpitat infirmitate, et minùs valet. Inde est tamen quidquid intelligit sicut valet. Cùm ergo illuc rapitur, et à carnalibus subtracta sensibus, illi visioni expressiùs præsentatur, non spatiis localibus, sed modo quodam suo etiam suprà se videt illuc, quo adjuta videt quidquid etiam se intelligendo videt.* Hæc S. Doctor.

113. Ex quibus, chare Lector, non difficulter claram Augustini

mentem exaratam intelligis, quid nimirùm illud sit, quo anima illustratur ad veraciter intelligenda et videnda omnia; quove principio mens utatur in approbando, et judicando de rebus: ait enim, nil mutabile esse, sed potiùs ipsum DEUM, seu *veram veritatis æternitatem*, sive, ipsas rationes æternas. Habes quoque, an non has rationes æternas (quibus cætera cognoscimus, et judicamus) aliquo modo, saltem ad instar oculi vespertilionis trepidando, cognoscere debeamus! Hinc et ipse Doctor Seraphicus, Cap. 3. Itinerarii mentis in DEUM, asserit memoriæ nostræ inesse retentionem et repræsentationem simplicium, et sempiternalium, *quia nunquam potest sic oblivisci eorum, dummodò ratione utatur, quin ea audita approbet, et eis assentiat, non tanquam de novo percipiat, sed tanquam sibi innata et familiaria recognoscat.* Et infrà fusè ostendit, quomodò æternæ rationes, in suâ puritate in DEO repertæ, serviant pro rebus definiendis. Sed plura ad hanc rem ex Doctore Seraphico suo loco. Vides ergò et Augustinum, et S. Bonaventuram convenire, quod rationes æternæ, quibus ut mensuris, et ideis, ac regulis utimur ad omnia certitudinaliter cognoscenda, definienda, judicanda, concludenda, à nobis cognosci debeant: nec aliud vult S. Thomas, dum ait illas inservire pro cognitionis principiis. Negat tamen illas à nobis intuitivè in se videri. Ergò ut totum concludam, etiam juxta sensum D. Thomæ, DEUS ter optimus maximus est unica et infallibilis ratio, mensura et idea ad omnia discernenda, definienda, neganda, approbanda, reprobanda, inferenda.

116. Interim lubens concedo, quod etiam intellectus noster, et ipsum subjectivum, seu creatum rationis lumen, vocari possint regula et mensura omnium cognoscibilium: cum addito, *ex parte nostrâ*, id est, regula ac mensura creata. Quia verè nostro intellectu, ac creato rationis lumine utimur ad omnia certitudinaliter cognoscenda. Sed nego, quòd in hanc creatam regulam, et in hoc creatum lumen ipsa actûs certitudo ac infallibilitas ideò refundenda sit: cùm semper fateri nos oporteat, quòd omnis vis, seu facultas creata aliquo modo mutabilis sit, et consequenter errare possit. Refunditur ergò in ipsum increatum, et objectivum lumen; in ipsam objectivam regulam ac mensuram, quæ sicut ipse DEUS est, ita nullo modo potest errare.

Nec dissentit S. Thomas, ut ex jam dictis patet. Quibus adjungo id, quod ait 1. sec. q. 90. a. 1. *Regula et mensura humanorum actuum est ratio quæ est principium primum actuum humanorum.* Et q. 91. a. 3. ad 2. sic dicit: *Principia naturaliter indita sunt Regulæ quæ-*

dam generales, ac mensuræ eorum, quæ sunt per hominem agenda quorum ratio naturalis est regula et mensura. Sed ut hæc naturalis ratio ab errandi periculo immunis sit, vult S. Doctor ut oculos a æternis rationibus, ab immutabili æternâ luce, ac rerum omnium ideâ non avertamus. Hæc rerum immutabilis lux et idea verò est ipsemet DEUS (ut expressè idem S. Doctor fatetur 1. p. q. 15. a. 1 ad 3. *Dicendum, quòd DEUS secundùm essentiam suam sit similitudo omnium rerum. Unde idea in DEO nihil est aliud quàm DEI essentia*). Ergò juxta Doctorem Angelicum, ut à periculo errandi immunes simus, non debemus oculos à DEO, et ejus essentia avertere

An antiquos Philosophos latuerit DEUM esse rerum omnium causam efficientem et exemplarem?

117. Sed quæsieris circa finem hujus § an veritas hæc quod DEUS sit omnium rerum tum causa efficiens, tùm exemplar, idea, ac mensura, Philosophos antiquos latuerit? Respondeo de Platonicis non esse dubitandum, quòd eam per rimas saltem prospexerint. Constat enim Platonem omnia in æternas et incorruptiles ideas retulisse: De quo et Aristoteles 8. Phys. Cap. 1. Text. 10. sic affirmat: *Plato solus autem ipsum* [tempus] *generat nam unà cum cœlo genitum ait.* Hæc Aristoteles de mente sui Præceptoris. Nec desunt qui Platonem in solo DEO, non extra DEUM ideas posuisse asserant.

118. Major difficultas videtur circa mentem Aristotelis, cujus perpetua vox fuit, *ex nihilo nihil fit* (vide Eumdem 1. Physic. Cap. 5 Text. 33 et sæpiùs). Et inde mundum ab æterno fuisse operosè nititur demonstrare ibidem Lib. 8. Cap. 1. à Textu 6. Undè videtur mundi creationem ignorasse, nec consequenter DEUM illius auctorem, aut mensuram credidisse. Et ita tenent de Aristotelis sensu Henricus, Ariminensis, Marsilius, apud Connimbricenses, Lib. 8 Phys. Cap, 2. q. 2. a. 2. Qui in contrariam partem propendent ob has rationes. Quia 2. Rhet. Cap. 23. asserit, dæmones esse opus DEI Et in 2. de Generat. Cap. 10. Textu 58. ait, DEUM universum omnibus suis numeris concinnè, et eleganter perfecisse, veram æternitatem iis, quæ habere illam poterant impertiendo. Et 2 Metaph. Cap. 1 Tex. 4. docet, primam causam esse cæteris causam ut sint. Et eoden Cap. 3. ostendit non dari progressum in infinitum in causis agentibus, sed tandem deveniendum ad unam effectricem causam omnium rerum. Et Lib. 12. Cap. 7. Tex. 38. ait: *Cœlum et naturam pendere à*

DEO. Et Cap. 8. Tex. 43. DEUM absolutè vocat principium et causam primam. Ita Conimbricenses in favorem mentis Aristotelicæ. Adde illa, quæ Lib. 10. Metaph. de ratione mensuræ scribit, nimirùm, quòd ratio mensuræ potissimùm conveniat unitati. Et quòd mensura debeat esse certa, et indivisibilis. Ex quo etiam sequitur debere esse impræjudicabilem. Ubi etiam affirmat, primùm in unoquoque genere mensuram esse cæterorum. Et huc illud etiam quadraret, quòd Lib. 8. Physic. Cap. 2. Textu 16. admittit aliquam æternam et immutabilem veritatem, quæ nullam sui causam habeat. Sic enim loquitur contra Democritum : *Nam et triangulus duobus rectis æquales semper habet, sed tamen hujus æternitatis alia est causa* (quia nimirùm hæc æterna veritas probatur per definitionem trianguli). *At verò principiorum cùm sint sempiterna, alia causa non est.* Quo nomine intelligit primas ac indemonstrabiles veritates, à quibus omnes aliæ pendent, quæ objectivè acceptæ nihil possunt esse distinctum à DEO. Ex his et aliis videtur satis probabile, quòd Aristoteles quoque subolfecerit DEUM ter optimum maximum esse id, *ex quo omnia, per quem omnia in quo omnia* : sive rerum omnium causam efficientem, finalem, et exemplarem : minùs tamen quam suus Magister Plato, qui quoad notitiam divinorum longè viciniùs accessit ad Theologiam Christianorum. Ut patet legenti D. Augustinum, tùm in Libris Confessionum (præsertim Lib. 7. C. 9.) tùm in Libris de Civitate DEI [vide Lib. 8. C. 4. 5. 7.] causam hujus variam afferunt. Alii æstimant Platonem Judæorum libros legisse. Alii dicunt Platonem majori mentis abstractione præditum fuisse (quæ veritati Divinæ comparandæ plurimùm conferrè certum est) sed Aristotelem discipulum magis addictum fuisse elementis mundi hujus.

119. Quidquid sit, hoc unum certum est, quòd sicut ambo de DEO ter optimo maximo quædam vera dixerunt, ita pariter non pauca satis absona, et absurda, indignave, de eodem pronuntiarunt. Si causam quæsieris, cur ingenia tam sublimia eousque in plerisque deliraverint? Dubium nullum est, quòd ex fidei supernaturalis defectu contigerit. Sed et aliam causam offert D. Augustinus citato Cap. 9. Libri 8. Confess. videlicet mentis arrogantiam, quâ dedignabantur pruritum ingenii nimiùm turgescentis in obsequium fidei subjugare. *Qui autem Cothurno incedunt*, sunt verba ejusdem Sancti citato loco, *tanquam doctrinæ sublimioris elati* [Sermo est de Platonicis] *non audiunt dicentem : Discite à me, quoniam mitis sum, et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. Et si cognoscunt DEUM, non sicut DEUM glorificant, aut gratias agunt : sed evanescunt in cogitationibus suis, et obscuratur insipiens cor eorum, dicentes, se esse sapien-*

tes, stulti facti sunt. Hæc sanctus Augustinus concors menti Divi Pauli. Rom. 1, vers. 21.

Quòd verò præfati Philosophi etiam de Divinis non pauca veritati conformia loquuti fuerint, testatur idem Divus Augustinus in principio citati Capitis 9. sic dicens : *Et ibi* [id est in Libris Platonicis] *legi, non quidem his verbis, sed hoc omninò multis et multiplicibus suaderi rationibus* : *quod* in principio erat Verbum et Verbum erat apud DEUM et DEUS erat Verbum; hoc erat in principio apud DEUM omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nihil. Quod factum est in eo, vita est. Et vita erat lux hominum, et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt. *Et quia hominis anima, quamvis* testimonium perhibeat de lumine, non est *tamen ipsa* lumen, *sed verbum DEI. DEUS est enim* lumen verum, quod illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum. Et quia in hoc mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. *Quia verò* in sua propria venit, et sui eum non receperunt : quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios DEI fieri, credentibus in nomine ejus : *non ibi legi. Item ibi legi*; *Quia DEUS verbum,* non ex carne, non ex sanguine, non ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis, sed ex DEO natus est. *Sed quia* verbum caro factum est, et habitavit in nobis : *non ibi legi. Indagavi quippè in illis litteris varie dictum, et multis modis, quòd sit* filius in forma Patris, non rapinam arbitratus esse æqualis DEO, *quia naturaliter idipsum est. Sed quia* semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, et in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo, humiliavit se, factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis. Propter quod DEUS exaltavit eum à mortuis, et donavit ei nomen, quod est super omne nomen : ut in nomine JESU omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus JESUS in gloria est DEI Patris : *non habent illi libri. Quod enim ante omnia tempora. et suprà omnia tempora, incommutabiliter manet unigenitus filius tuus coæternus tibi, et quia* de plenitudine ejus accipiunt *animæ, ut beatæ sint* : *et quia participatione manentis in se sapientiæ renovantur, ut sapientes sint* : *est ibi. Quòd autem* secundùm tempus pro impiis mortuus est : et filio unico tuo non pepercisti, sed pro nobis omnibus tradidisti eum : *non est ibi.* Abscondisti enim hæc à sapientibus, et revelasti ea parvulis : *ut* venirent ad eum laborantes et onerati, et reficeret eos, quoniam mitis est et humilis corde : et dirigit mites in judicio, et docet mansuetos vias suas, *videns humilitatem nostram, et laborem nostrum, et dimittens omnia peccata nostra.* Hæc Aug. de Lib. Platonicis.

APPENDIX

Ad Caput I.

Sensus Doctorum de specificatione habituum : et lumine scientifico.

SUMMARIUM. — 120. De specificatione scientiarum per lumen. — 121. Tabula de lumine specificante cognitionem.

120. Hac Appendice claudo totum Caput, ut et à communi Doctorum in sequentibus non dissentiam, et ut synopticè varietas scientiarum, et differentia cognitionum ex luminis discrimine percipiatur.

Sciendum est ergò, quòd juxta communem (æquè Theologorum, ac Philosophorum) non solùm actus et potentiæ, sed ipsi quoque potentiarum habitus specificentur, constituantur, et inter se formaliter distinguantur ex objecto formali, vel ratione objectivâ, seu formali motivo. Et hoc formale motivum in habitibus cognoscitivis est lumen Undè ipso motivo, seu lumine variato variantur et habitus : Et proindè ex tali diverso assentiendi motivo, aut erit Fides Divina, vel humana. seu opinio : aut actus prudentiæ, vel scientiæ, aut sapientiæ, aut habitûs principiorum, etc. Et indè consurgit ille modus loquendi Dialecticorum, quòd scientiæ desumant suam genericam unitatem et distinctionem, ex generica luminis unitate ac distinctione : specificam verò ex variis abstractionibus à materia. Vide D. Thomam Opusculo 10. q. 5. a. 1. Et 1, p. q. 85. a. 1. Materia quippè propter suam vagam, et passivam indifferentiam ac mutabilitatem, cùm sit causa omnis mutationis, corruptionis, et instabilitatis, sic etiam est causa ignorantiæ et tenebrarum mentalium. Ac proindè cùm objectum aliquod mentaliter à materia abstrahitur, est idem ac ex tenebris in lucem collocari. Et quia materia vel est singularis aut communis sensibilis, aut intelligibilis, seu materia prima, sic quoque diversimodè potest fieri abstractio, et diversimodè potest aliquod objectum illuminari, ac per mentalem abstractionem lucidum ac certum reddi. Undè quæ ab omni materiâ abstrahunt [ut veritas, et cujuslibet entis abstracta ratio] sunt intellectui lucidissima. Et ea, teste D Augustino Lib. 10. Conf. c. 12. et sæpiùs, nec sunt græca, nec latina, nec alba, aut nigra; nec sonora, aut benè, vel malè olentia; nec dulcia, aut calida, vel frigida. Adde, nec vel mea, vel tua, aut crastina, vel hesterna, etc. An autem hoc lumen sit ens fabricatum ab intellectu ita ut actus abstrahens illud primum in esse producat, vel an sit aliquod reale æternum, Cap. 3. Hypoth. 11. fusiùs resolvetur, sufficiat hic sequentem ponere scientifici luminis tabulam, seu divisionem.

TABULA

LUMINIS COGNOSCITIVI

- 121. Quælibet mentis visio, seu intellectûs cognitio generatur ex aliquo lumine : Et hoc lumen vel est
  - Supernaturale. Et hoc vel est.
    - Clarum, seu lumen gloriæ, quo intuitivè Deus videtur.
      - Et hoc specificat Theolo Beatorum.
    - Aut obscurum, seu lumen fidei, quo obcurè Deus videtur.
      - Et hoc specifiat Theolo Viatorum.
  - Aut naturale: Et hoc aliud.
    - Externum, seu objectivum, quod Alii adscititium, vel adventitium, seu causam scientiæ, aut rationem sciendi vocant, et ab Aristotele sub nomine principiorum intellectum fuit, ut volunt Conimbricenses In Logica, mihi fol. 676. Quæst. unica. a. 1. Et hoc lumen
      - Aut est evidens, vel inevid æternum vel temporale : circums tum, aut incircumscriptum.
      - Porrò de hoc lumine naturali externo, seu objectivo, et incircumscripto, vel æterno, quæritur quid sit? Ego puto realiter loquendo esse idem cum DEO, per intellectûs abstractionem non factum, sed detectum. Quæ abstractio vel
        - Abstrahit lum à ma individuali, etiam à ma communi.
        - Vel à solâ teria sensil vel etiam al telligibili.
        - De his qua speciebus ab tionum vid Thom. 1. p 85. a. 4. ad
    - aliud internum, vel subjectivum. Et hoc vel
      - Nativum, seu à naturâ ingenitum, id est, ipsa mens, seu potentia cognoscitiva, id est
        - Intellectus,
        - Memoria.
      - Aut acquisitum, seu menti superadditum. Et hoc iterùm duplex, aut
        - Habituale est ipsi ha scientifici
        - Vel actu id est ipsi scientiæ.

CAPUT II.

EX DICTIS IN PRIORI CAPITE, TOTIUS CONTROVERSIÆ STATUS ERUITUR, ET DE NOVO CLARIUS EXPONITUR.

SUMMARIUM. — 1. Etsi status quæstionis ex dictis colligi possit, tamen hic clariùs et breviùs declaratur. — 2. Ignorato enim statu quæstionis nihil dicendorum utiliter percipi potest. — 3. Quem proindè explicabo ut potuero.

1. Existimo, Lector amantissime, quòd ex dictis in præcedenti Capite, aut jam videris, seu prævideris : vel saltem à longè subolfacere potueris, quò mea in sequentibus progressura sit intentio. Credo te facili conjecturâ posse mentem meam divinare. Sed nolo te de sensu meo solùm conjectare, at volo, ut firmiter de illo judicare possis. Undè, jamjam dictis et exaratis nihil obstantibus, ut via, quâ tibi subsequenti præcedo, adhuc magìs trita, ac lucidior paretur, in hoc secundo Capite ipsum totius controversiæ, seu quæstionis statum velut ab ovo, et de novo, ac speciali diligentiâ manifestandum esse duxi. Nec puto hanc meam abundantiorem industriam inopportunam, aut crambem bis coctam futuram : at potiùs servituram, ut animum tuum et proximiùs, et uberiùs, ac coposiùs ad intelligentiam mei quæsiti principalis disponam : ad quam Te non disposuero, nec Te præparavero, nisi scitissimè priùs cognoveris, quò mea, ac omnium dicendorum ultimò feratur intentio, et quid illud propriè sit, de quo præsens quæstio instituitur.

2. Status enim quæstionis in acquirendis scientiis, et dissolvendis opinionum dubiis est ipsum centrum totius studiosæ circumferentiæ : est ipsa causa, circa quam lis vertitur : est cardo, circa quem disceptatio volvitur : est primum cognitum, antecedens omnia cætera : non minùs, quàm apud Medicos esset solet notitia affectûs curandi : vel apud Judices corpus delicti, in faciendis processibus ; vel cognitio viæ, seu termini, cum aliò progredi volumus. Frustra enim medicus consilia multiplicat, pharmaca præscribit, applicat remedia, nisi priùs benè cognitum habuerit patientis affectum. Injustus erit Ju lex, si processum formet, nisi priùs de corpore delicti constiterit : errandi periculo se committit peregrinus, viam ingrediendo, quam ignorat. Eodem prorsus errandi periculo tenetur, quisquis controversiam quamcumque decidendam accedit, cujus statum quæstionis priùs explora-

tum non habuerit. Qui eò clariùs exponendus erit, quò subtilioribus, abstrusioribus, et à sensibus magìs remotis latebris eadem controversia delituerit. Et hinc credo factum esse, quod hæc præsens quæstio, licet alioquin nec indigna, nec ignobilis, vix ab ullo (quantùm mihi constat) ex professo tractetur. Quamvìs enim plures olim fuerint (ut ex dicendis patebit) qui de ipsâ scripserint, eamdemque probaverint, et oppositum confutaverint; vix tamen reperio quemquam illorum claris terminis quæstionis hujus statum nescientibus explicâsse. Cùm tamen in hujusmodi abstrusioribus materiis difficulter possibile sit aliquid dicendorum intelligere, nisi priùs benè ac dilucidè, in quo versetur quæstio palam fiat.

3, An ergò ego tam leve pondus hoc efficere potuero! illudque præstitero, illudque supplevero, quod aliis facere potuerunt, sed noluerunt! an ego hasce tenebras effugavero, vel potiùs luci densiorem obscuritatem superinduxero! Quidquid futurum sit de eventu, si sat meipsum intellexero, explicabo, si non quod debeo, saltem prout mihimetipsi rem istam intelligendam depinxi.

SECTIO I.

Quid sit certum et quid controversum circa Divinum intelligentiæ solem?

SUMMARIUM. — 4. Quid non quæratur, sed extra omnem controversiam ut verum supponatur? — 5. Quid proprìè quæratur, seu quid nomine Solis intelligentiæ lumen indificiens etc. intelligatur?

4. Dico igitur me per *Solis intelligentiæ, cui nox non succedat, indeficiens ac inextinguibile lumen*; *et ejusdem immediatum internum magisterium*, non intelligere ipsam nudam gratiæ illustrationem quam soli DEO attribuendam esse, vel ipsis pueris convenit esse notum. Nec quoque sermo est de ipsâ supernaturali doctrinâ fidei nec etiam de externo Ecclesiæ, vel ipso seculari magisterio. Quibus proindè nec in minimo præjudicare volo. Undè statim à Capite fateor, quòd etiam per homines nobis DEUS loquatur; et quòd præceptiva, ac decisiva Ecclesiæ vox, sicut est ipsiusmet DEI verbum (cum ex ejus Spiritu loquatur) ita pariter cum omni reverentiâ suscipienda est, tanquam absolutè infallibilis, et ab omni errandi periculo immunis: et quæ simul nos obliget, ne illi unquam contradicere possimus; et exteriùs nos doceat, ac illuminet, dum nos DEUS intùs illustrat.

5. Non igitur de his aut sermonem facio, aut dubium moveo : s otiùs meo Sole intelligentiæ ea confirmo. At benè quæritur de illu ıinatione naturali, et de ipso interno naturali mentis magisteri uo mens nostra naturaliter imbuitur : cui nimirùm, aut unicè, au otissimùm oporteat illud adscribi, an creaturæ, vel DEO creanti ; ai lagistro creato vel increato. Et proinde assero hunc esse præsenti uæsiti integrum statum, ac Opusculi mei controversiam totam, an cilicet verum sit, quòd menti creatæ ipse æternus intelligentiæ Sol DEUS, ejusque indeficiens, ac inextinguibile veritatis lumen, naturaiter fulgeat, et quidem ante omne rationis argumentum [saltem lirectè, et aliquo subobscuro modo) et hoc suo naturali fulgore amdem ad agendum ex ratione objectivè permoveat. Quæritur ergò, uo, vel quali modo primum rerum principium DEUS (appropriatè Chrisus, seu Verbum) menti creatæ, per intellectum, voluntatem, ac memoriam, rationabiliter operanti conjungatur : et quid entis illud sit, quod has tres animæ rationalis spirituales potentias ad operandum ex ratione, ultimatè, ac simul immediatè stimulat, et movet ? An videlicet ipsa mens ad hoc sibi sufficiat, et seipsam moveat, vel, si etiam alio distincto motivo indigeat, an motivum hoc sit ipse DEUS, vel potiùs creatura, an ens reale, an potiùs sufficiat ens fictum ; et signanter, an hoc distinctum mentis creatæ motivum sit ipsum primum princiıium ; ipsum æternum Numen, seu infinitum æternum, et incomıutabile Ens entium, seu ipsa DEI Sapientia, ipsa prima Veritas, et ımma Bonitas [vel appropriatè loquendo Verbum, seu Christus.] An, quam, DEUS, vel aliquod ejus intrinsecum, æternum, ac immuta- attributum sit illud entis, quod semper menti creatæ, quoties raabiliter, sive ex ratione, operatur, aliquo modo visibiliter [visibiem mentalem intelligo, non corporalem] imò advertere, ac se ctere volenti, etiam aliquo modo experimentaliter conjunctum, ıitum est, videlicet tanquam ultimata, et simul immediata objec- et motiva ratio ad operandum : et veluti Lux, Regula, et Menomnia, et singula, ex ratione vel rationabiliter, intelligendi, et di ; aut quomodo libet intellectualiter, rationabiliterque ope- ac vivendi : ita ut ad quemcumque actum scientificum, ad umque intellectionem, ad quemcumque amorem ; aliamve ope- m ex ratione procedentem, ipse DEUS, vel aliquod ipsius cum verum attributum, menti sic operanti, si non clarè, salquo modo subobscuro, lucere debeat, veluti ratio formalis rationis. Hic est totus status hujus integræ Controversiæ. Sed magis capiatur, et intelligatur, eumdem per sequentia magis

clarifico : expedit enim, ut in hujus incæptæ viæ principio dictis abundem.

SECTIO II.

Status quæstionis diluvidatur per analogiam Solis, et oculi corporei.

SUMMARIUM. — 6. Analogia Solis et visus corporei controversiam declarat. — 7. Inter oculum carnis et oculum mentis est magna proportio. — 8. Præter objectum quod, qualiter sit necessaria ratio objectiva. — 9. Triplex dependentia operationis mentalis. — 10. Similitudo monentis, et lumen cubili inferentis.

6. Inter sidera cœli Sol velut Rex eminet, inter humanos sensus oculus, seu visus, excellentiæ primatum tenet : ambo menti nostræ sicut summè obvia, ita præ aliis entibus notissima : sicut et notissimum est, quòd oculus carnis, ad hoc ut videat, necessariò indigeat externâ luce. A simili quæritur, an etiam oculus mentis, ad hoc ut videat mentaliter, indigeat suo externo Sole, suâ externâ luce : et an iste mentis Sol, seu mentis externa, et objectiva lux sit ipse DEUS : ita ut eo modo, quo Sol corporeus, et sensibilis ista lux, concurrunt, ac requiruntur ad oculum carnis, dum visionem suam corporalem, ac sensibilem elicit ; sic etiam DEUS [vel aliquod DEI reale, ac verum internum attributum] concurrat, et requiratur ad oculum mentis, dum operatur, et visionem mentalem, sive intellectionem, producit ? An, inquam, ipse DEUS sit verus intelligentiæ Sol, idem proportionaliter conferens, ac præstans oculo mentis, quod Sol corporeus confert ac præstat oculo carnis : An nimirùm sicut corporeus Sol, mediante suâ luce, ac radiis solaribus, objectis visibilibus surperveniens [v. g. coloribus] eosdem, priùs solùm potentiâ, nunc actu visibiles facit, ac potentes reddit, ut species producere, ad oculum transmittere, et eumdem ad visionem eliciendam permovere, ac stimulare valeant : ita, inquam, etiam ipse DEUS sit Sol intelligentiæ, qui mediante suo æterno lumine, ac radiis veritatis, objectis intelligibilibus, et menti operaturæ superveniens, et illa ex ratione intelligibilia faciat, et hanc ad operandum, et intellectualem visionem eliciendam stimulet, ac permoveat, et veluti lucernam ad operandum accendat : non tanquam subjectiva species, sed ut objectiva ratio, veritas et operationis mensura. Ita, ut omnes rationes, et omnes æternæ veritates sint quasi radii hujus Solis intelligentiæ, sive DEI, idem supplentes oculo mentis, quod radii sensibiles dant oculo carnis ?

7. Ut hanc comparationem Solis [quæ statum quæstionis optimè declarat] meliùs capias, observare debes id quod et Capite seq. iterùm explicabitur : videlicet inter oculum corporis, et oculum mentis magnam reperiri proportionem cùm operantur. Consequenter, sicut in oculo corporeo, ad hoc ut actu videat, non sufficit ejusdem oculi sanitas, et interna ejusdem perfectio : aut ut apertus aspiciat. Nec sufficit objecti debita approximatio : sed insuper necessarium est aliquod sensibile lumen, quod oculo disposito, aperto, et aspicienti dicta objecta illustret [quæ aliàs essent in tenebris] et eadem visui pandat, et prodat, et manifestet, [quæ, lumine absente, essent occulta] ita quoque in visu interno, id est, oculo mentis, sive intellectu, ad hoc ut actu intelligat, et intellectualiter videat, non sufficit ejusdem oculi sanitas, aut interna ejusdem perfectio : aut ut cum intentione intelligendi aspiciat : nec etiam sufficit objecti intelligibilis debita approximatio : sed insuper necessarium est aliquod intelligibile lumen quod ipsi visui interno, seu oculo mentis [id est, intellectui] disposito, aperto, et aspicienti, dictum objectum intelligibile pandat, prodat, ac manifestet : quod aliàs, eo lumine absente, maneret in tenebris, et occultum. Vide infrà Cap 3. Sect. 1. Hipoth. 4.

8. Hæc eadem comparatio meliùs intelligetur, si in mentem reducatur id, quod communiter tenent Philosophi, et Theologi, videlicet cuilibet potentiæ vitali hoc esse commune, quòd ad actualiter operationem suam eliciendam, præter suam intrinsecam vim activam (non impeditam) et præter objectum Quod, debitè approximatum, indigeat insuper aliquâ ratione objectivâ, et motivâ, quæ compleat objectum in esse objecti, et ipsam potentiam verè moveat, et stimulet ad operandum : et simul operationem specificet. His suppositis, quæritur, an hæc ratio objectiva, et motiva, an hoc spirituale lumen, quod mentem creatam, ejusdemque tres spirituales potentias ad rationaliter operandum stimulat, ac movet, sit ipse DEUS, vel aliquod ipsius æternum attributum? Vel an potiùs sit aliquod ens reale creatum [v. g. ipsum objectum reale, aut intellectus agens, aut species intelligibilis, aut ipse creatus Doctor, et Magister] vel denique solum ens fictum, seu rationis (v. g. aliqua ratio, seu universale, per intellectum abstractum, et primum fabricatum.) Præsens Opusculum resolvit hoc luminis, et rationis objectivæ motivum, respectu mentis creatæ nemini competere posse, nisi soli DEO, vel appropriatè loquendo ipsi Verbo, seu Christo pro nobis Crucifixo.

9. Secundò, constat in datâ similitudine Solis, Radios solares, ipsamque corpoream visionem, ex impulsu dictorum radiorum elici-

tum intellectûs possibilis [ad quem spectat considerare et intelligere.] Quia, ut ait: *Omne agens quamcumque actionem habet formaliter in seipso virtutem, quæ est talis actionis principium.* Ergò duo concurrunt ad intellectionem producendam, et DEUS, et virtus animæ: prout et Cap. 1. Sect. 4. § 3. dictum fuit,

13. Sed ut sciamus qualiter utrumque concurrat, sic sapientissimus Doctor concludit : *Undè dicimus, quòd lumen intellectûs agentis, de quo Aristoteles loquitur est nobis immediatè impressum à DEO, et secundùm quod discernimus verum à falso, et bonum à malo — sic igitur quod facit in nobis intelligibilia actu per modum luminis participati est aliquid animæ — illud verò, quod facit intelligibilia per modum Solis illuminantis est unum separatum, quod est DEUS.* Hæc S. Thomas.

14. Sentit ergò Doctor Angelicus, quòd in eliciendâ visione intellectuali DEUS subeat rationem Solis intelligentiæ, idem præstans oculo mentis, quòd Sol corporeus præstat oculo carnis. Ergò sicut Sol corporeus est, qui suâ luce illuminat oculum corporeum, et facit eum videre, ita DEUS velut Sol intelligentiæ erit ille, qui facit nos interiùs videre, et intelligere; non verò is quis nos solum exteriùs monet et excitat ad intuendum Solem.

15. Objicies : S. Thomas q. de Magistro a. 1. ad 12. expressè negat paritatem hujus analogiæ : sic enim loquitur : *Ad 12. dicendùm, quòd non est simile de intellectu, et visu corporali : visus enim corporalis non est vis collativa, ut ex quibusdam suorum objectorum in alia perveniat : sed omnia sua objecta sunt ei visibilia quam citò convertitur. Undè habens potentiam visivam se habet hoc modo ad omnia visibilia intuenda, sicut habens habitum, ad ea, quæ habitualiter scit consideranda. Et ideò videns non indiget ab alio excitari ad videndum, nisi quatenùs per alium ejus visus dirigitur in aliquod visibile, ut digito, vel aliquid hujusmodi.*

16. S. Thomas vult dicere : Non est mirum, quòd oculus carnis nihil juvetur ad suam visionem eliciendam, ab eo, qui digito monet, ut se ad objectum visibile convertat : eo quòd oculus carnis jam æqualiter sit dispositus, facilitatus, et jam veluti habituatus ad omnia sua corporalia objecta : undè nullâ aliâ re indiget, quàm unâ simplici conversione ad illa : quia videlicet omnia sua objecta sunt ei quodammodo æqualiter in plano posita. Sed aliud est de oculo mentis, *Potentia* enim *intellectiva* (sic subdit) *cùm sit collativa, ex quibusdam in alia devenit : unde non se habet æqualiter ad omnia intelligibilia consideranda : sed statim quædam videt (ut quæ sunt per se nota) in*

Solis sensibilis ad Solem intelligentiæ, sicut clarè habent D. Augustinus, et S. Dionysius Areopagita (prior Lib. 1. Solil. cap. 4. Posterior de Divin. Nomin. Cap. 4.) ita nec D. Thomas eamdem reticuit, sed pluribus in locis expressit, et approbavit. Ut, de spiritualibus creaturis q. unica. a. 10. in fine Responsionis. (Vide suprà Cap. 1. n. 56.) Item 1. p. q. 79. a. 5. ad 3. ubi sic habet : *Communicatio hominum in primis intelligibilibus* [id est, veritatibus lumine naturæ notis] *demonstrat unitatem intellectûs separati* (à quo videlicet omnes hæ primæ veritates in nobis causantur) *quem Plato comparat Soli : non autem unitatem intellectûs agentis, quem Aristoteles comparat lumini*. Et priori loco, de spiritualibus creaturis, postquam retulisset, concedendam esse in viâ Aristotelis virtutem aliquam, quæ faciat intelligibilia actu : et hanc alios dixisse esse intrinsecam potentiam animæ, alios verò non virtutem animæ, sed esse aliquam substantiam separatam. Mox Doctor Angelicus utriusque huic opinioni secundùm aliquid subscribit dicens : *Quod quidem utrumque aliqualiter est verum. Oportet enim quòd suprà animam humanam sit aliquis intellectus* (id est, divinus ut infrà probat), *à quo dependeat suum intelligere.* [Et hoc D. Thomas tripliciter ostendit. Primò, quia nostrum intelligere est per participationem, ergò reducendum erit ad intellectivum per essentiam. 2. Quia nostrum intelligere est, et fit per modum motûs, procedens ab uno ad alterum : ergò nititur aliquo superiori intellectu immobili, cujus intelligere sit fixum et quietum, et absque discursu. 3. Quia anima, seu intellectus noster est in potentiâ ad intelligibilia, et in intelligendo imperfectus; *Ergò oportet suprà animam esse aliquem intellectum in actu existentem, et totaliter perfectum intelligentiâ veritatis*. Hæc D. Thomas de concursu divini, ac superioris Solis, ad hoc ut intelligere possimus necessarii.

12 Sed ne quisquam inde colligeret, quòd anima nostra omninò nihil conferat ad rerum intelligibilitatem, sed solus DEUS, sive intellectus divinus, adjungit hæc formalia : *Non autem potest dici, quòd iste intellectus superior faciat intelligibilia actu in nobis immediatè absque aliquâ virtute, quam ab eo anima nostra participet.* Vult dicere, quòd intellectio nostra à duplici dependeat principio, uno superiori, sive extrinseco ; altero subjectivo, sive intrinseco et velut internâ virtute. Quòd verò in nobis sit hæc participata virtus, ad faciendam intelligibilitatem rerum, dicit experimento patere ; quia ait, abstrahimus universales rationes à particularibus quando volumus : et considera-mus naturas abstractas quando placet : Ergò dabitur in nobis creata virtus, tum intellectûs agentis (ad quem spectat officium abstrahendi)

in ipsis citatis verbis, ubi hanc analogiam negare videtur, non nisi *per officium rationis*, judicat nos posse aliquid alteri explicare : ergò hæc explicatio aliud non erit quàm excitatio, seu manuductio ad æternam rationem.

18. Nec absurdum æstimes, quod dicam, oculum mentis jam ad objectum conversum, posse iterùm, et sæpiùs et profundiùs ad illud converti : cùm enim hæc spiritualis mentis conversio non fiat motu aut situ locali, sed novâ mentis attentione, facile fieri potest, quòd etiam respectu ejusdem materialis objecti, mens sit conversa et non conversa, sed convertibilis. Undè ponamus v. g. quòd mens discipuli capiat, ac intelligat omnia hæc principia per se nota : [v. g.] *Impossibile est idem simul esse et non esse : Omne totum majus est sua parte. Propter quod unumquodque tale, et illud magìs tale. Quidquid est causa causæ est etiam causa causati.* Sive, *causa antecedentis est etiam causa consequentis ; Causa prioris est etiam causa posterioris. Sicut se habet res ad esse, ita et ad operari. Sicut se res habet ad esse, ita et ad cognosci. A quo res habet esse, habet et distinctum esse.* Sive, *Primum constitutivum est etiam primum distinctivum. Quidquid potest virtus inferior potest et superior. Summum in aliquo genere continet omnes perfectiones illius generis. Quidquid recipitur per modum recipientis recipitur. Frustra est illa potentia, quæ nunquam reducitur ad actum. Species sunt sicut numeri. Nihil est in intellectu, quin priùs fuerit in sensu. Essentiæ rerum sunt æternæ. Corruptibile et incorruptibile differunt genere. In æternis idem est esse et posse. Nullum violentum perpetuum. Magis et minùs non variant speciem, Actiones sunt suppositorum. Actus activorum non fiunt nisi in patiente vel subjecto benè disposito. Posita causa ponitur effectus, et sublatâ causâ tollitur effectus. Omne per accidens reducitur ad ens per se : Omne posterius reducitur ad prius, compositum ad simplex, imperfectum ad perfectum. Undè et destructo eo, quod est per se, aut priùs, aut simplex, aut perfectum, destruitur id, quod est per accidens, posterius compositum, imperfectum. Omne, quod movetur ab alio movetur, etc.*

19. Ponamus ergò quòd mens alicujus discipuli omnia ista principia, cum suis limitationibus, benè intelligat et capiat, ut sic dicetur mens ipsius ad hæc conversa, et non convertibilis. Quia tamen potest esse, quod mens hujus discipuli, etsi dicta principia benè capiat, tamen conclusiones inde deducibiles (ac veluti ex suis rationibus seminalibus primùm generabiles) simpliciter ignoret, ut sic ejus mens potest dici non conversa, sed ulteriùs ad hoc suum objectum, ad

c veritatis principia, convertibilis. Quamvìs enim eadem principia r se accepta, simpliciter cognoscat (id est, quoad exteriorem ve- i corticem) non tamen æquè citò ad interiora ipsorum principio- m videt, id. est ad internas conclusiones, ex illis principiis veluti nerabiles, quibus conclusionibus dicta principia quasi gravida nt. Undè talis discipulus, vel ejusdem oculis mentis, quamvìs ad ı principia quoad exteriorem corticem sit jam conversus, et eadem ueatur, non tamen ad ea conversus est quoad interiorem medul- n. Et hinc indiget novâ excitatione, novâ admonitione, novâ con- rsione, ut penitiùs videlicet in eadem principia introspiciat, certò :tiùs in illis visurus etiam illa, quibus gravida sunt, videlicet nclusiones, quas postea etiam simpliciter cognoscet, sicut priùs ; solùm secundùm quid, et in solis rationibus seminalibus, sive in nere tantùm cognoscebat. Quam conclusionum notitiam si acqui- 'erit, referat acceptam, non tam monenti, sive excitanti exteriori ıgistro, quam illis fœcundis intùs operantibus gravidis principiis, quorum activâ fœcunditate notitia conclusionum in suâ mente ogenita fuit: ipso exteriùs monente solum testimonium de illo- m principiorum fœcunditate perhibente. Quid autem fuerint illa erna et immutabilia principia objectivè accepta, nisi immutabilis vina Veritas, quæ DEUS ipse est? Fusiùs intelliges ex dicendis.

SECTIO IV.

I STATUS QUÆSTIONIS MANIFESTATUR EX RATIONE MENSURÆ, ET SCIENTIÆ: EX INDITA NOTITIA PRIMORUM PRINCIPIORUM: ET EX EO, QUOD QUÆLIBET MENS CREATA SIT IMAGO DEI.

MARIUM. — 20. Mensura, scientia, primæ veritates, imago DEI explicant statum uæstionis. — 21. Qualiter mensura statum q. explicet. — 22. Qualiter scientia statum . explicet. — 23. Qualiter notitia primorum principiorum statum q. explicet. — 4. Qualiter ratio imaginis DEI statum q. explicet. — 25. Synopsis dictorum. — 6. Qualiter intelligatur à solo DEO mentem moveri. — 27. Diversimodè potest aliquid ı alio moveri. — 28. Status q. universalis in sequentibus limitatus probatur. — Si Solus DEUS potest intùs illuminare, etiam potest solus intùs docere.

icut analogia Solis, et oculi corporalis (sive quod idem est porei, ac lucis sensibilis) non parùm juvat pro intelligentiâ quæstionis, ita quoque diligens inspectio, quid mensura re scientia, et undè notitia primarum veritatum in nobis

existat, et quod homo sit imago DEI, multùm pro eâdem intelligentiâ profuerit.

21. Primò itaque [conformiter iis, quæ suprà Cap. I, Sect. 4, § 6, de ratione mensuræ diximus] constat, quòd rerum naturæ earumque virtutes, et quantitates cognoscantur, intelligantur, et definiantur per intuitum ad aliquam mensuram : sive, ut Aristoteles dicit, quòd *primum in unoquoque genere mensura sit cæterum*. Quòd adeò verum est, ut non solum verificetur in rebus corporalibus, sed etiam spiritualibus, Physicis et Metaphysicis, ac Moralibus. Cùm et ipsi plebi compertum sit, apud quos sæpiùs audimus in communi discursu illius mensionem fieri. V. g. Dieser oder jener ist ein rechtes Muster der Heiligkeit, der Vollkommenheit, der Gesundheit, der Glückseeligkeit, der Gottlosigkeit etc. Un vero Ritratto, l' originale medesimo, di santità, di perfezzione, di sanità, di felicità, di bellezza, di malvagità. Quo loquendi modo veluti insinuare cupiunt talis personæ sanctitatem perfectionem, virtutem, sanitatem, felicitatem, pulchritudinem, aut etiam perversitatem, inservire posse loco mensuræ cujusdam intellectualis, quâ adhibitâ quamcumque alterius hominis sanctitatem, perfectionem, virtutem, sanitatem, felicitatem, pulchritudinsm, aut etiam infamem vitam, veluti ulnâ dimetiri, ac mensurare possimus. Hoc autem habet Ratio mensuræ, quod dum, eâ adhibita, alia cognoscimus, et veluti mensuramus; necessarium sit, non solùm rem mensurandam (v. g. ipsum pannum, ipsum triticum, ipsum lignum, ipsum loci seu viæ distantiam vel quidquid aliud, quod mensurare solemus) sed etiam ipsam adhibitam mensuram oculo aspicere : imò mensura sic visa est ratio cognoscendi rem mensuratam. Cùm igitur, ut Capite præcedenti Sect. 4. § 6. probatum fuit, in omni genere entis positivi DEUS sit universalis mensura omnium rerum, mensura mensurans, seu veritas omnia mensurans : Quæritur an sicut est necessaria omnium rerum mensura in essendo, ita quoque sit universalis omnium mensura in cognoscendo, ita ut nulla res aut intelligi, aut cognosci, aut amari possit, nisi beneficio hujus Divinæ mensuræ cointellectæ, coamatæ: ita ut uno mentis oculo feramur in ipsam mensuram mensurantem, sive rei cognoscendæ, vel amandæ rationem æternam (quæ DEUS est) et altero in rem mensuratam. Quod idem est quærere, an omnia, quæ intelliguntur à mente debeant intelligi in virtute summi veri et omnia quæ amantur ab eâdem habeant amari in virtute summi Boni. Sed adhuc aliter.

22. Secundò : Constat ex Philosophis, et ipso Aristotele, scientias formaliter esse solùm de rebus æternis, stabilibus, et permanentibus.

[De contingentibus enim non datur scientia, sed potiùs sensatio] et ad hoc ut intellectus moveatur assensum conclusionis, vel alterius actûs scientifici, constat illum indigere medio distributo pro omni loco, et omni tempore ; seu principio, ac veritate æternâ ; vel immutabili aliquâ lege, et Regulâ, cujus veritas sit independens ab omni loco, et ab omni tempore. Quæritur ergò an hoc æternum immutabile, et universale medium : hoc principium, Veritas, Lex, et Regula sit ipse DEUS, vel aliquid DEI ? an potiùs sit creatura, aut ens fictum.

23. Tertiò : Cùm unicuique, habenti usum rationis, compertum sit, quædam æterna dictamina, quædam effata, seu pronuntiata infallibilia, et perpetuæ veritatis sibi naturaliter intùs objici : quæ videlicet ex lumine rationis dictantur, spectantia ad habitum principiorum [tum speculativum, tum practicum] vel ad ipsum conscientiæ dictamen. Ut v. g. *Omne totum est majus sua parte. Incorruptibile est dignius corruptibili ; æternum temporali. Stultus est, qui amore corruptibilis, vel temporalis boni amittit incorruptibile, et æternum. Convenit digniori parti obedire, quàm indigniori : spiritus præcellit corpus, mens præcellit sensum. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris : Omnia sunt postponenda primo principio, et ultimo fini : væ tibi, si contrarium feceris :* etc. etc. Quæritur ergò, quis sit harum veritatum (à quibus cæteræ omnes pendent) primus dictator, effator, pronuntiator ? Num intellectus noster ? Hic certè non est primus : Nisi enim ipse intellectus repererit aliquod judicium objectivè jam esse pronuntiatum, nihil potest ipse ut verum pronuntiare : ipse enim non producit veritates (aut simplices, aut complexas) sed postquam eas repererit objectivè jam formatas, et pronuntiatas, eas dein et ipse formaliter pronuntiat. Intellectus quippè nunquam agit, nisi ab objecto sic pronuntiato moveatur : Adde, quod dicta effata sint vera, etiam intellectu non advertente, aut per errorem contradicente. Sed nec voluntas potest esse primus pronuntiator : quia illa sæpè contradicit, aut non libenter habet sibi talia pronuntiata inclamari : patet in peccatoribus, remorsui conscientiæ contradicentibus. Habitus principiorum solùm datur ad faciliter posse : ergò, si intellectus, qui requiritur ad simpliciter posse, non est primus pronuntiator, multò minus erit habitus principiorum. Conscientia, aut nihil est distinctum à mente sui consciâ : aut est solum audiens illa pronuntiata, non verò primus pronuntians. Ergò quærendus est alius primus pronuntiator, et de hoc quæritur, an DEUS sit ? Si DEUS est, ergò radicale lumen rationis, primus promulgator habitûs principiorum, synthereseos, conscientiæ, et ipsius Legis naturæ erit ipsissi-

mus DEUS, ita ut omnia illa dictamina, effata, pronuntiata sint immediatæ voces, seu verba ipsius DEI, quibus naturaliter, ac immediatè mentem creatam alloquitur. Et benè notandum est, non esse solam quæstionem de veritatibus supernaturalibus (quo sensu facilè quis concedet à solo DEO edoceri posse) sed universaliter etiam de naturalibus. Undè D. Thomas agnoscit hanc naturalem DEI loquelam per illam suam sæpius citatam sententiam. *Quòd certitudo scientiæ sit ex lumine rationis divinitùs interiùs indito, quo in nobis loquitur DEUS.* Vide fol. 30, num. 54.

24. Quartò : Cùm constet ex Scriptura hominem, seu mentem, creatam esse ad imaginem, et similitudinem DEI ; quod menti essentiale est. Illud enim est cuique rei sua essentia, secundùm quod est à DEO creatum. Quæritur ergò, an sicut mens est essentialiter imago, et similitudo DEI, an etiam ab ipso solo sit immediatè mobilis, ita ut ab eo solo, tanquam à suo Prototypo, possit immediatè ad agendum permoveri? Videtur enim id, quod est essentialiter (et non purè ex accidenti) alterius imago, necessariò quoque ad agendum juxta conditionem imaginis debere actuari, et moveri immediatè à suo prototypo. V. g. naturalis species Solis, (aut alterius cujuscumque objecti) si naturaliter vult esse vera species, et imago Solis; ita ut possit potentiæ cognoscitivæ de novo ingenerare conceptum Solis, debet necessariò immediatè à Sole fieri, ac ab eo pendere. Si enim ad objectam pictam imaginem Solis, (quam Pictor depinxit) Solis recordor : hæc recordatio non fit formaliter mediante picturâ ; sed per speciem à Sole productam, priùs habitam : de quâ picturâ solùm me commonefecit.

25. Tandem, ut breviùs omnia contrahàm, et ante oculos cujuscumque (hanc Quæstionem intelligere desiderantis) objiciam, dico, hunc esse verum, et genuinum Opusculi præsentis Quæsitum : An videlicet solus DEUS (appropriatè Christus), sit unicus, verus, ac immediatus cujuslibet humanæ mentis Magister, ac Doctor, qui per dictam naturalem conjunctionem cum mente operaturâ ; cum prædictis suis æternis radiis, vocibus, effatis ; velut prima essentialis veritas, et tanquam immediata Ratio, Lux, Regula, et Mensura : velut Sol intelligentiæ, et essentiale prototypon mentis humanæ, eamdem verè, propriè, ac immediatè ad agendum ex ratione permoveat : et ut sic immediatè creatam mentem scientiam edoceat, et eidem det omnia intellectualiter exprimere, definire, judicare, affirmare, negare, distinguere, componere, concludere : intellectualiter recordari, ratiocinari ; intellectualiter amare, odio habere, desiderare,

abnuere, ac fugere, gaudere, contristari : et uno verbo intellectualiter vivere, et rationalem esse ? Exterioribus Magistris, Doctoribus, et Libris (per sua verba aut scripta) solùm exteriùs, non autem interiùs, docentibus ; nec verè illuminantibus , aut immediatè mentem ad operandum moventibus : sed solummodò testimonium de vero lumine (quod solùm internè movet, et docet) perhibentibus : et discipulum per dicta, verba, aut scripta, solùm monentibus, ut suam mentem, seu oculum mentalem (cognoscitivum, et affectivum) ad verum internum Magistrum, propriè dictum Doctorem, seu æternum veritatis Lumen, verumque intelligentiæ Solem, convertat : A quo unico, et solo vera mentis illuminatio, verus intelligentiæ splendor, vera cordis spiritualis motio procedat, emanet, exeat, et radiet. Hiç est verus, proprius, et integer Quæstionis sensus, et status.

Monitio ad Lectorem.

26. In fine Capitis hujus monitum te volo, quisquis hæc perlegeris, quo sensu dicam, mentem creatam esse à solo DEO mobilem. Posset enim quis dicere, (ut à simili Capite præcedenti Sect. 4. objectum fuit) Cum quotidianâ experientiâ advertamus, mentem nostram tentari, ad omne malum sollicitari, et internè veluti pertrahi, ac invitari : et mille millies in plurimas, et quandoque continuas, distractiones, et evagationes dispergi : ergò si DEUS solus est is, qui movet mentem creatam, is ipsus erit, qui hominem, et mentem ad malum tentat, et ad omne vitium, et peccatum sollicitat, invitat, ac pertrahit : Cùm tamen certum sit, quòd DEUS neminem tentet (ad malum videlicet) aut ad aliquod vitium, seu peccatum impellat : prout contra Calvinum definitum est. Nec etiam dici potest, quòd ipse DEUS sit, qui mentem nostram distrahat, aut dispergat, cùm potiùs, teste D. Dionysio, de Divinis nominibus, c. 1. et 4. et sæpiùs, DEUS sit Spiritus, et vis colligens, mentem creatam ad unitatem, et divinam simplicitatem convertens.

27. Ut ergò sensum meum capias, advertas velim : diversimodè aliquid ab altero moveri posse. Primò efficienter. Sic homo movet, ac projicit lapides ; imò Angeli portant animam Lazari in sinum Abrahæ. Secundò objectivè. Sic solemus dicere, *objecta movent sensus* : oculus movetur à luce, auris à sono, appetitus sensitivus à bono sensibili, etc. Porrò motio objectiva est duplex, una proxima et immediata (sic v. g. ipsa sensibilis cœli species immediatè movet oculum ad visionem) altera magis, vel minùs remota, seu mediata (sic cœlum movet oculum mediante luce, et specie sensibili : Voluntas nostra

movetur mediante intellectu : intellectus mediante phantasia, phantasia mediante specie, species denique ab objecto, etc.) Sciendum verò est, quòd in motione objecti mediatâ (cum dicimus potentiam spiritualem moveri à potentiâ corporea), nullo modo sensus sit, quasi verè res corporea possit internè afficere spiritualem potentiam, sed per subordinationem, seu quamdam vim sympathicam plurium potentiarum existentium in eodem supposito (ex peccato originali veluti pœnam relictam) quæ à naturâ hoc habet, ut operante una circa idem objectum, et altera suo modo circa idem operetur, absque eo quòd moveat alteram. Sic dicimus : *intelligentem necesse est speculari phantasmata.*

28. Status ergò quæstionis non est de motione efficienti, nec de motione objectivâ remotâ, aut sympathicâ : sed de motione objectivâ immediatâ. Et licet integer quæstionis status universalis sit, de motione immediatâ omnium 3. potentiarum mentis creatæ : tamen in sequenti : fit quasi sola mentio de intellectu, seu doctrinâ intellectivâ : quo nomine intelligo quamlibet rei definitionem, quodlibet evidens judicium, et quamcumque evidentem conclusionem : quorum solum DEUM Auctorem constituo : et huc potissimum Capitis sequentis Præludia, seu Hypotheses respiciunt. Quamvìs meus integer Scopus, ac intentio plena latiùs se extendat, ut ex jam dictis apparet, et sæpiùs quoque in sequentibus mentio fiet. Imò ad perfectum Magisterium non solùm videtur requiri, ut intellectus doceatur, sed etiam ut voluntas ad id, quod æquum est, moveatur. Undè D. Bonav. de Red : art : ad Theol : ex S. Augustino refert, illum solum esse verum Doctorem, qui potest et species imprimere, et lumen infundere, et virtutem dare cordi audientis.

29. Circa priorem partem verò, seu doctrinam intellectûs, certum, ac evidens esse puto, tunc solum DEUM futurum ejusdem internum verum auctorem, si constiterit, et probatum fuerit, ipsum internæ doctrinæ verum effectivum lumen, à nullo alio, nisi à solo DEO (hujus luminis connaturali Luce, ac Parente) radiare ; et nonnisi ab eo in mente creatâ effici et causari posse. Ut sic enim credo sequetur solum DEUM posse, sicut intùs illuminare, ita quoque intùs docere. Perpende diligenter in Cap. seq. Præludia, seu Hypotheses, quas velut columnas, et fundamenta totius ædificii præponere volui. Quibus seriò, et attentè perlectis, ipsam subjectam Assertionem eâdem diligentiâ menti imprimas : dein experire, an subsequentes Probationes ex Scripturâ, SS. Patribus, Doctoribus, Scholasticis, rationibusque desumptæ, præfatam Assertionem sufficienter stabiliant : et

num Corollaria, quæ subjiciuntur, jus legitimæ consequentiæ obtineant; an objectionibus in contrarium adductis satisfiat. Denique utrum bis bini Dialogizantes intra limites justæ disputationis se contineant: et num Epilogus omnia benè concludat.

CAPUT III.

QUÆDAM HYPOTHESES, SEU VERITATES, VELUTI NECESSARIA PRÆLUDIA SUPPONUNTUR.

SUMMARIUM. — 1. Præludia hæc ordinatè, ac attentè legenda. — 2. Quò colliment?

1. Post elucidatum quæstionis statum, fundamenta quædam necessaria subjicio, quæ sicut à nemine rationabiliter æstimo negari posse, ita quoque spero pro faculis prælucentibus servitura, quorum fulgorem quisquis intuitus, et assecutus fuerit: ordinate tamen, non tumultuariè, aut sine ordine (compertum enim omnibus est, ordinem plurimum valere in addiscendâ veritate) attentè non cursim (cum et Germanis notum sit, juxta illorum proprium adagium: Gut Ding braucht Weil) oculisque non caligantibus, nec trepidantibus. (Magnus enim Augustinus, in hâc sublimi, et à sensibus aliquantò remotiori anagogiâ apprimè versatus vult Lib. 11. Cap. 11. suarum Confess. ut oculum mentis figamus, ac sistamus: Ibi. *Qui hæc dicunt, etc.)* haud facilè amplius ambigere valebit, veranè sint cætera, quæ de immediato Christi docentis magisterio successivè dicentur. Tunc enim suprà petram benè fundatam asserimus domum, cùm prægrandes lapides, ac firmas saxeas columnas eidem suppositas intuemur. Sed iterùm resumo, ac rogo, ut ordo in iis legendis integer servetur; ne fiat transitus ad hypothesim posteriorem, donec præcedens sit benè menti impressa. Ut vero negotium legenti facilitem, et ejusdem mentem ad ulteriora disponam, initium sumo, et à longè, et à notioribus: etiam pleraque denuò interferens, quæ duobus Capitibus præcedentibus pro meliori intelligentiâ animæ rationalis, et pro captu statûs quæstionis necessum fuit attingere. Velis Lector subsequi præeuntem, spero enim manuductionem futuram non errantem.

2. Ubi statim te monitum volo, undecim primas Hypotheses eò gradatim procedere, ut ostendant solum DEUM mentem creatam

illuminare, et ad visionem scientificam suo æterno lumine permovere posse. Undè fusiùs necessitas luminis spiritualis objectivi incircumscripti, quod esse DEUM ostendere conor, in iisdem astruitur. Reliquæ verò demonstrant hominem, seu Magistrum creatum, scientiam, verè ac propriè interiùs non edocere ; nec illuminare, aut suis verbis ad visionem scientificam intellectum interiùs movere posse : sed solùm exteriùs, quatenùs per sua exteriora verba mentem discipuli manuducit ad verum internum Magistrum. Has Hypotheses, seu Præludia majoris claritatis gratia divido in plures Sectiones.

SECTIO I.

QUATUOR PRIMÆ HYPOTHESES, SEU PRÆLUDIA.

SUMMARIUM. — 3. Sicut DEUS omnia creat, ita vicissim omnia beat. — 4. Sola creatura rationalis creatur ut imago DEI, et beatur per fruitionem veritatis. — 5. Quid Aristoteles, cum Theologis, ac D. Augustino de hoc sentiant? — 6. Deus, quantum est ex se, omnem creaturam rationalem vult per fruitionem veritatis beare. — 7. Quæ sint requisita ad fruitionem veritatis ? — 8. Præter internas dispositiones requiritur externum spirituale lumen, veritatis manifestativum. — 9. Probatur ex S. Paulo Eph. 5. v. 13. — 10. Probatur etiam ex S. Thoma. — 11. Officium luminis quale sit? — 12. Probatur et ex communi Philosophorum. — 13. Quæstiones solvendæ de hoc lumine manifestativo.

§ I.

HYPOTHESIS, SEU PRÆLUDIUM.

Sicut DEUS omnia creat, ita vicissim omnia beat.

3. Præmitto igitur omnium primò, illud commune fidei, ac rationis principium primum, DEUM videlicet esse, et hunc illud entis esse, à quo omnia, per quod omnia, et simul propter quod omnia : Alpha nimirùm, et omega ; rerum, quâ naturalium æque ac supernaturalium, principium et finem : Creaturarum omnium originem, ac felicitatem : *De cujus plenitudine nos omnes accepimus* [Joan. 1. v. 16.] ; de cujus infinitâ bonitate participatâ omnia beantur, quæcumque, e quocumque modo beantur. Apud Virum Theologum probatione n indiget : cui notum est : *Omnia per Verbum facta* [Joan. 1. v. 3.] *Dominum universa propter semetipsum operatum fuisse :* [Prov. v. 4.] et finem ultimum, summumque bonum cum beatitudine coi cidere. Sed modo videndum est, qualiter, et quomodò DEUS omn creet, atque beet ? Itaque.

§ II.

Hypòthesis, seu Præludium II.

Sola creatura rationalis creatur ad imaginem DEI, et divinorum capax, et sola ab eodem per intellectualem cognitionem et fruitionem veritatis beatur.

4. Suppono 2. Licet DEUS sit, qui omnia creat, et beat; non tamen eodem modo omnia creat, et beat. Sicut enim solam creaturam rationalem creat ad imaginem suam, rerumque Divinarum capacem, ita solam per intellectualem cognitionem, et fruitionem veritatis, ac rerum Divinarum beat: sive loquamur de beatitudine hujus, aut alterius vitæ; naturali, aut supernaturali. Nec hoc controversum est apud illos, qui Sapientiâ Christianâ imbuti sunt. Prima pars de creatione constat ex Genesi 1. v. 26. 27. et Cap. 5. v. 1. Secunda verò patet ex communi Doctorum, asserentium, Beatitudinem objectivam esse unam eamdemque omnium rerum (id est DEUM) formalem verò diversam. Formalem diversam, aiunt: quamvis enim idem DEUS sit, à quo, velut fonte et objecto, omnem suam felicitatem hauriunt, participant; et totum id, quod sunt, accipiunt universa: sed non eadem, nec eodem modo, vel per eumdem actum à DEO cuncta participant, vel accipiunt. Sola quippè rationalis creatura beatificatur per formalem actum cognitionis, et fruitionis intellectualis: sive per actus intellectûs, memoriæ, ac voluntatis, quibus mediantibus creatura rationalis illud summum, ac infinitum bonum, quod DEUS est (et cætera omnia, veluti in DEO inclusa, et eminenter comprehensa) cognoscit, amat, ac fruitivè possidet.

5. Nec hoc Aristotelem, aliosque Gentiles sapientes latuit, qui supremam hominis beatitudinem in contemplatione, ac fruitione summæ veritatis consistere dicebant: sive hominem felicem fieri per actus excellentissimos excellentissimarum potentiarum, circa optimum objectum: Quem modum loquendi nec Theologi Christianorum improbant: nec magnus ille cœlestium rerum contemplator Augustinus negat, dum Lib. 10. Conf. Cap. 23. beatitudinem definit, *esse gaudium de Veritate.* Veritas igitur, et quidem suprema, quæ DEUS est, est primarium formale objectum beatitudinis, tam hujus, quàm alterius vitæ; tam naturalis, quàm supernaturalis, quæ non corpore, nec viribus corporeis, nec ullo carnis sensu, sed solâ mente, ac ejusdem mentis spiritualibus potentiis attingi, ac fruitivè possideri potest. Sed

inquies modo, num DEUS omnem creaturam rationalem, sic beare velit, id est, per veritatis cognitionem, et fruitionem ? Itaque.

§ III.

Hypothesis, seu Præludium III.

DEUS quantum est ex se vult omnem creaturam rationalem per cognitionem, et fruitionem veritatis beare : et ad hunc finem omnia necessaria media eidem providit.

6. Suppono 3. DEUM omnem creaturam rationalem velle sic beare : consequenter, quantum est ex se, velle omnes ad sui, ac veritatis cognitionem, ac fruitionem pervenire. Si à modo, quo vult DEUS, abstrahatur, negari haud potest, cùm sint verba Scripturæ 1. Tim. 2. v. 4. ubi S. Paulus Timotheum sic alloquitur : obsecrans, *pro omnibus hominibus*, etiam *Regibus* [licet Gentilibus] *obsecrationes fieri, hoc enim bonum est, et acceptum coram Salvatore nostro DEO, qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.* Et ideò quia DEUS creaturæ rationali finem vult, media quoque necessaria eidem præordinavit : non solùm illam creando ad imaginem, et similitudinem suam, et mentem divinorum, ac veritatis capacem eidem infundendo : sed etiam omnia alia necessaria media eidem subministrando, quibus ad veritatis, divinarumque rerum cognitionem, ac fruitionem pervenire valeret : et non solùm media receptiva, seu passiva : sed etiam activa ; non solùm interna, sed etiam externa ; et quidquid ad notitiam, ac fruitionem veritatis necessarium est, ordinando.

7. Sed modo quæritur quid illud sit, sive quæ illa sint, quæ ad veritatis cognitionem, ac fruitionem concurrunt, et requiruntur ? Utrum ipsa creatura rationalis ad hoc per seipsam sibi sufficiens sit ? videlicet aut per suam nudam essentiam, aut per suas rationales internas potentias (id est, intellectum, memoriam, et voluntatem) benè interiùs instructas, nec impeditas : suppositis potentiis corporeis, ac sensitivis; internis, ac externis administris : debitâque approximatione objecti, et generali DEI concursu, quo determinatè (ut aiunt Thomistæ) aut indeterminatè (ut tenent alii) velut causa prima, ad omnem actum physicum causæ secundæ physicè concurrit. Vel an præter hæc omnia indigeat alio motivo externo, et quodnam illud sit ? Itaque.

§ IV.

Hypothesis, seu Præludium IV.

Ad fruitionem veritatis indiget mens creata, præter internas dispositiones, etiam aliquo externo lumine intelligibili, seu sprirituali, ejusdem veritatis manifestativo.

8. Suppono 4. Ut mens rationalis veritatem attingat, et eâ perfruatur, non sufficit ejusdem nuda essentia, aut internæ illius potentiæ, benè interiùs instructæ nec impeditæ (etiam præsuppositis supra recensitis omnibus) sed insuper requiritur aliquod proportionatum externum lumen, tanquam reale motivum, quod potentias rationales suo radio feriat, ac ad agendum permoveat : et quod præfatis potentiis cognoscitivis, objectum (quod aliàs maneret occultum, et in tenebris) verè patefaciat, exhibeat, ostendat, et manifestet. Hæc Hypothesis negari haud poterit, si ad mentem omnium Philosophorum verum sit, quòd præter essentiam, potentiam non impeditam, objectum materiale intra limites naturalis activitatis positum, et concursum causæ primæ, etiam ratio quædam motiva objectiva requiratur. Vide Cap. 2. Num. 7.

9. Imò ab ipsomet S. Paulo asseritur, Ephesiorum 5. v. 13. dicente : *Omnia autem, quæ arguuntur, à lumine manifestantur : omne enim quod manifestatur lumen est.* Græcè φανερούμενον, quod *est vocis mediæ ;* inquit Cornelius à Lapide, ergò *tàm significat id, quod manifestat, quàm id, quod manifestatur.* Unde Syrus Textus, sicut et Vatablus, ac Erasmus : et plures Latini activè interpretantur, et exponunt. Ut sensus S. Pauli sit : *Omne quod manifestat, lumen est :* Sive lumen est illud entis, quod potentiis cognoscitivis omnia manifestat.

10. Et ad hoc propositum ex hoc eodem Textu D. Pauli S. Thomas 1. Sec. q. 109. a. 1. deducit, ipsum DEUM ter optimum maximum nos movere ad cognitionem cujuscumque veritatis : sic enim dicit : *Respondeo dicendum, quòd cognoscere veritatem est usus quidam, vel actus intellectualis luminis, quia secundùm Apostolum ad Ephesios 5. Omne quod manifestatur lumen est. Usus autem quilibet quemdam motum importat — omnes motus* [verò] *reducuntur in primum movens simpliciter, quod est DEUS. — Sic igitur dicendum, quòd ad cognitionem cujuscumque veri homo indiget auxilio divino, ut intellectus à DEO moveatur ad suum actum : non autem indiget ad cognoscendam veritatem in omnibus novâ illustratione superadditâ naturali*

illustrationi. Hæc ille. Et 1. p. q. 106. a. 1. sic ait : *Lumen, secundùm quod ad intellectum pertinet, nihil est aliud, quam quædam manifestatio veritatis, secundùm illud ad Ephesios* 5. *Omne quod manifestatur lumen est. Unde illuminare nihil aliud est, quàm manifestationem agnitæ veritatis alii tradere*. Et q. 67. a. 1. *Primò est institutum* [nomen lucis] *ad significandum id, quod facit manifestationem in sensu visûs : postmodùm autem extensum est ad omne illud, quod facit manifestationem secundùm quamcumque cognitionem*.

11. Ergò ad mentem S. Pauli ac Doctoris Angelici, lumen formaliter est id, quod rem manifestat. Ergò objecti cujuscumque manifestatio, patefactio, ostensio, exhibitio, contingit ex vi cujusdam proportionati luminis. Lumen quippè est illud necessarium principium, quod de visibili potentiâ facit visibile actu : sive dein loquamur de oculo mentis, aut oculo sensûs : de visibilitate spirituali, aut corporali. Sicut enim ad visionem corporalem non sufficit oculus carnis, internè perfectus (seu non læsus, nec impeditus) aut colorum debita approximatio. Sed insuper requiritur aliquod externum sensibile lumen, quod eosdem colores, in potentiâ ex se solùm visibiles, actu visibiles reddat ; et quod eosdem colores oculo corporeo manifestet, ostendat, et exhibeat : sic pariter ad visionem mentalem, seu intellectualem, præter oculum mentis, seu intellectum, et ejusdem objectum (benè constituta) necessarium est aliquod extrinsecum spirituale lumen, quod idem objectum intellectuale, quod priùs erat tantum intelligibile potentiâ, actu intelligibile faciat, et oculo mentis manifestet, ostendat, et exhibeat.

12. Confirmatur ex communi Philosophorum, asserentium, scientias fieri, generari, constitui per lumen, ac per luminis varietatem distingui : Quidquid tandem hoc lumen sit, num aliquid reale (existens, ac fulgens à parte rei, ante omnem intellectûs abstractionem, vel operationem) aut aliquid rationis (quod per nudam mentis abstractionem existat, ac menti fulgere incipiat) si reale, an aliquid creatum (v. g intellectus ipse, sive agens, sive possibilis : vel species intelligibilis, aut aliquis habitus, etc.) vel potiùs aliquid increatum (id est ipse DEUS, aut aliquod ejus attributum).

13. Et hoc ipsum in præsenti Opusculo controvertitur ; à cujus litis, et controversiæ decisione pendet totius hujus materiæ vera intelligentia : quam proindè in sequentibus Hypothesibus declarandam aggredior. Lis ergò præcipua est, quid illud lumen sit, quod veritates menti creatæ manifestat, exhibet, et ostendit, an aliquid reale, vel rationis, creatum, vel Divinum ? Quod ut meliùs intelligatur, ab ovo

m incipio, et quædam fundamenta per totidem Hypotheses præ-
ıtto, à quibus Quæstionis solutio plurimùm pendet, videlicet. Primò,
ncedendum esse præter lumen corporale, etiam spirituale, seu in-
lligibile; et esse verum, imò verius lumen quàm corporale. Se-
ındò, spirituale hoc lumen aliud esse internum, vel subjectivum,
nens se ex parte subjecti : aliud externum, vel objectivum, tenens
ex parte objecti ; et hoc veriùs mereri nomen luminis intelligibilis.
ertiò : Lumen objectivum intelligibile in varia membra dividi, sed
ɔtissimùm in temporale, mutabile, circumscriptum ; et in æternum,
nmutabile, et incircumscriptum. Quartò, qualiter hoc utrumque lu-
ıen, id est, circumscriptum, et incircumscriptum inter se conve-
ıiant, et differant? Quintò, et sextò, quid propriè, ac formaliter sit
cire, et an causetur à lumine circumscripto, vel incircumscripto ?
Septimò tandem, quid propriè sit lumen incircumscriptum, an DEUS,
vel aliquid aliud ? Itaque.

SECTIO II.

ALIÆ QUATUOR HYPOTHESES, SEU PRÆLUDIA.

§ I.

Hypothesis, seu Præludium V.

Datur lumen intelligibile, seu spirituale ultrà sensibile, et corporale : et est verum, ac proprium lumen, imò magìs proprium quàm corporale.

Ummarium. — 14. Veritas luminis intelligibilis probatur ex Sripturâ, et Doctoribus. — 15. Probatur ex consensu ipsius naturæ. — 16. Probatur ex iis, qui foris cæci sunt, sed intùs benè vident. — 17. Probatur ex analogiâ oculi spiritualis, et corporalis. — 18. Probatur ex D. Thoma. — 19. Quid veniat nomine luminis intelligibilis, ac spiritualis?

14. Suppono 5. Veritatem luminis intelligibilis, ac spiritualis suprà
corporale negari non posse : et esse verum lumen : imò, abstrahendo
ıb intentione imponentium nomina, magìs verum quàm corporale.
Pars prior probatur primò ex consensu totius sacræ Paginæ, quæ pas-
ıim de lumine, et tenebris spiritualibus loquitur : et ad mentem om-
ıium Philosophorum, pariter et Theologorum, qui ubique sermo-
ıem habent, de lumine rationis, de lumine fidei, de lumine gloriæ,
e lumine scientifico, etc. vel ut Seraphicus Doctor de Reductione

artium ad Theol. T. 6. habet : Quod lumen generaliter quadruplex sit : *exterius* [seu artis mechanicæ] *inferius* [seu cognitionis sensitivæ] *interius* [seu cognitionis Philosophicæ] *superius* [seu lumen gratiæ]. Quæ omnia dicit à Patre luminum descendere per sex luminis specificas differentias, scilicet per lumen S. Scripturæ [id est SS. Theologiæ] cognitionis sensitivæ ; artis mechanicæ, Philosophiæ rationalis, naturalis, et moralis, ita Doctor Seraphicus.

15. Probatur eadem suppositi pars ex consensu ipsiusmet naturæ, quæ adeò lumen intellectuale, et spirituale homini compertum reddit ; ut et ipsi rustici, ac simplicissimi homines illud esse, ac dari agnoscant : qui quodlibet propositum intellecturi, non tamen valentes intelligere, sic proponentem alloqui consueverunt : Thut es besser erklären, thuts besser erleutern, gebt mir nur ein wenig Liecht, daß ichs fassen möge, daß ich darauf kommen möge. Itali : *datemi un poco di lume ; sete tropo oscuro, etc.* Unde quoque à naturâ nobis inditum est, quod homines doctos ac sapientes, illuminatos, ac viros magni luminis appellemus. Hinc dicimus : Illuminatissimus Augustinus, der hocherleuchte H. Augustinus. *Il lume di santa Chiesa, etc.* Certè his verborum formulis nullus sit sermo de lumine Solis, aut lucernæ : nec intelligitur de lumine corporei sensûs, nec etiam de re quâdam aut falsâ, aut fictâ, aut purè metaphoricâ, sed de vero quodam lumine ac splendore, de verâ quâdam perspicacitate oculi mentalis. Undè Regnorum, Imperiorumque gubernacula committuntur viris illuminatis ; iis, qui non tam oculo carnis, quàm oculo mentis, acutè vident. Si enim solùm daretur sensibile lumen, et de bonitate sensuum carnis quæstio institueretur, expediret multoties Apris, lyncibus, simiis, vulturibus, etc. dignitates committi, juxta illud tritum : *Nos aper auditu, lynx visu, simia gustu : vultur odoratu, præcellit aranea tactu.*

16. Probatur 3. Si solum corporeum lumen daretur, tunc is, qui corporis visu careret, nullius alterius luminis capax esset : sed consequens dici non debet, nisi viris sanctissimis, ac sapientissimis, qui multoties usu corporeorum oculorum caruerunt, intolerabilem injuriam irrogare velimus : cùm et ipsis Gentilium Philosophis attestantibus, eò majus intus lumen accendatur, quò magis ab eo, quod foris splendet, mens abstrahitur, et arcetur. *Veni lux, per quam video :* [sunt verba D. Augustini, aut quisquis ea ex ipso in Soliloq : congesserit : Cap. 2. et 3. [*appare mihi gloria, per quam gaudeo : appare vita, in quâ vivam Domine DEUS meus* (sed quid fuerit hæc lux ? sequitur). *O lux, quam videbat Tobias, quando clausis oculis docebat filium suum viam vitæ : Lux, quam videbat Isaac interiùs, quando*

caligantibus oculis exteriùs, filio futura narrabat : Lux inquam, invisibilis, cui omnis abyssus humani cordis est visibilis : Lux quam Jacob videbat, quando sicut tu intùs docebas, filiis exteriùs ventura prædicebat. Hæc ille. Ego addiderim. Lux, quam videbat Franciscus Seraphicus, cùm, ex jugi, et continuâ deploratione passionis Dominicæ, oculorum propè integrâ cæcitate contractâ, et à Medico suaderetur, ut à lacrymis abstineret, ne totaliter usu privaretur oculorum : Respondit, se minimè hanc curare jacturam hujusmodi exteriorum oculorum, quos cum muscis communes haberet, se enim alia intus lumina, et quidem integra possidere : quæ muscis non inessent. Eo nimirùm spiritu, quo Agatha sancta, etsi unâ mamillâ exteriori jam abscissâ, dicebat : *Ego enim habeo mamillas integras intùs in animâ meâ, quas ab infantiâ Domino consecravi.*

17. Probatur 4. hâc ratione. Ita se habet lumen spirituale ad oculum spiritualem, sicut se habet lumen sensibile ad oculum sensibilem, sed lumen sensibile est verum lumen sensibile, quia verè afficit oculum sensibilem : ergò etiam lumen intelligibile, et spirituale, erit verum lumen spirituale, quia verè afficit intellectum, seu oculum spiritualem. Confirmatur. Oculus spiritualis est verus oculus, imò magìs propriè lumen, quàm lumen sensibile : Et per hoc etiam altera pars probata manet, quod videlicet lumen intelligibile sit verum ac proprium lumen : imò magìs proprium, quàm corporale.

18. Ut hoc meliùs intelligas, volo, ut ex Angelico Doctore 1. p. q. 67. a. 1. consideres, dupliciter nos posse de aliquo nomine loqui : *Uno modo secundùm primam ejus impositionem. Alio modo secundùm usum nominis.* Exemplificat per hoc nomen, *Visio*, quod impositum fuit à primis nominum inventoribus *ad significandum actum sensûs visûs.* Sed secundùm usum loquentium extensum fuit hoc nomen etiam ad cognitionem aliorum sensuum [hinc dicimus : *Vide quomodo sapit, vel quomodo redolet, vel quomodo est calidum*] et præsertim ad nobilissimam cognitionem intellectualem, secundùm illud, Matth. 5. v. 8. *Beati mundo corde, quoniam ipsi DEUM videbunt.* Hæc D. Thomas, subdens : *similiter dicendum est de nomine lucis*, et luminis. Ergò sicut visio intellectualis est nobilior, quàm visio corporea, et proindè juxta usum hujus nominis, etiam verior, ac magìs propria : ita quoque lux vel lumen intelligibile, seu sprituale juxta usum nominis erit magìs verum ac magìs proprium. Pro cujus confirmatione D. Thomas testimonium S. Augustini adfert, Lib. 4. super Genesin ad litteram, dicentis, *quod in spiritualibus melior et certior*

lux est. Et quod Christus non sic dicitur lux quomodo et lapis appellari solet, *sed illud propriè hoc figurativè.*

19. Sed quid nomine luminis spiritualis, seu intelligibilis venit ? Utrum ipsemet intellectus : vel aliquid intellectui realiter inhærens (v. g. habitus aliquis, aut interna ejus realis dispositio) an potiùs hoc nomine intelligatur aliquid, quod exteriùs intellectui radiet, eo modo, quo Sol corporeus à foris splendet oculo ; ita ut lumen spirituale sit intellectui extrinsecum, ac realiter ab eo distinctum. Vel denique num utroque modo detur lumen spirituale, id est, internum et externum, et quod ex his magis propriè lumen sit ? Itaque.

§ II.

Hypothesis, seu Præludium VI.

Etsi lumen intelligibile, seu spirituale aliud sit subjectivum, ac internum, tenens se ex parte subjecti : et aliud objectivum tenens se ex parte objecti : hoc tamen verius ac magis propriè lumen est.

SUMMARIUM. — 20. Probatur hypothesis ex jam dictis in præcedentibus. — 21. Necessitas utriusque luminis et præsertim externi, seu objectivi probatur ex analogia oculi corporalis.

20. Suppono sextò, spirituale lumen, à quo intellectiva cognitio, et quivis actus rationalis aliquo modo dependet, latissimè, ac generalissimè acceptum, posse quidem dividi, juxta superiorem Tabulam Capitis 1. Num. 121. non solùm in objectivum, et externum : sed etiam in internum, ac subjectivum, quod se tenet ex parte subjecti intelligentis. Quo sensu ipsemet intellectus lumen dici potest, id est naturale, et ingenitum à naturâ : item omnes ejus internæ dispositiones, ac habitus scientifici, vel aliter cognoscitivi (ut scientia, sapientia, fides, lumen gloriæ, etc.) et ipsimet actus scientifici, vel aliter cognoscitivi, possent appellari lumen internum subjectivum (id est adscititium : habituale illi, et hi actuale). Tamen magis proprium lumen est externum, seu objectivum, quod se tenet ex parte ipsius objecti, et forinsecus, tanquam formale objectum intellectui radiat, et est ratio formalis motiva : quæ ratio potentiæ objecta eamdem ferit, movet, ac stimulat, ut actum cognitionis eliciat, ac producat : quem cognitionis actum proindè specificat. Esse autem tale externum objectivum lumen necessarium præter internum, vel subjectivum, patet ex suprà dictis : Hoc enim externo lumine intellectui,

seu potentiæ cognoscitivæ à foris non radiante, nunquam poterit eadem potentia (quantumcumque sit interiùs benè ornata, nec aliter impedita) actum cognitionis vitaliter producere : *Omne enim, quod movetur, debet ab alio moveri,*

21. Confirmatur à simili, etiam ex jam dictis Capite 2. ut oculus carnis eliciat suam visionem, præter internam oculi claritatem, ac bonitatem, requiritur etiam externum aliquod lumen Solis, vel candelæ; quod oculum ad eliciendam visionem moveat. Lumen quippè, aiunt Philosophi in Lib. de animà, est objectum oculi per se primò, sive ratio formalis sensus visûs, ultimò cætera objecta visibilia actuans, et in esse actu visibilia constituens, et formaliter efficiens, ut oculum movere possint. Sivè deindè lumen sit essentialiter requisitum ex parte solius objecti, vel solius medii, vel etiam ex parte potentiæ visivæ, vel ex parte omnium trium, ut variant Auctores, sed ultimum probabilius est; quia experientiâ constat, quod nihil videre possimus, nisi sit illustratum lumine, et nisi medium sit actu diaphanum, et perspicuum ; et nisi lumen ad ipsum oculum pertingat. Ergò cùm sit proportio inter oculum mentis, et oculum carnis, ad hoc, ut oculus mentis suam intellectivam visionem eliciat, indigebit (præter internam subjectivam claritatem, seu internum lumen, aliasque internas dispositiones) etiam aliquo externo objectivo lumine, quod sit ratio formalis motiva : quà ipsa objecta, potentiâ solùm intelligibilia, etiam actu intelligibilia reddantur, et ipse intellectus, sive mentis oculus ad eliciendam cognitionem moveatur. Sed ut magis percipiatur, quid nomine hujus luminis externi et objectivi velim intelligi, oportet priùs ut illud, latè acceptum, in sua membra dividamus ; et potissimùm in duo, quæ rem istam haud parùm declarant.

§ III.

Hypothesis, seu Præludium VII.

Lumen intelligibile, seu spirituale objectivum, in varia membra dividitur, sed principaliùs in circonscriptum, et in incircumscriptum.

SUMMARIUM. — 22. Quid intelligatur per lumen objectivum temporale ac circumscriptum et æternum, vel incircumscriptum? — 23. Ut hoc capiatur, necessarium est utriusque hujus luminis convenientias, et differentias intelligere.

22. Suppono 7. Hoc lumen spirituale, seu intellectuale objectivum (seu exterius, vel formale motivum) latiùs acceptum etiam variè accipi, ac dividi posse : v. g. in creatum, et increatum : in naturale,

et supernaturale; evidens, et scientificum; et in obscurum, seu lumen fidei. Sed magis ad rem nostram, lumen objectivum aliud est temporale, ac circumscriptum [cujus radiatio non est ubique, nec semper, sed est alligata ad certum locum, et ad certum tempus : et mutationi, etiam secundum se, obnoxia est, ac variari, mutari, et occidere potest] aliud est æternum, et incircumscriptum, quod secundum se consideratum nulli mutationi obnoxium est, sed ubique, et semper radiat, independenter ab omni loco, et tempore; lucens suprà omnem locum, et omne tempus. Et hoc solùm, ut infrà dicetur, est verum lumen ad sciendum ordinatum, quod solum per suam evidentem, et incircumscriptam radiationem, movet ad eliciendam cognitionem intellectivam evidentem : et consequenter hoc solum est, quod hominem facit scire ac intelligere (imò hoc solum est verus internus Magister, qui nos omnia docet, ut infrà fusiùs probabo) reliqua verò lumina, id est temporalia et circumscripta vel solùm movent ad credendum, aut ad opinandum, aut ad suspicandum, aut ad dubitandum, vel omninò ad errandum.

23. Sed ut clariùs hoc percipiatur, qualiter nimirùm intellectus noster ad sciendum manuducatur, et qualiter nos interiùs per hoc lumen doceamur : oportet priùs fusiùs convenientiam, et differentiam hujus utriusque intelligibilis, seu spiritualis luminis declarari. Nam juxta S. Dioys. Areopagitam, de cœlest. Hier. c. 13. et S. Augustinum L. 1. Soliloq. c. 6. Analogia utriusque hujus luminis plurimùm juvat ad intelligendum hoc lucis mysterium; et facilè ex notitiâ luminis corporalis potest homo ascendere ad notitiam luminis spiritualis; ex notitiâ luminis creati, et circumscripti, ad notitiam luminis increati, et incircumscripti. Et proindè utriusque convenientias, et differentias subjungo.

§ IV.

Hypothesis, seu Præludium VIII.

Qualiter lumen circumscriptum, et incircumscriptum conveniant et differant?

SUMMARIUM. — **24. Prima convenientia luminis circumscripti et incircumscripti. — 25. Secunda convenientia. — 26. Tertia convenientia. — 27. Confirmatur tertia convenientia. — 28. Quarta convenientia. — 29. Quinta convenientia. — 30. Sexta convenientia. — 31. Prima differentia. — 32. Secunda differentia. — 33. Tertia differentia. — 34. Quarta differentia. — 35. Confirmatur quarta differentia. — 36. Quinta differentia.**

24. Suppono 8. Varias hujus utriusque luminis reperiri conve-

nientias, et differentias. Conveniunt enim primò, quod utrumque sit proles, seu effectus suæ proportionatæ lucis. Omne quippè lumen est quidam radius, seu splendor, causam sui effectivam, et se immediatè radiantem, profundentem, ac splendentem [parce solœcisimo, ut clariùs loquar] præsupponens, à quâ, veluti principio, ipsum lumen, tanquam ipsius principii effectus, et soboles, seu proles, emanat : et hoc principium dicitur lux. Patet in luce corporali, quæ in solâ re lucente reperitur v. g. in Sole, in igne, etc., et ex se realiter emittit radios, seu lumen, quo mediante aërem, et colores, et hominum oculos illuminat. Lumen definitur ab Aristotele : *Est actus perspicui*, id est forma quædam, faciens formaliter diaphanum actu perspicuum, quod illâ absente non esset perspicuum : lux verò est ipsa causa luminis.

25. Secundò conveniunt, quod utrumque sit manifestativum cognoscibiliter. Omne quippè lumen immediatè inservit ad cognoscendum : et potentiæ cognoscitivæ manifestat objecta. Corporeum enim, seu circumscriptum lumen, manifestat nobis colores, aliaque objecta sensibilia, et contingentia : et juvat ad cognoscendum res sensibiliter : lumen verò incircumscriptum, et spirituale, manifestat nobis veritates ; et inservit nobis ad cognoscendas res spiritualiter, et intelligibiliter.

26. Tertiò conveniunt in modo, seu proportione manifestandi sua proportionata objecta : sicut enim intensius lumen sensibile [tam subjectivum, quàm objectivum] manifestat, et prodit plura, ac minutiora objecta, quæ coram debiliori lumine latuissent : v. g. in lumine Auroræ plura videntur, quàm in lumine lunæ ; orto jam sole plura, quàm in lumine auroræ ; Sole altiùs ascendente, quàm sole vix orto : Sole existente in meridie, quàm eò necdùm progresso. Solis radiis per fenestram ingredientibus cernuntur quasi infiniti atomi, qui solo lumine reflexo, seu refracto visum latebant. Luminis radiis per microscopium in unum coactis cernuntur minima quæque : imò, ut aiunt, in lacte recenti videntur quasi vermiculi circumnatantes : pulex apparet velut ursus pilosus, etc. Sic quoque intensius lumen intelligibile [sive loquamur de subjectivo, sive de objectivo] manifestat, et prodit longè plura, minùtiora, et subtiliora, altiora, occultiora, sec retiora, diviniora, ac digniora objecta, quæ coram solo debiliori lumine intelligibili latuissent, et ignorata fuissent.

27. Patet hoc in omni genere scientiarum, in quibus gradatim, prout augescit lumen, etiam plura, minutiora, subtiliora, altiora, occultiora, secretiora, diviniora, ac digniora videntur. Plùs intelligit

Philosophus, quàm non Philosophus, Theologus quàm non Theologus; plùs is, qui habet melius, et subtilius ingenium, quàm qui deterius; plùs qui à DEO magis illuminatus est, quàm qui minùs. Idem homo advertit se plura capere prout crescit ætas, juxta gradus infantiæ, pueritiæ, adolescentiæ, juventutis, virilis ætatis, senectutis, et decrepiti senii. Idem vir plus advertit se in notitiâ virtutum, seu aliarum rerum spiritualium, ac divinarum proficere, prout lumen internum subjectivum (tum naturale, tum habituale) et externum supernaturale (sive illustrationis gratiæ) augescit, et crescit. Undè qui cæpit se divinis addicere plura capit, quàm homo mundanis rebus, et affectibus immersus: Homo proficiens plùs quàm homo incipiens; plùs homo perfectus, quàm imperfectus. Hinc viri sanctissimi plurimùm sibi displicent, et minimè sibi placent, se pro magnis, imò maximis peccatoribus æstimant: non per errorem, sed quia per maximam luminis cœlestis copiam plurima peccata, et miserias (quæ sunt objecta displicentiæ) in se deprehendunt, et in DEO longè altiora prædicata (hominis, licet sanctissimi, et nobilissimi conditionem reverberantia) quæ alii, minori, et non tàm alto lumine præditi, non advertunt. Ex hâc diversitate luminis quivis prudentissimè sibi timere potest, ne fortè in maximis mentis, et cordis erroribus versetur, quos jam non videt, sed fortè videret, si altiori lumine præditus esset. Undè *initium Sapientiæ* dicitur esse *timor Domini*. Ps. 110. v. 10. Eccli. 1. v. 16.

28. Quartò conveniunt, quòd neutrum educatur è potentia subjecti, nec à subjecto, quod illuminat, inhæsivè dependeat; sed à solo suo principio effectivo, id est à luce, seu re lucente; à quâ per emanationem fluit, et ab eâ solâ in suo esse conservatur, ac dependet. Sic multi sentiunt Philosophi, etiam de lumine sensibili. Cùm enim in instanti ab oriente ad occidentem diffundatur, si toti huic subjecto intermedio inhæreret, et ex ejus potentiâ educeretur (ad instar aliorum accidentium) quomodò posset ita subitò tam vastum subjectum ad hoc disponi? Item quoties agitaretur aër, ac novus succederet, etiam toties novi luminis productio fieri deberet; cùm idem numero accidens non possit transire de subjecto in subjectum: sed illud est contra omnem experientiæ rationem: videmus enim eosdem radios immotos permanere, quocumque modo loco mutentur diaphana, v. g. aqua, aër, vitrum, etc. Sed quidquid sit de lumine sensibili, aut alio quocumque circumscripto, saltem lumen intelligibile æternum, et incircumscriptum, radiat supra omnem locum, et tempus, independenter ab omni re temporali, et locali. Confirmatur, lumen incir-

cumscriptum est æterna veritas, sed æterna veritas à nullâ re temporali pendet : licèt enim nullus daretur creatus intellectus, tamen æterna daretur veritas.

29. Quintò conveniunt, quòd sicut vehemens sensibile lumen lædit sensum [*sentire enim est quoddam pati*, 2. de Animâ. *Et omne agens agendo repatitur* 1. de Gen.] ita quoque vehemens lumen intelligibile lædit, non quidem intellectum (qui incorruptibilis est, sed intelligentem. Et solum per accidens, ob vehementem cooperationem phantasiæ : nam aliàs lumen intelligibile, seu veritas, et ejus operatio, est res purè perfectiva, ita ut subjectum per se purè perficiat, nullo modo per se lædat.

30. Ultimò denique conveniunt, quod sicut lumen sensibile calorem, ita lumen intelligibile, præsertim incircumscriptum, amorem producat, qui mentis verus calor est.

DIFFERENTIÆ.

31. Differunt autem 1. in essentiâ, quia lumen circumscriptum est qualitas creata, lumen incircumscriptum verò radicaliter et secundùm se acceptum, est veritas æterna, et increata (ut suo loco probatur) si verò formaliter ac subjectivè lumen intelligibile accipitur, est ipsa mens, aut ipse intellectus, vel ipse habitus, aut actus scientiæ certus, et evidens, quo formaliter intellectus illuminatur : sed ut sic desinit esse lumen incircumscriptum.

32. Secundò differunt, quòd illud sit proles alicujus lucis creatæ, hoc verò lucis increatæ, à quâ æternaliter emanat, et fluit; non per fluxum realem (sicut Physicus effectus à suâ causâ fluit, qui fluxus realem distinctionem importat) sed per fluxum Metaphysicum, seu Logicum ; quo proprietas à re fluere dicitur, licet ab eâ realiter non distinguatur. Hinc.

33. Tertiò differunt, quòd lumen, seu radius circumscriptus realiter à suâ luce, cujus est proles, distinguatur, non verò lumen, seu radius incircumscriptus, qui solum per rationem à suâ luce differt. Unde Joannis 1. v. 4. et seq. græcè habetur idem nomen φῶς, quod noster Interpres nunc lucem, nunc lumen vertit. Hæc differentia patet ex jam dictis. Interim si nomine luminis intelligas id, quod in nobis ab æternâ et incircumscriptâ luce [quæ DEUS est] realiter causatur [v. g. ipsa mens, ipse intellectus, præsertim agens; ipsique actus scientifici, etc.] hoc sensu dubitandum non est, quod lumen seu radius etiam realiter differat, sed ita acceptum lumen, ut jam notavi, desinit

esse incircumscriptum. Sed quæsieris cur lux Solis v. g. indigeat distincto radio, ut meum permoveat oculum, non verò lux divina? Respondeo : in promptu esse differentiam : quia cùm Sol distet à meo oculo indiget radio distincto, quem ad oculum transmittat. Sed DEUS, sive divina lux, seu quod idem est, æterna veritas, est per ubique præsens : ergò per se immediatè operari poterit : consequenter per se solam subit vicem lucis ac luminis, seu radii incircumscripti.

34. Quartò differunt, quod illud, id est circumscriptum, ac temporale lumen, possit etiam secundùm se acceptum (sivè ut à suâ luce profluit) mutari, minui, vicissitudinem pati, occumbere, deficere, obfuscari, eclipsari, impediri, extingui, corrumpi, perire, annihilari; hoc verò, id est incircumscriptum, solùm ex parte oculi recipientis est mutabile, seu impedibile. Ratio patet ex dictis : prius enim est creatura, corruptioni secundùm se subjecta : hoc autem realiter et radicaliter acceptum est ipse DEUS. Hinc Jacobi C. 1. v. 17. dicitur DEUM esse Patrem luminum, *apud quem non est transmutatio, vel vicissitudinis obumbratio*. Et Sap. 7. v. 10. dicitur : *Quoniam inexstinguibile est lumen illius*. Et in Eccl. 26. v. 6. habetur : *In cœlis* [Est sermo de Sapientiâ DEI] *ut orietur lumen indeficiens*.

35. Confirmatur 1. *Possibili posito in esse nullum sequitur inconveniens* : si ergò possibile foret, lumen intelligibile incircumscriptum secundùm se perire, si poneretur actu periisse : tunc nullum sequeretur inconveniens : sed sequitur maximum inconveniens, scilicet implicantia omnis cognoscibilitatis ; quæ illo lumine sublato etiam tollitur : Quia implicante principio cognitionis implicat cognitio. Sed quis sapiens dicat implicare cognoscibilitatem ? Confirmatur 2. Visionis sensitivæ lumen est corruptibile : ergò visionis intelligibilis erit lumen incorruptibile. Confirmatur 3. Implicat veritatem secundùm se acceptam perire, ergò implicat etiam lumen intelligibile incircumscriptum perire ! Hinc Ps. 116. v. 2. dicitur : *Veritas Domini manet in æternum*. Confirmatur 4. Lumen, quod incircumscriptibilitate intellectum illuminat, est æterna ratio ; sed quidquid est æternum secundùm se acceptum immutabiliter, et inextinguibiliter radiat ; ergò secundùm se non potest perire, aut mutari. Confirmatur 5. Proprietas quarto modo tam parùm mutari potest, quam id, cujus est proprietas : sed lumen incircumscriptum est proprietas DEI, et DEUS est immutabilis, ergò et ipsum lumen.

36. Quintò differunt, quòd lumen circumscriptum possit fallere, et falli, etiam secundùm se acceptum ; lumen verò incircumscrip-

tum nullo modo. Patet ex dictis : quia omnis creatura potest deficere, ergò etiam fallere, et falli : non verò DEUS, aut proprietates ejus. Undè intellectus creatus, nitens solo lumine circumscripto, potest errare, ac falli : sed nitens lumine incircumscripto, nec errare, nec falli potest. Et quotiescumque contingit aliquem falli, tunc ejus intellectus non nititur lumine incircumscripto, sed circumscripto tantùm, etiamsi talis per errorem existimet, et falsò credat, se in suâ cognitione niti, ac fulciri lumine incircumscripto.

Sed jam oportet inquirere, quid sit formaliter scire, et quale lumen ad illud requiratur ? Itaque.

SECTIO III.

ALIÆ TRES HYPOTHESES, SEU PRÆLUDIA.

§ I.

Hypothesis, seu Præludium IX.

Quid sit scire, vel scientificè aliquid cognoscere ?

SUMMARIUM. — 37. Quid sit scire? — 38. Quid ad scientiam requiratur?

37. Suppono 9. Scire aliquid, seu rem aliquam scientificè intelligere (quod omnes homines naturaliter desiderant, teste Aristotele 1. Metaph.) non esse, rem quomodocumque cognoscere, v. g. erroneè, seu falsò (hoc enim est errare, non scire) vel hæsitando (quia hoc est dubitare, non scire) aut solùm probabiliter æstimando (quia hoc est opinari, et putare ; non verò scire) vel tantum obscurè rem cognoscendo, ob solam auctoritatem dicentis (hoc enim est credere, non scire : sive dein auctoritas sit divina, angelica, vel humana) sed verum scire, ac vera Scientia, est cognitio certa, et evidens, quâ per intellectum certè, ac evidenter cognosco, aut ipsam rem scibilem, ut intellectui præsentem, aut ejus veram formalem, ac propriam rationem. Undè Scientia definitur à Philosophis : *Cognitio certa, et evidens rei per causam,* id est, per suam veram, ac formalem rationem.

38. Ergò requiritur ad Scientiam, ut id quod movet intellectum ad assentiendum, sit aut ipsamet res secundùm se, vel ipsa ejusdem formalis, et vera causa, seu ratio, per quam talis res est id, quod est : ita ut intellectus clarè cernat, se in suâ cognitione nec falli, nec contrà eam ex ullâ parte, loco, aut tempore errorem irrumpere posse.

Hoc enim totum importat cognitio certa, et evidens. Si enim ex quocumque loco, aut temporis differentiâ aliquod veritatis præjudicium, seu minimus error posset in contrarium irrumpere, eo ipso talis cognitio non esset absolutè vera, certa, et evidens : nec satìs firma.

Sed jam quæritur, quale lumen requiratur, et necessarium sit, ut videlicet res intellectui absolutè, et pro omni loco, et tempore vera appareat ? Sit itaque.

§ II.

Hypothesis, seu Præludium X.

Ad generandam Scientiam, et ut scientificè aliquid cognoscatur, necessarium est lumen incircumscriptum, id est, tale lumen, quod ex se immutabiliter suprà locum, et suprà tempus, semper et æternaliter luceat, et rem illam veram esse semper pronuntiet.

SUMMARIUM. — 39. Vera, certa, et evidens cognitio petit fundari super aliquid immutabile. — 40. Declaratur et probatur primò. — 41. Declaratur et probatur secundò. — 42. Declaratur et probatur tertiò. — 43. Declaratur et probatur quartò quoad scientiam definitivam. — 44. Quid sit hoc immutabile, super quod vera, certa, et evidens cognitio petit fundari.

39. Suppono 10. Ut aliquid menti, seu intellectui absolutè verum, certum, et evidens appareat ; illudque verè sciamus, ita ut pro nullo loco, aut tempore error in contrarium irrumpere possit ; talis cognitio essentialiter petit fundari super hujusmodi lumen, quod ex se luceat, splendeat, et radiet suprà omne tempus, et suprà omnem locum ; semper, et ubique : ita ut semper, et ubique cuilibet audire volenti per illud objectivè pronuntietur, ita sic esse. Videtur patere ex jam dictis, et ex notione Scientiæ. Cùm enim lumen sit causa Scientiæ, et Scientia per lumen specificetur, debet utique esse proportio inter utrumque. Quia igitur scientia est cognitio rei absolutè veræ, pro omni loco, et pro omni tempore, ita ut talibus circumstantiis stantibus implicet aliter esse : ergò et lumen, ad hoc necessariò requisitum, debebit hoc dicere pro omni loco, et pro omni tempore, cum impossibilitate contradictoriæ. Uno verbo : Certitudinalis, et evidens cognitio petit fundari super tale lumen, quod sit ratio æterna, incircumscriptibilis, immutabilis, libera à varietate locorum, tempo-

rum, et mutationum; quæ veluti lumen objectivum ex se creatæ menti luceat æternaliter, incircumscriptibiliter, immutabiliter, inextinguibiliter; ac independenter ab omni loco, tempore, et quâcumque possibili variatione. Non quòd mens creata, aut ab æterno esse debuerit; aut eam semper tale lumen suscipere dicam : sed aio, quòd quoties aliquid absolutè et certò scire peroptamus, hoc facere non possimus, nisi simul advertamus, rei sciendæ objectivum lumen, quod nobis lucet; ab æterno, æternaliter, incircumscriptibiliter, et immutabiliter hoc asseruisse, asserere, et semper asserturum esse, cum implicantia contradictionis.

40. Declaratur, et probatur primò : *Omne ens per accidens habet reduci ad aliquod ens per se :* ergò quævis cognitio rei creatæ, et contingentis; si vult esse scientifica, et incapax erroris, debet reduci ad aliquam rationem, seu ad aliquod lumen, vel notitiam alicujus rei ex se æternæ : cognitio rei finitæ, et ad locum, tempus, et mutationem limitatæ, et arctatæ, debet reduci ad cognitionem alicujus rei infinitæ, illimitatæ, et non sic arctatæ. Et est idem scopus, quò collimat discursus D. Thomæ suprà Cap. 2. Num. 11,

41. Secundò : Nemo in corde suo, vel mente veritatem aliquam securus infert, nisi pariter in corde suo, vel mente, ab omni periculo se expediat, ne possit contra talem veritatem aliquod falsum irrumpere, ex aliquo particulari loco, aut aliquâ particulari temporis differentiâ : vel suppositâ certâ actionum mutatione. Ergò ad hoc, ut se ab omni tali periculo errandi expedire valeat, et ne contra suum assensum, aut cognitionem mendacium irrumpat, indigebit luce, ac fulcro alicujus æternæ, incircumscriptæ, immutabilisque veritatis, quæ nec fallere, nec falli possit; quæve sit semper, et ubique, et insuspensibiliter illativa, seu naturaliter emanativa illius alterius veritatis, de quâ est cognitio.

42. Tertiò : Nemo certitudinaliter, rectè, et evidenter aliquid definit, judicat, vel concludit, nisi simul advertat se in tali definitione, judicio, ac conclusione, hîc et nunc, errare non posse. (Est clarum per se, intelligenti, quid sit scientia) sed hoc haberi non potest, nisi quis habeat hujus suæ definitionis, judicii, et conclusionis scientificæ, aliquam æternam, incircumscriptam, ac immutabilem legem, seu regulam, ac rationem; seu lumen, quod advertat, capiat, et intelligat, ex se acceptum, semper, et ubique, ac immutabiliter lucere; quod inextinguibile, et indeficiens sit, et nec extingui, aut deficere possit : quodque injudicabiliter illam veritatem inferat, ac pronuntiet; veluti prima radicalis, et communis veritas; et tanquam prima

judicandorum sedes, quæ à nemine judicetur, aut judicari possit : sed per illam omnia judicentur : ne videlicet menti intellecturæ ampliùs necesse sit, ad se expediendum ab omni periculo erroris, de illius primæ sedis veritate quærere, aut ab illâ ad ulteriorem, vel altiorem judicem, seu veritatem appellare.

43. Quartò : Ostenditur specialiter ista hypothesis in scientiâ definitivâ. Definire aliquid est naturam rei explicare : Et juxta etymologiam suam, est definitè, ac limitatè rem cognoscere : seu intelligere, quid illa res in se formaliter entitatis habeat, et quid non habeat. Definitio enim constat conceptu determinabili, et determinante, positivo, et negativo ; indefinito, ac finito : et ideò sola finita definire possunt, illis enim aliquid inest, et aliquid deest ; DEUS verò definiri non potest, cùm ipsi nihil desit, sed uno simplici conceptu apprehendi illum necesse est. Debet ergò in omni definitione mentis intellecturæ, atque definituræ perfectissima, et impræjudicabilis quædam mensura lucere, per cujus accessum, et recessum, cæteras omnia definire valeat. Undè Proverbii loco illud Aristotelicum circumfertur. *Primum in unoquoque genere mensura est cæterorum.* Et inde dicendum est, in luce perfecti definiri omnia imperfecta. Sicut v g. definiturus plurium personarum speciales pulchritudines adhibet notitiam, ac definitionem perfectæ pulchritudinis (consistentis in gratissimâ proportione, et amabilitate, non unius, vel alterius coloris ; seu partis ; sed in perfectâ symmetriâ, et omnium colorum, et omnium partium) per cujus accessum, et recessum, de harum personarum pulchritudine judicare, ac definire poterit : ac dicere : hujus personæ pulchritudo est major, quàm alterius ; quia magis accedit ad perfectissimam pulchritudinem, illa verò minus, etc. Vide etiam suprà Cap. 1. Sect. 4. § 3. num. 97. Et § 5. num. 105.

44. Sed jam inquirendum est, quid sit ista communis judicandorum, et definiendorum immutabilis mensura, seu prima sedes, ac prima veritas, seu impræjudicabilis lex, et infallibilis regula, ac incircumscriptum, et immutabile lumen, ad omnia certè definienda, et judicanda requisitum : an ens rationis, vel ens reale temporale, seu creatum ; vel an potiùs aliquid reale increatum et æternum. Et licet suprà Cap. 1. Sect. 4. toto § 6. de re ista insinuatum fuerit, iterùm illud ipsum clariùs hic expono.

§ III.

Hypothesis, seu Præludium XI.

Hoc lumen incircumscriptum, quod semper, ubique, et immutabiliter lucet, non est ens rationis, nec ens creatum temporale : sed increatum et æternum.

SUMMARIUM. — **45. Hoc immutabile incircumscriptum lumen, quod semper, ubique, et immutabiliter lucet non est quid fictum, aut ens rationis. — 46. Probatur primò. — 47. Secundò. — 48. Tertiò. — 49. Solvitur objectio. — 50. Solvitur replica. — 51. Nec est ens reale creatum. — 52. Confirmatur à partium enumeratione. — 53. Non est intellectus, vel habitus principiorum. — 54. Non est natura realis abstracta. — 55. Solvitur objectio. — 56. Iterùm confirmatur. — 57. Sed est ens reale increatum : et hoc probatur, et tripliciter confirmatur. — 58. Confirmatur quartò. — 59. Quis ergò dicendus sit internus Magister?**

45. Suppono 11. Istam communem judicandorum, et definiendorum mensuram, seu primam sedem, primam veritatem, impræjudicabilem legem, infallibilem regulam, ac incircumscriptum, et immutabile lumen, quod menti, scientificè, certitudinaliter, et evidenter liquid definienti, judicanti, et concludenti, lucere debet : et super uod, veluti super necessarium et immutabile fulcrum, talis scientica, certitudinalis, ac evidens definitio, judicium, seu conclusio, aturaliter fundari postulat : non posse esse ens rationis, seu fictum; c etiam ens reale creatum : sed necessariò debere esse ens reale creatum, et æternum. Hæc suppositio est fundamentum totius gumenti ; cujus vim, ac veritatem quisquis intueri posset, ac imiùs penetrare, nec dubitaverim et in cæteris dicendis de immeto Christi, seu DEI, Magisterio, facilè assensurum. Sed jam negon totum in hoc situm est, qualiter hæc Hypothesis quoad omnes partes vera demonstretur.

. Probatur ergò prima pars (videlicet, quòd illa æterna Lux, Regula non possit esse ens fictum, seu rationis) per sequentes nes. Primò, id quod intellectum verè movet, ut producat cogni- n realem : et consequenter, quod fundat relationem realem, esultantem non potest esse ens fictum, seu rationis : sed hæc , et ad quemlibet actum scientificum, vel definitivum necesrærequisita Lux, et Regula hoc facit, ergò non potest esse ens seu rationis. Minor videtur certa, tùm ex dictis, tùm quia hi communiter dicunt et objectum, et ipsa principia conclu-

sionis, (aut alterius evidentis cognitionis) veluti rationem motiv verè, ac realiter in talem conclusionem, seu cognitionem influer quibus talis conclusio, seu realis cognitio quoad suam veritat certitudinem, evidentiam ac realitatem necessariò pendeat. M etiam à Philosophis probata supponitur, dicentibus : *Non entis n esse qualitates* : consequenter nec effectus reales. Ens fictum au est simpliciter non ens. Insuper, aiunt, relationem realem arg fundamentum reale ; (cùm fundare cognitionem, ac relatio realem, longè excedat activitatem entis ficti : quia nulla res a potest ultra limites suæ activitatis) sed certa, et evidens cog dicit realem relationem ad illam æternam lucem super quam fu tur, ergò hæc æterna lux erit quid reale.

47. Secundò, objectum formale scientiæ realis debet esse reale (scientia enim specificatur à suo objecto) sed illa Lux, Regula, est formale objectum, ergò etc. Imò et in cognitione rationis debet occurrere menti aliquod tale Lumen reale, ad c intuitum ens rationis cognoscatur, et quod realem illam cognitio specificet : quæ neutiquam per ipsum formale ens rationis (c nullæ sunt qualitates, aut effectus reales) specificatur. Undè S phicus Doctor in Itinerario Cap. 3. verè probat, quod ipsum positivum esse sit primum objectum nostri intellectûs, ad or cognoscenda, tùm realia, tùm ficta ; tùm positiva, tùm nega Cùm enim quævis cognitio (etiam rei fictæ) sit quid reale, ut indigebit specificativo reali.

48. Tertiò : Ens rationis non habet esse, nisi per notitiam inte tûs fingatur, ergò non potest esse illa æterna lux, seu regula, q intellectus noster clarissimè cernit, ex se æternaliter, ubique semper luxîsse, ac radiàsse, ante omnem intellectûs abstraction et adhuc radiare, et lucere ; consequenter ipsum suum esse ser habuisse, et habere ; et non primum fingi per intellectum.

49. Nec dicas, plurimos homines verè moveri ab entibus fictis rationis : ut dum superbus arces in aëre fabricat, avarus inanes non existentes divitias ambit, alius aliud : et sic de cæteris. quivis artifex movetur à fine nondum existente : *nam primu intentione est ultimum in executione*. Ergò non sequitur, id ens dicendum esse, quod intellectum, aut voluntatem movet. R. Stu eum futurum, consequenter non operaturum ex ratione, qui aliud nihil, nisi ens rationis intenderet. Imò sicut videtur impossi appeti malum, ut malum (quia *nemo ad malum respiciens oper* ita quoque impossibile erit moveri ab eo, quod nihil est reale,

actu, nec potentiâ. Ergò et hi, qui fabricant arces in aëre, non ambiunt entia ficta, sed vera entia realia ; non quidem actu existentia, sed possibilia, et in ideis suis jam existentia : sic quoque movetur artifex à fine reali, qui licet in se realiter non existat, existit tamen in suâ ideâ.

50. Dices, at si quis appetat se esse DEUM, utique talis movetur à re absolutè impossibili, consequenter à puro ente rationis, quod nullo modo, nec in se, nec in suâ ideâ realiter existit. ℟. Cum communiori Doctorum, nec Luciferum, nec alium quemquam hoc efficaciter appetivisse, aut appetere posse : cùm enim voluntas sit cæca, nihil potest efficaciter appetere, nisi ab intellectu sibi proponatur tanquam nullam involvens implicantiam, et sub aliquâ ratione possibile sit. Consule desuper SS. Theologiam, ubi agitur de casu Angelorum, et de objecto voluntatis. Adde. Oculus carnis non movetur, nisi à re positivâ reali, ergò nec oculus mentis, qui est perfectior.

51. Probatur secunda pars ipsius suppositionis ; quòd videlicet illa æterna lux, et regula non possit esse aliquid reale creatum. Quia nulla creatura est æterna, aut immutabilis, aut incircumscriptibilis, infallibilis, injudicabilis, irrefragabilis : sicut tamen illa lux, et regula est, et esse debet. Nec ulla creatura, vel lumen creatum, potest ex se menti inextinguibiliter, ac immutabiliter lucere : cùm omnis creatura incæperit in tempore ; et realiter sit ens defectibile : imò creatura ex se ac per se considerata est mendax, et vana ; seu mendacium, et vanitas ; juxta illud Psalmi 4. *Filii hominum usquequò gravi corde, ut quid diligitis vanitatem et quæritis mendacium.* Et Eccles. 1. *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas.* Ergò nulla res creata est veritas infallibilis ; ergò poterit ex se fallere, et falli, ergò ex se non potest fundare cognitionem certam, et evidentem, cui falsum subesse non possit ; quocumque modo talis creatura abstractè sumatur : abstractio enim fit in tempore : ergò non potest facere, quòd aliqua veritas ab æterno luxerit. Sicut tamen intellectus noster clarissimè cernit, principia suæ cognitionis scientificæ æternaliter ex se luxisse, nec posse non lucere.

52. Confirmatur : Si hæc regula, vel lux esset realis creatura, vel erit intellectus, qui rem cognoscit ; vel habitus principiorum speculativorum, et practicorum ; quo mediante intellectus noster intelligit propositiones æternæ veritatis, tam speculativas, quàm practicas : ex quibus dein cæteros actus scientificos colligit. Vel erit natura à conditionibus individuantibus abstracta, ita ut per talem abstractionem

jam suprà locum, et suprà tempus incipiat lucere : sed nullum horum esse potest ; Ergo, etc.

53. Probatur prima pars de intellectu, et habitu principiorum : quidquid nimirùm in tempore fit, ac certo in loco, non potest æternaliter, et ubique lucere : sed intellectus, et habitus principiorum sunt hujusmodi, ergò non possunt æternaliter, et ubique lucere. Minor patet, quia utrumque habet initium suæ existentiæ, et saltem definitivè sunt in certo loco. Probatur major. Omnis proprietas pro omni loco, et tempore suæ existentiæ, præsupponit existentiam causæ, et essentiæ, à quâ fluat : aliàs non entis darentur qualitates. Ergò id, quod non existit semper, et ubique, non poterit semper, et ubique lucere. Interim lubens concedo, quòd tam intellectus, quàm habitus principiorum naturaliter hominem manuducant ad id, quod semper, et ubique lucet, tanquam connaturales virtutes, quibus mediantibus homo capax redditur lucis indeficientis ac immutabilis : sed nego quod ipsi sint hæc lux.

54. Probatur secunda pars, de naturâ reali abstractâ. Si natura abstracta posset lucere semper, et ubique, vel hoc haberet ex se, aut ratione abstractionis ; cùm nihil tertium dicat : sed neutro modo hoc habet, ergò, etc. non ex se, aut ratione sui, quia ut sic, etiam ut reperta in singularibus hoc haberet, id est semper, et ubique luceret; quod tamen falsum est. Natura enim, ut sic accepta, est alligata ad certum locum, et ad certum tempus : sed nec ratione abstractionis hoc habere potest. Abstractio enim fit in tempore, ac in certo loco, ergò non potest alteri communicare id, quod ipsa non habet, scilicet ut luceat aliquid semper, et ubique.

55. Dices. Tale lucere semper, et ubique ; non ex actu abstrahente, sed ex ipsâ naturâ jam abstractâ resultat. Sed contrà, implicat dari effectum sine causa, cum ergò tale lucere (semper, et ubique) non profluat ex actu abstrahente; et ut probatum est nec à naturâ secundùm se, sic daretur effectus sine causa. Item qualis causa talis effectus, qualis natura talis proprietas, cùm ergò tam natura, quàm actus abstrahens sint solum in certo loco, et tempore; etiam ipsum lucere, ex ipsis promanans, lucebit in solo certo loco, et tempore. Et profectò videtur omninò inintelligibile, quomodò res aliqua possit æternaliter, et ubique lucere, si causa, vel parens hujus æternæ lucis non sit ex se æterna.

56. Confirmatur : æternum mentis lucere est æterna, et immutabilis veritas : sed æterna, et immutabilis veritas, non est creatura, ergò creatura non potest esse æternum mentis lucere. Hæc omnia

simul probant, quòd nec species intelligibilis (aut impressa, aut expressa) possit esse hæc Regula : quia et ipsa est quid finitum, et creatum.

57. Ultima pars suppositionis sequitur ex dictis : quia aliud medium non datur : si enim illa æterna lux, vel regula omnia intelligendi, non est ens fictum, aut ens reale creatum, utique erit ens Divinum, et ipsissimus DEUS. Confirmatur 1. à S. Bonaventurâ, in Itinerario, dicente : *Omne, quod est æternum est DEUS, vel in DEO :* sed illa lux, vel regula est æterna, ergò, etc. Confirmatur 2. per argumentum S. Thomæ Aquin. 1. p. q. 16. à 5. et 6. unica datur veritas æterna ; et hæc est ipse DEUS : cùm ergò illa lux, seu regula sit veritas æterna, erit ipse DEUS. Confirmatur 3. quia per Guilielmum Episcopum Parisiensem damnatus fuit sequens articulus, velut error. *Quartus est, quòd multæ veritates fuerunt ab æterno, quæ non sunt ipse DEUS — firmiter credendum est, quòd una sola veritas fuit ab æterno, quæ DEUS est, et quod nulla veritas fuit ab æterno, quæ non sit illa veritas.* Hæc ibi.

58. Confirmatur 4. Omnis veritas, et omne verum est semper verum (videlicet sub illis circumstantiis, sub quibus semel est verum. Non debet autem veritas aliter considerari quàm ut est, id est implexa cum omnibus suis circumstantiis : non abstractè, ut est in intellectu : ut sic enim potiùs fictum, quàm verum esse habet : nam verum esse illud solum est, quod tale in se reperitur) sed id quod semper est verum, est ab æterno ; et ubique verum, et semper erit verum, nec poterit unquam esse falsum. Consequenter tale verum semper, et inextinguibiliter radiat, ut à quocumque disposito intellectu semper, et ubique percipi valeat. Sed jam quæro undè, et ex cujus beneficio habet quodcumque verum, seu quæcumque veritas, quòd æternùm radiet, et æternùm luceat ? An ex se, et ex suâ particulari entitate, vel ex beneficio alterius ? Non ex se, quia entitas creata est ex se extinguibilis, annihilabilis ; determinata ad unum, ad certum locum, ad certum tempus, et ad alias certas circumstantias : consequenter non poterit ex se æternaliter, et inextinguibiliter radiare, aut æternam veritatem fundare : quia *nemo dat, quod non habet.* Ergò dicendum erit, quod creatum verum sit semper, et ubique verum, ex beneficio alterius ; scilicet ipsius communis, et universalis veritatis, quæ DEUS est, in quo omnia inextinguibiliter sunt, lucent, radiant : dicente Joanne Apostolo c. 1. v. 3. *Quod factum est in ipso vita erat.* DEUS ergò est summa, et communis veritas, quæ tum seipsam, tum cætera omnia formaliter verificat. Hinc licet creatura se-

cundum esse in proprio genere sit mutabilis, tamen ut est in DEO est immutabilis, et inextinguibilis. Ergò probatum maneat, quòd prima sedes, prima veritas, æterna lex, regula, et mensura omnia intelligendi, ac definiendi, sit ipsissimus DEUS : prout etiam ostensum fuit toto § 6. Sect. 4. Capitis primi (Vide fol. 62).

59. Sed jam ex dictis procedamus ad ipsum principale quæsitum, Quis nimirùm sit communis Magister, qui nos omnia intùs docet? An solus DEUS, vel etiam creatura verè, ac propriè intùs docere possit? Cùm autem hoc quæsitum dependeat à sensu verborum, quid nimirùm intelligatur per internum docere, et per internum doceri, utrumque explicare aggredior.

SECTIO IV.

ALIÆ QUINQUE HYPOTHESES, SEU PRÆLUDIA.

§ 1.

Hypothesis, seu Præludium XII.

SUMMARIUM. — 60. Docere et doceri sunt inseparabilia. — 61. Qualis actio sit verum docere?

60. Suppono 12. Verum internum docere, ac doceri, esse correlativa sicut agere, et pati. Patet ex ipsis terminis, et ex ipsâ significatione activâ, et passivâ. Consequenter internum docere est actio, fundans relationem Magistri interiùs docentis : et doceri est passio, fundans relationem discipuli interiùs instructi. Est iterùm clarum. Consequenter docere et doceri, tanquam correlativa, sunt simul naturâ, et nequeunt ab invicem separari, ita ut implicet dari unum sine altero : sicut implicat dari aliam quamcumque actionem, vel relationem absque correspondente passione, seu correlativo. Imò et implicat DEUM aliquid creare, et non simul aliquid fieri, vel creari, prout arguit magnus ille Augustinus in suis Confess. L. 11. C. 12. Ergò implicat Magistrum docere, et Discipulum non doceri. Nihil horum negari potest, cùm sint omnia clara. Vide etiam Doctorem Seraphicum in Cap. 1. Joannis super illa verba : *Erat lux vera, etc.*, dicentem : *Benè est concedendum, quod activa infert suam passivam, quia quos illuminat Lux divina effectualiter, perfectibiliter illuminati sunt.* Hæc ille.

61. Sed jam explicandum est, qualis actio sit ipsum verum docere, et qualis passio sit ipsum verum doceri ? an sit actio, quâ in Discipulo

ducitur aliquis terminus; et passio, quâ discipulus positivè perf
ur? an potiùs per hæc verba solus conatus intelligatur, quo Ma
ter nititur suis verbis scientiam in Discipulo producere: licet eam
m actu non producat.

§ II.

Hypothesis, seu Præludium XIII.

ocere, et doceri sunt actio et passio, quibus producitur doctrina et inde fundantur relationes Discipuli ac Magistri.

MMARIUM. — 62. Per internum docere et doceri intelligitur vera interna actio, non solus exterior conatus. — 63. Declaratur per comparationem ad alia verba activa et passiva. — 64. Exponitur ex applicante activa passivis. — 65. An ergo Magister creatus solùm exteriùs doceat?

62. Suppono 13. Ipsum verum internum docere, quod fundat ationem interni Magistri esse actionem, quâ in Discipulo produ-ur doctrina; et ipsum verum doceri, quod fundat relationem Dis-uli, esse passionem, quâ Discipulus sit doctus, minimè verò solum atum designant. Suppositi veritas videtur patere ex ipsis terminis, ex vi significationis verborum activorum, et passivorum; et à ili in omni aliâ actione, et passione. Sicut enim verum calefacere lucit in calefactibili calorem; et per verum calefieri calefactibile alidum [quod si non fit, nec adest verum calefacere, nec cale-] ergò à simili, verum internum docere, et doceri inferunt pro-ionem doctrinæ: et ubi hæc non producitur, nec adest verum num docere, aut doceri.

Confirmatur 1. Verum calefacere, et calefieri de præsenti facit, postea dicatur esse calefactum: ergò à simili, illud tantùm est docere, et doceri de præsenti, quo posteà dici possit aliquem actum doctum. Et sicut ubi nihil est factum calidum, non ici adfuisse verum calefacere, et verum calefieri; sic etiam t actum docendi non sequitur aliquem in aliquo factum ille actus docendi non fuit verum docere, aut doceri.

firmatur 2. Is, qui solùm applicat activa passivis, non us auctor actionis, vel passionis sequentis, nisi moraliter: ctio, et passio, sicut etiam terminus productus physicè ar causæ applicatæ (videatur illa quæstio, num diabolus are; aiunt enim dæmonem solùm applicare activa passi-

vis et non futurum parentem). Ergò à simili verum internum docere physicum non adscribetur applicanti activa passivis, sed illi soli, à quo profluit actio, passio, et terminus doctrinæ ; si verè, et propriè loquamur. Sicut etiam, qui ignem projicit in stabulum, dicitur quidem juxta moralem, ac communem modum loquendi, accendisse stabulum, cùm tamen solus ignis verè ac physicè accenderit. Et qui monet ægrotum, ut sibi emplastrum applicet, non dicimus, quòd physicè constringat vulnus, aut ægrotum sanet : sed totum hoc emplastrum facit. Ergò sicut formalis effectus generationis, adustionis, sanationis, etc,, illi soli physicè potest adscribi, à quo verè ac physicè emanat generatio passiva, adustio passiva, sanatio passiva, etc., non applicantibus, vel monentibus : ita à simili, formalis, et actualis interna doctrina illi soli activè adscribenda erit, à quo ipsa scientia, seu doctrina passiva in intellectu discipuli verè generatur ; non a[illegible] illo, qui solùm applicat activa passivis ; vel adhuc minùs facit, id est, qui non applicat, sed solùm verbis monet discipulum, ut sibi tali[illegible] activa applicet, id est ut principia, seu causas productivas doctrin[illegible], ac scientiæ, suo intellectui admoveat. Videntur omnia clara ex dat[illegible] à similitudine.

65. Sed jam quæritur, an homo vel creatura hoc solo exterior[illegible], seu posteriori modo doceat, et solus DEUS priori, seu interno a[illegible]c vero modo? Quia non tantùm Sacra Scriptura sæpiùs, et homini, [illegible]t Angelo actum docendi simpliciter adscribit : sed et ipsa ratio coger[illegible] e videtur, quòd Magister creatus etiam interiùs doceat ac illumine[illegible]. Hoc totum capies ex sequentibus quatuor Hypothesibus.

§ III.

Hypothesis seu Præludium XIV.

Doctrina, et scientia fit in solâ internâ mente : undè ab illâ actione minimè attingitur, quæ tota foris terminatur.

SUMMARIUM. — 66. Ipse titulus est Summa.

66. Suppono 14. Doctrinam, seu scientiam fieri in subjecto spiri[illegible] tuali, seu in animâ, consequenter illud agens non attingit physic[illegible] ejus productionem, cujus actio tota forinsecùs terminatur, ac finitur[illegible]. Antecedens patet : quia scientia, et doctrina est spiritualis, et intern[illegible] qualitas ; ergò etiam, requirit subjectum spirituale, et internum[illegible].

onsequentia verò indè etiam patet, quia terminus specificat actio-
em (imò sunt idem realiter, juxta dicentes, actionem subjectari in
asso) ergò ubi recipitur unum, et ibi debet recipi alterum. Conse-
uenter si alicujus actio manet tota foris, et exteriùs terminatur,
ıeutiquam poterit esse physica causa interioris doctrinæ : aut attin-
ere productionem scientiæ, quæ tota intùs est, et fit. Sed num actio
ensibilis tota foris terminetur ?

§ IV.

Hypothesis, seu Præludium XV.

Omnis actio verè sensibilis tota foris in corpore terminatur.

IMMARIUM. — 67. Actio sensibilis tota foris terminatur. — 68. Solvitur objectio in contrarium. — 69. Exponitur mens D. Thomæ.

67. Suppono 15. Omnem actionem sensibilem totam à foris in
rpore terminari (saltem naturaliter loquendo, quidquid sit de
tione Sacramentorum) ratio est clara, quia ibi terminatur actio,
bi producitur terminus : sed terminus cujuslibet actionis sensibilis
oducitur in corpore (nihil enim sensibile potest efficere rem spiri-
ıalem) ergò actio sensibilis tota terminatur in corpore.

68. Dices. Res, aut actio sensibilis producit in oculo, vel auribus,
ıt aliis sensibus exterioribus qualitates, et species sensibiles : et
ovet exteriores sensus, ut agant : et est causa, quòd ulteriùs etiam
teriores sensus, vel potentiæ operentur [v. g. phantasia, appetitus
nsitivus, etc.] imò tandem movent ipsum intellectum, et voluntam, productis videlicet (mediantibus phantasmatibus, et intellectu
ente) speciebus : ergò falsum est, quòd res, vel actio sensibilis
nninò finiatur, et terminetur in corpore. R. Negando consequen-
ım : quia licet operante sensu externo, et interno, etiam operetur
tentia spiritualis (propter sympathiam potentiarum subordinata-
m in eodem supposito) non tamen hoc fit, quasi potentia illa cor-
rea verè moveret potentiam spiritualem : monere quidem illam
test, veluti signum; movere tamen nunquam potest, cùm hoc
cedat limites entis corporei.

69. Et hoc ipsum, et aliud nihil, vult D. Thomas sæpius citata
de Magistro, a. 1. Dum sibi sic obiicit. *Quarto. Docere nihil aliud
quam scientiam in alio aliquo causare : sed scientiæ subjectum est
ellectus, signa autem sensibilia, quibus solummodo videtur homo*

posse docere, non perveniunt usque ad partem intellectivam, sed existunt in potentia sensitiva. Ergò homo ab homine doceri non potest. Hæc D. Thomas, sed nunc audiamus solutionem quomodo et ipse teneat, Magistrum creatum solum per sua signa sensibilia exteriùs monere posse, et ad verum scientiæ internum effectivum principium manuducere. Sic enim ait : *Ad quartum dicendum, quòd ex sensibilibus signis, quæ in potentia sensitiva recipiuntur.* (Nota, illa signa recipi in potentia sensitiva, quæ intellectui signa monitoria existunt. Undè subdit) *intellectus accipit* [indè] *intentiones intelligibiles, quibus unitur ad scientiam in seipso faciendam* [videlicet tanquam principium subjectivum, conformiter dictis Cap. 1. Sect. 4. § 3. non ut principium objectivum ; Undè sequitur) *proximum enim scientiæ effectivum* [objectivum nimirùm] *non sunt signa, sed ratio discurrens à principiis in conclusiones, ut dictum est.* Et in Responsione demonstrat, scientiam effici ex virtute rationum seminalium, sive primarum conceptionum de primis complexis, vel incomplexis principiis, quæ nobis naturaliter à DEO insculptæ insunt. Hæc D. Thomas. Ergò actio sensibilis terminatur foris, nec potest intùs aliquid efficere.

Sed modo quæres, an concursus ipsius hominis, quo nititur alterum docere sit actio purè sensibilis ?

§ V.

Hypothesis, seu Præludium XVI.

Concursus hominis, quo exteriùs nititur docere, est actio purè sensibilis.

SUMMARIUM. — 70. Actio hominis docentis est tota sensibilis. — 71. Probatur primò. — 72. Probatur secundò. — 73. Objectio.

70. Suppono 16. Hominem non aliter ad producendam scientiam concurrere ; quam mediante actione sensibili, [scilicet sono, ac verbis ; aliisque exterioribus signis sensibilibus, scripturâ, nutibus, etc. ergò hominis actio adhibita in producendâ scientiâ, tota foris terminatur [in auribus, in oculis, in sensibus cerebri] nec transit usque ad animam rationalem ; et nihil producit in intellectu. Ergò quærendum est alius Magister, et Auctor scientiæ, cujus immediata actio ulteriùs tendat usque ad animam, et usque ad intellectum. Sed quis ille nimirùm Verbum, id est, *Sermo DEI vivus, et efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ, et spiritûs :* Ut dicitur Hebr. 4. v. 12.

71. Antecedens suppositionis probatur 1. Si id, quo homo nititur docere hominem, non esset actio purè sensibilis, tunc vel esset actio purè spiritualis, et interna; vel partim sensibilis, partim spiritualis: sed neutrum potest dici, ergò nec id, ex quo sequitur. Probatur minor. Non potest dici primum, quia actio purè spiritualis, et purè interna, licet percipiatur ab ipso Magistro, qui illam actionem in suâ mente præsentem habet, minimè tamen percipi potest à Discipulo, qui illam præsentem non habet. Homo enim non potest videre alterius secreta cordis; Consequenter non potest per illa aut discere, aut moneri. Sed nec alterum dici potest, quia implicat eamdem simplicem actionem esse simul sensibilem, et spiritualem; internam, et externam.

72. Probatur 2. Totus concursus, quo homo hominem docere nititur, sunt verba oris [sive per os sensibiliter prolata] non verba mentis, [sive per mentem spiritualiter expressa] sive quod idem est, totus concursus, quo homo hominem docet, cùm debeat à Discipulo exteriùs adverti, non potest esse aliud, quàm signum exteriùs, sensibile, instrumentale; non verò signum internum spirituale: v. gr. species impressa, aut per mentem Magistri expressa: licet enim respectu Magistri, qui hanc utramque speciem capiti impressam habet, possint appellari signa (videlicet formalia) quia verè Magistri mentem ducunt in notitiam rerum, quarum sunt signa; tamen respectu discipuli minimè possunt appellari signa, cum neutram illam speciem in Magistro existentem discipulus advertere possit. Id autem quod respectu alicujus vult esse signum, et illi aliquid significare, debet ab eo posse adverti.

73. Dices: Concursum, quo homo hominem docet, non esse actum unum simplicem, sed duplicem, unum externum, alterum internum, sive verbum oris, et verbum mentis; seu potiùs verbum internum mentis, exteriùs manifestatum per verbum oris: licet ergò verbum mentis, sive cogitatio Magistri, per se sit discipulo invisibilis, et inadvertibilis, non tamen quatenùs idem verbum mentis, seu cogitatio exteriùs proditur per verbum oris. Sicut etiam Verbum Divinum est per se invisibile, sed ut carne indutum est visibile. ℟. optimè discurris ad meum propositum: Verbum Divinum carne indutum solùm credebatur à videntibus Christum hominem, non cernebatur, (hinc Thomas dicendo: *Dominus meus, et DEUS meus, aliud vidit, aliud credidit*) ergò etiam discipulus audiens verbum oris Magistri, ejusdem verbum mentis non videt, at solùm credit: ergò illud internum verbum nec scientificè docere poterit: Scientia enim est cognitio ex

præcognitis, et quidem non solùm certa, sed etiam evidens : ad evidentiam verò requiritur visio, saltem oculi interni, seu mentis, nec sufficit fides. Ergò cùm verbum mentis, existens in Capite Magistri, à discipulo mentaliter non videatur, sed purè credatur, non poterit in discipulo aliud causare quàm fidem, non verò scientiam: totus ergò concursus, quo homo hominem docet, erit actio purè sensibilis, quia hæc unica et sola percutit aures discipuli, et hæc sola ab eodem percipitur, aliud nihil. Gratiosè rem hanc tangit D. Augustinus, Cap. 13. de Magistro, his verbis : *Quamobrem in iis etiam, quæ mente cernuntur, frustrâ cernentis* [id est, talia intelligentis] *loquelas audit, quiquis ea cernere non potest : nisi quia alia, quamdiu ignorantur, utile est credere : quisquis autem cernere potest, intùs est discipulus veritatis, foris judex loquentis, vel potiùs ipsius locutionis.* Hæc Augustinus. Ergò verbum exteriùs prolatum non facit intùs scire, seu per mentem videre. Ergò homo hominem interiùs docere nihil potest. Sed ne coarguar erroris ut incautus, cape et hanc ultimam Hypothesim.

SECTIO V.

HYPOTHESIS, SEU PRÆLUDIUM XVII.

Etsi concursus hominis, quo exteriùs nititur alterum edocere, et efficere ut discipulus internè doceatur, ac doctus evadat, nequeat (propriè, ac strictè loquendo) vocari verum, proprium, ac rigorosum internum docere ; nec proindè hominem verum internum Magistrum constituat (cùm solus DEUS talis sit) potest nihilominùs, ac debet vocari proprium externum docere, et ipse homo docens, verus et proprius externus Magister.

SUMMARIUM. — 74. Solus DEUS internè, homines verò exteriùs docent. — 75. Prou, expressè tenet et ipse Doctor Angelicus variis in locis. — 76. Et præsertim Q. 11. de Magistro a. 1. ad 7. 8. et 13. — 77. Verba, seu nomina internam actionem significantia non semper in omni rigore accipienda sunt. — 78. Et sub varia consideratione potest aliquod verbum, seu nomen alicui propriè, et impropriè convenire. — 79. Applica ad creatum docere, et creatum Magisterium. — 80. Docere, seu magisterium creatum respectu increati est analogum attributionis. — 81. Magna differentia inter docere externum et internum. — 82. Externum docere, seu magisterium absolutè spectatum est verum ac proprium. — 83. Qualiter homines illuminent, et non illuminent? — 84. Nec aliter D. Augustinus intendit. — 85. Ut mens actu intelligat tria necessariò concurrunt, scilicet 1. ut oculus mentis sanus sit. 2. ut aspiciat. 3. ut videat. — 86. Verba Magistri creati exteriùs docentis tantùm inserviunt ad secundum, id est ad juvandum vel excitandum, ut discipulus aspiciat.

Hanc ultimam Hypothesim, seu Præludium volo præcurrere,

ne quis putet me per hanc Solis Intelligentiæ doctrinam aut Scripturæ, aut Ecclesiæ, vel Sanctorum Patrum, ac Doctorum communi loquendi modo contrarium esse : Cùm omnium sensus videatur esse, quod et homines (à potiori et Angeli) verè, propriè, ac rigorosè munus docendi, ac verum Magisterium subeant. Sed huic communi sensui nullo modo contrarius sum, at idem dico, sed sub hâc distinctione, quam nec D. Thomas, nec alii (ut ego puto) reticent, aut rejiciunt : videlicet, quòd solus DEUS internè, alii externè doceant.

75. Angelicus Doctor variis in locis suorum Librorum hoc ipsum dubium movet (an scilicet homo hominem, aut Angelus Angelum, vel ipsum hominem docere, ac illuminare possit, vel an soli DEO munus docendi ac mentes illuminandi conveniat) sic quærit 1. p. q. 117. a. 1. Item. q. 106. per totam, Et Q. 11. de Magistro a. 1. et sæpiùs. Sed quid respondet ad hoc quæsitum ? *Docere dicitur dupliciter* [sic ex omnibus locis Doctoris Angelici, exprimit ejus mentem Petrus de Bergamo in Tabulâ aureâ, V. Docere] *scilicet principaliter infundendo lumen* [hoc est interiùs operando] *et instrumentaliter dirigendo. Secundum convenit Angelis, illuminando alios de revelatis : et homini, exteriùs adminiculando* (notetur distinctio, *exteriùs*, etc.) *proponendo exempla, vel applicando principia conclusioni.* Hæc ille de mente D. Thomæ.

76. Sed non sufficit mihi alienum testimonium de mente Doctoris Angelici : audiamus ipsummet loquentem præfatâ Quæstione de Magistro a. 1. ad 7. 8. et 13. Sic ergò ibidem rationem Glossæ, super illa verba : *Fides ex auditu,* etc. adducit : *DEUS intùs docet, præco exteriùs annuntiat : Scientia autem interiùs in mente causatur, non autem exteriùs in sensu. Ergò homo à solo DEO docetur, non ab alio homine,* Ita Glossa. Sed quid respondet? *Ad septimum dicendum* [sunt verba formalia sancti Viri] *quòd sicut Medicus quamvis exteriùs operetur, naturâ solâ interiùs operante, dicitur facere sanitatem : ita et homo dicitur docere veritatem, quamvis exteriùs annuntiet, DEO interiùs docente.* Sic expressè D. Thomas, totum ad meum scopum convenienter. Sed adhuc clariùs respondet ad 8. ex D. Augustino objectum. *Ad octavum dicendum, quòd Augustinus, in Libro de Magistro, per hoc, quòd probat, solum DEUM docere, non intendit excludere, quin homo exteriùs doceat, sed quia solus DEUS docet interiùs.* Hæc ille. Vides ergò D. Thomam mecum convenire Adde sæpiùs citata verba, quæ ibidem ad 13. objectionem respondet, quibus hoc idem repetit ; *Certitudo scibilium,* inquit, *est ex lumine rationis, divinitùs interiùs indito, quo in nobis loquitur DEUS : non autem ab homine exteriùs docente,*

nisi quatenùs conclusiones in principia resolvit. Ex quo tamen nos certitudinem scientiæ non acciperemus, nisi inesset nobis certitudo principiorum. Hæc D. Thomas. Quæ verba Doctoris Angelici postquam citavit Dominicus Gravina Tomo 4. Controv. 5. de Magistro Ecclesiæ. a. 1. sic concludit: *Quòd doctrina fidei interiùs DEUM agnoscat Magistrum.* Et quamvìs *testimonium Ecclesiæ, non tantùm inserviat ad persuadendum, ut mentiuntur adversarii, sed suadet et probat: nullo tamen modo convincit per intrinsecam intellectûs immutationem, sed ex auctoritate tantùm ad credendum obligans,* Hæc Gravina. Qui tamen Articulo 3. concludit: *Vocem Ecclesiæ docentis ac determinantis divinam esse, non solùm ex parte eorum, quæ prædicat; sed ex parte etiam dicentis.* Quia loquitur nobis Spiritu S. linguam ejus movente. Ergò ad mentem Doctoris Angelici solus DEUS internè, homo foris docet.

77. Hoc ut meliùs capiatur, præmitto, nec apud Scripturam, nec apud Patres, aut Doctores, verba, ac nomina actionem internam significantia; aut importantia semper ita rigorosè accipienda, ut omni, cui propriè, et non metaphoricè unum tale nomen ac verbum attribuitur, etiam illa interna actio propriè et strictè, veluti auctori physico, attribuenda sit. Patet hoc ex innumeris Scripturæ locis: v. gr. Exodi 4. 7. 8. 9. 10. 13. 14. DEUS dicitur indurare cor Pharaonis: non quasi physicè, velut auctor interiùs aliquid faceret, sed quia subtractâ gratiâ desinit cor interiùs permovere: quo sensu lumen Solis, aut calor indurant ceram, si à cera removeantur. Genesis 12. v. 5. dicitur de Abraham et Loth. *Animas, quas fecerunt,* etc. Cùm tamen animæ à solo DEO per creationem physicè producantur. Joannis 8 v. 44. Dicuntur Judæi ex patre diabolo esse, cùm tamen illos physicè non generaverit. Aiunt quoque Doctores, etsi diabolus incubus generaret (si possibile esset) non tamen ideò dicendum, aut illum verè physicè generare, aut Patrem futurum: cùm solum applicaret activa passivis. Ratio horum est, quia varia possunt esse capita alicui actionem quamdam, suo modo etiam propriè attribuendi: 1. Quia verè, ac physicè illam effecerit (et hoc vel ut principium conjunctum, vel ut externum motivum.) 2. Quia applicaverit naturalia agentia activa passivis (ut is, qui stupam igni appositam comburit.) 3. Vel quia non impediverit in contrarium agendo (sic DEUS homines indurat.) 4. Vel quia solùm moraliter concurrerit jubendo, consentiendo, consiliando, adulando, laudando, rogando, monendo, hortando, etc. (sic Judæi occiderunt Christum, cùm Gentiles physicè occiderint.)

78. Ex his collige primò juxta varias considerationes posse aliquod nomen, seu verbum alteri propriè et simul impropriè convenire:

v. g. mandans homicidium moraliter loquendo propriè occidit, imò est principalis homicida : sed mandatarius est minus principalis. Physicè verò loquendo mandatarius propriè occidit, quia ense trajicit, mandans verò non propriè : cùm ipse physicè hominem non attingat. Sic etiam ut suprà diximus Hypothesi 5. quærit D. Thomas cit. 1. p. q. 67. a. 1. an lux et lumen etiam in rebus spiritualibus propriè dicantur; vel solum in corporalibus? Respondet sub distinctione, scilicet vel haberi rationem illorum, qui primitùs nomina rebus imposuerunt : et hoc sensu, cùm illi potissimùm ad exteriora respexerint, lux et lumen corporeum erit verum (imò verius, ac magìs proprium.) Si verò habeatur ratio usûs nominum, quo fit ut etiam ad spiritualia hæc duo nomina sæpiùs referantur, sic lux, ac lumen spirituale verius erit quàm corporale.

79. A simili, si quæsiveris an creatum docere, an humanum, seu creatum Magisterium sint propriè vel impropriè talia? Respondeo sub distinctione, vel enim per docere, et creatum Magisterium intelliguntur illæ actiones exteriores, ad quas inventores nominum potissimùm respexerunt, qui per illa verba non tam actualem doctrinæ infusionem, seu mentis activam illuminationem intelligi voluerunt, quam ipsum exteriorem conatum : sivè deindè in discipulo producatur doctrina, sive non, quo sensu dicere solemus : Divum Augustinum per aliquot annos verè et propriè Rhetoricam docuisse, etiamsi nullus discipulus indè factus fuisset Rhetor. Hoc sensu dicere debemus, quod Magisterium, et docere creatum, sit verum ac proprium Magisterium, verum ac proprium docere; et hoc sensu non solus DEUS, sed etiam Angelus, et homo verè ac propriè doceant. Si autem per dicta verba intelligitur ipsa actualis immediata mentis illustratio, ipsa actualis doctrinæ effectio, seu productio, quæ cum non ab homine docente, sed ab aliquo æterno principio movente, et intellectu discipuli effectivè producente proveniat, ut sic homo vel Angelus propriè non docent, cùm nec homo nec Angelus sint aut æternum principium, aut intellectus discipuli, id est, quia respectu doctrinæ in discipulo productæ, nec se habent ut principium æternum, nec ut principium conjunctum. Proindè hoc sensu juxta superiùs dicta; solus DEUS verè ac propriè docet, solus ipse est verus ac proprius Magister, homo verò, aut Angelus solùm impropriè seu analogicè : analogià videlicet attributionis, quia docere creatum subordinatur et subservit doctrinæ ipsius DEI, tanquam minùs principale analogatum ipsi principali.

80. Et sic ipsum docere creatum, sive externum, respectu Divini,

seu interni, potest dici analogum attributionis : licet enim utrumque suo modo dicat ordinem ad producendam internam doctrinam ; et utrumque possit vocari docere, non tamen sub eadem ratione. DEUS enim dicitur internè docere, quia tanquam æternum motivum suâ æternâ luce verè illuminat mentem discipuli. Homo verò, seu alia creatura, solùm exteriùs docere dicitur, quatenùs per sua exteriora signa, seu verba monitoria mentem ipsius discipuli ad ipsam internam et æternam lucem manuducit, à quâ vera illuminatio procedit. Quo sensu et animal, et medicina, et pulsus, sana dicuntur, sed non ob eamdem rationem : propriè enim solum animal sanum est, quia est subjectum sanitatis : medicina verò dicitur sana, quia impedimenta sanitatis expellit, pulsus verò, quia signum est sanitatis. Sic etiam verbum sanare attribuitur et Medico et medicinæ, sed non eodem sensu : Medicus dicitur sanitatem inducere solùm moraliter, quatenùs media inducentia sanitatem prescribit, et hortatur patientem, ut ea sumat. Medicina verò per se et immediatè sanitatem inducit. Sic comparat D. Thomas [1. p. q. 107. a. 1.] docere internum DEI ad externum docere hominis.

81. Collige 2. Magnam differentiam reperiri inter docere externum, et internum : illud enim cùm sit aliquid realiter distinctum ab interno doceri, seu à productione internæ doctrinæ (est enim ipse docentis exterior conatus) potest ab eâ realiter separari : ut suprà dixi, posse stare, quòd D. Augustinus verè ac propriè per plures annos Rhetoricam externè docuerit, absque eo, quod ullus internè Rhetor factus sit. Sed hoc, id est, internum docere non potest separari ab interno doceri, sive à productione internæ doctrinæ, quia internum docere, et internum doceri mutuò se respiciunt sicut actio et passio, sicut relativum et correlativum, quæ implicat ab invicem separari. Implicat enim dari actionem absque passione, dari relativum absque correlativo ; Implicat aliquid facere et nihil fieri ; implicat dari simile absque simili, præsertim cùm sermo est de rebus creatis.

82. Porrò quamvìs creatum externum magisterium, et externum docere, per se, absque comparatione ad Divinum Magisterium, et divinum internum docere, accepta, possint appellari verum ac proprium Magisterium, ac verum docere (quia verè homo ex intentione alterum edocendi exteriora verba instructionis profert, et manuducit ad causam doctrinæ productivam : sive, ut dicit S. Thomas, *principia conclusioni applicat*) tamen ad illud comparata, solùm impropria, et analogica dici debent.

83. Quod verò, ut superiùs dixi, hæc verborum varia sumptio etiam

in Scripturâ admitti debeat, evincunt tot veteris et novi Testamenti apparentes antilogiæ, quæ non nisi in diverso sensu conciliari possunt. E pluribus unicam sumo, v. g. Joannis 1. negat Scriptura Joannem Baptistam esse lucem, nec illuminare, sed testimonium perhibere de verâ luce, quæ illuminat omnem hominem. Et tamen alibi [Joan. 5. v. 35.] dicitur : *Ille erat lucerna ardens, et lucens.* Et Ecclesia in ejus festo, ℟. 2. attribuit illi officium illuminandi mentes hominum. *Et illuminavit mentes hominum.* Et alibi ad Apostolos dicitur : *Vos estis lux mundi.* Quid per hoc insinuatur? quòd Divus Joannes, aut Apostoli vim habuerint per se, aut per sua verba internè mentes illuminandi, ac ignorantiæ tenebras ab illis expellendi? Hoc non crediderim, aut Evangelium aut Ecclesiam intendere, sed potiùs mihi persuasum est, quòd Scriptura cum Ecclesia velit, ipsum Joannem veluti fidelem Prophetam Domini, exteriùs admonendo, hortando, rigando, testimonium de verâ luce perhibendo ; digitis ac verbis Christum demonstrando, hominum mentes ad verum illuminatorem manuduxisse ; quem se esse Joannes C. 1. v. 20. apertè negat : *Num sum ego Christus,* sed *vox clamantis in deserto, dirigite viam Domini.* Ergò Joannes non erat lux lucens ad internam mentem, interioremque intellectum, sed vox tantùm clamans ad exteriorem auditum : quo solo exteriùs clamante, nisi et DEUS interiùs luceret, inanis foret strepitus, ac nihil efficeret, et esset vana vox et inanis littera occidens, et non spiritus vivificans. Solus ergò DEUS, solum ejus lumen incircumscriptum habet immediatam vim ipsam creatam mentem interiùs illuminandi, movendi, ac pertrahendi : Joannes verò, et cæteri homines solùm exteriùs (tamen non impropriè, sed verè ac propriè) docent.

84. Nec alia mens fuit illuminatissimi Doctoris Augustini, (ut ipsum quoque sic intellexit S. Thomas variis in locis præsertim q. 11. de Magistro a. 1. ad 8). Nam licet ubique internum veritatis Magisterium soli Christo, seu Verbo DEI proprium esse pronuntiet, nihilominùs et externum, seu humanum Magisterium ubique dari supponit, quo humana industria exteriùs riget, dum mentis internum incrementum dat solus DEUS. Et licet ipse Augustinus hâc exteriori hominum industriâ parùm, aut ferè nihil indiguerit, ob nobilissimum ingenii donum : nullo tamen modo in exemplum convenit esse trahendum : ne dum plùs sapere volumus, quàm oportet, in foveam majorum incidamus tenebrarum : aut dum in mundi sientiâ proficimus, in DEI sapientia stulti inveniamur. *Et quid mihi proderat,* inquit Augustinus Lib. 4. Conf. c. 16. *quod omnes libros artium, quas*

liberales vocant per meipsum legi et intellexi. Imò : *nullo hominum tradente intellexi* : imò, *nullo adminiculo humani magisterii tot nodosissimi Libri enodati ; cùm deformiter, et sacrilegâ turpitudine in doctrinâ pietatis errarem ?* Undè quæso Augustino tam ingens in doctrinâ pietatis error? Manichæorum nimirùm tunc tenebris obvolvebatur, quas postea devicit, cum per Ecclesiæ externum Magisterium, ad Magisterium interni luminis ductus fuit, cùm priùs dorsum huic lumini obversaret, nesciens undè scientiarum veritas et certitudo proveniret. Sic enim ait eodem Cap. *Nesciebam unde esset quidquid ibi* [in illis scientiis, quas per se solum intellexerat] *verum et certum esset. Dorsum enim habebam ad lumen, et ad ea, quæ illuminantur, faciem, unde ipsa acies mea, quâ illuminata cernebam, non illuminabatur* : id est dum proficiebam in mundanis litteris cæcus manebam quoad utilem doctrinam pietatis. Hæc Augustinus.

PRO CORONIDE.

85. Ut rem totam, et omnes has præmissas Hypotheses, unâ cum futurâ jamjam subjungendâ universali conclusione faciliùs mente penetrare valeas, optarem, ut illum rationabilissimum discursum præfati illuminatissimi S. P. Augustini tibi ante oculos benè præfixum teneres, de quo sæpiùs in hoc Opusculo mentio fit, et quem habet variis in locis suorum cœlestium Tractatuum : sed accuratiùs Lib. 1. Soliloq. C. 6. ubì ad oculum demonstrat tria necessariò intervenire, ad hoc ut in mente creatâ actualis intellectio, seu visio mentalis efficiatur [deductâ videlicet analogiâ ab oculo carnis, et ejus visione, ad oculum mentis, et ejus intellectionem]. Igitur, juxta præfatum S. Patrem, hæc ad visionem intellectualem summè necessaria sunt : 1. Ut oculus mentis sit sanus, et ad intellectualem visionem eliciendam sufficienter dispositus. 2. Ut idem intellectivus oculus in objectum intelligibile aspiciat, ac intendat, et vim suam eò diligenter impendat. 3. Ut ad hæc duo præcedentia ipsa actualis mentis visio subsequatur. Et pro hoc tertiò obtinendo, ait, duo priora non sufficere, sed insuper necessarium esse aliquid aliud exteriùs adveniens, scilicet lucem illam, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

86. His ex S. Augustino hîc suppositis, sed alibi probatis, quæro, et interrogo, quid et quantum verba sensibilia Magistri creati ad hæc tria obtinenda efficiant ? An ipsa sanent oculum mentis ? Hoc certè non, quia juxta S. Augustinum oculis mentis potiùs sanatur, fide, spe et charitate, aliisque habitibus naturalibus, et supernaturalibus. An

ergò verba Magistri visionem intellectualem producunt? nec istud efficere possunt, quia visio non à verbis, sed à lumine causatur. Totus ergò effectus verborum magistralium inservit, ac dirigitur ad juvandum mentis aspectum; sive ut hominem, seu discipulum moneat, ut oculum mentis suæ ad ipsum objectum, et lumen effectivum intellectualis visionis elevet, quod lumen menti actualiter irradians visionem, seu intellectionem, et actualem scientiam producit, et causat: Ergò non verba Magistri, quæ solùm monitoria, non verò scientiæ productiva sunt, causabunt intellectualem visionem. Nec tamen inania erunt, aut frustranea; sed eò ipso, quod monitoria sint, et nos rerum oblitos, earumdemque ignaros commonefaciant, non poterunt, non plurimùm prodesse. Plurimi plurima didicissent, ad quæ addiscenda potentiam habuissent: sed non didicerunt, quia defuit monitor, qui digito lucem illuminantem demonstrâsset.

SECTIO VI.

Ex præmissis Hypothesibus elicitur universalis Conclusio, et totius præsentis Controversiæ integrum Argumentum, seu Assertio.

SUMMARIUM. — 87. Universalis conclusio totius argumenti. — 88. Cur solus Christus Magister dicatur? — 89. Cur Christus crucifixus Magister dicatur? — 90. Quid intelligatur nomine intellectualis, seu interni Magisterii? — 91. Quis physicè doceat sensibilia? — 92. Quid D. Augustinus de hoc senserit?

87. DEUS ergò Ter Optimus Maximus, quem adoramus Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum [appropriatè Verbum, seu Christus crucifixus] et quidem solus, et unicus, est verus Sol, et Spiritus intelligentiæ: illa interna Lux vera mentium, quæ immediatè omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat.

DEUS ergò solus est illud lucidum principium, illa prima sedes, prima veritas, impræjudicabilis lex, infallibilis regula, et mensura: æternum, incircumscriptum, ac immutabile illud lumen, quod menti scientificè (id est certò, ac evidenter) aliquid cognoscenti, definienti, judicanti, aut concludenti; vel quomodolibet rationabiliter operanti, jungi, ac lucere debet.

DEUS ergò est illud ipsum radicale, ac primigenium lumen, quod dicitur *lumen vultûs Domini, signatum super nos*: quodve inextinguibiliter, ac indeficienter; æternaliter, ac immutabiliter super horizontem mentium nostrarum radiat: ex se tum semper, tum ubique

lucens, et occasum nesciens; et omnibus ratione utentibus manifestum.

DEUS ergò est lux illa vera, increata, *in quâ tenebræ non sunt nullæ* : cujus radii sunt omnes veritates, æquè naturales ac supernaturales : quæ nimirùm æternaliter, et ubique suprà tempus, et suprà locum; sive independenter ab omni tempore, et ab omni loco, resplendent; et ab ipso solo æterno, et infinito DEO, tanquam ab ente entium, ente perfectissimo, actu puro, prima veritate, promanant, et æternaliter exeunt : ex se quidem semper, et ubique intelligibiles : licet per accidens non semper, nec ubique, nec ab omnibus intelligantur.

DEUS ergò solus est verus Pater luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Quia videlicet absque noctium, ac dierum ; lucis, ac tenebrarum vicissitudine, seu alternatione lucet (in quo differt Sol increatus à sole creato) et proindè quantum est ex se inextinguibiliter, et immutabiliter, semper et ubique radiat : et mentem actu illuminaret, nisi eamdem reperiret clausam, ita ut ejus radii eò penetrare non possint : vel ut ait S. Dionysius Areopag. Cap. 4. de Div. Nom. *Quia apta non est ad capiendum lumen, nec ad illud capiendum explicatur.*

DEUS ergò est Sol, tum intelligentiæ, tum justitiæ; à quo non solùm veritates speculativæ, sed etiam practicæ, ac justæ : naturales, ac supernaturales, procedunt : qui suâ immediatâ luce in nobis causat, et excitat, non solas cognitiones, vel intellectiones, sed etiam quaslibet ratione subnixas affectiones ; æquè naturales, ac supernaturales. Et ut loquitur Augustinus Soliloq. Lib. 1. Cap. 1. *DEUS est, quem amat omne, quod potest amare, sive sciens, sive nesciens.*

DEUS ergò est, qui tribuit *omne datum optimum, et omne donum perfectum;* omnem mentium illuminationem, et cordium rationales affectiones ; omnem motum gratiæ, omnem virtutis actum; peccatorum conversionem, etc. DEUS est, qui dat omnia intelligere, omnia velle, posse, ac operari : existens mentibus creatis, unica et suprema ratio, seu mensura rationaliter operandi, et rationalis vitæ; in cujus supremæ, et æternæ Rationis rationum capacitate essentia creaturæ rationalis consistit : ita ut esse rationalem, formaliter nihil aliud sit, quàm esse capacem æternæ Rationis, quæ DEUS est, in quo, et per quem vivimus vitam rationalem.

DEUS ergò solus, et unicus est verus *Dominus scientiarum; qui* solus verè, ac realiter, et immediatè interiùs *docet hominem scientiam* : solus verus Magister, qui *viam DEI in veritate docet :* Omnes verò

cæteri, qui Magistri, aut Doctores nuncupantur, non verè, aut strictè interiùs docent, sed solùm exteriùs, quâ exteriori doctrinâ mentem discipuli, ad DEI lucem minùs attentam ac dispositam, adjuvant et excitant; et hâc suâ excitatione eumdem discipulum monent, ut internos mentis oculos ad verum internum Doctorem elevet : id est ad lucem mentium, et Solem intelligentiæ, qui DEUS est : et solummodo verbis suis testimonium perhibent huic veræ luci, quæ sola *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

Hæc assertio est id, quod in toto pertractatur Opusculo : quam probare, ac probatam exponere jamjam aggredior ; Primò ex Scripturâ : Secundò ex SS. Patribus : Tertiò ex Doctoribus Theologis : quartò ex Ratione : Quintò ex multiplici corollario inde consequente ; Sextò ex objectionum solutione.

ADMONITIO.

88. Porrò observare debes primò, in Libri titulo, ac decursu, solum ferè Christum nominari : quo tamen nec Pater, nec Spiritus sanctus excluditur ; sed soli Magistri creati. Ut enim apud Theologos compertum est : opera, vel ea, quæ respiciunt creaturas ad extra, sunt communia toti Trinitati. Et particula exclusiva addita uni personæ in prædicatis absolutis excludit sola principia exteriora, non verò duas alias personas. v. g. Deut. 31. v. 59. dicitur : *Videte, quòd ego sim solus, et non sit alius DEUS præter me.* Hîc soli falsi Dii excluduntur, non Filius, aut Spiritus sanctus. Ideò verò specialiter Christum, seu Verbum Magistrum appello, quia hujusmodi attributa (ut esse Magistrum, esse sapientiam, esse lucem, etc.) sunt attributa appropriata Verbo.

89. Posui in Titulo Christum crucifixum, non absque causâ : Nam juxta S. Paulum 1. Cor. 1. à V. 18. Et Cap. 2. Christus crucifixus (seu crucis mysterium) est DEI virtus, et DEI sapientia : et ad intelligenda divina plurimùm confert. Licet enim *Christus crucifixus,* ut Apostolus loquitur, sit *Judæis scandalum, et Gentibus stultitia :* idem tamen est electis, ac prædestinatis, *DEI virtus, et DEI sapientia :* videlicet non formaliter (prout moderni dicunt Heretici, quod formaliter simus justi per formalem Christi justitiam) sed meritoriè. Et hoc insuper sensu, quatenùs Christus, quà DEUS est, suâ immediatâ luce in nobis operatur et sapientiam creatam producit ; excitans, et causans in nobis intelligere, velle, posse, ac perficere. Et non solùm splendore gratiæ, ut Auctor rerum supernaturalium ; sed etiam radio luminis naturalis, ut Auctor naturæ.

90. Observa secundò, me in titulis Capitum solum Christum (sive DEUM) Auctorem intellectualis, seu interni Magistèrii statuisse : quo nomine ipsam veritatis instructionem intelligo. Cùm enim sensus corporei (juxta S. Augustinum Libro 8. de Civitate DEI, Cap. 2. mihi fol. 89.) veritatem formaliter attingere nequéant : sed sola involucra veritatis (id est sensibilia accidentia) sic consequenter sensus veritatem edoceri nequeunt ; at sola, et unica accidentia sensibilia. De his enim solis sensus judicare possunt, ergò et doceri. Intellectûs verò objectum proprium est veritas, quàm proindè is solus edoceri potest. Et hoc munus docendi veritatem (ad distinctionem exterioris doctrinæ sensuum) nomino intellectuale internum Magisterium, cujus Auctorem solum DEUM, sive Christum constituo : ita ut nemo alius veritatem edocere possit, ad hoc ut ea videatur, sed solùm ut ea credatur ; si videlicet per se solum spectetur. Dico, neminem, præter DEUM, veritatem , per se solum, edocere posse, ut ea mente videatur : faciendo, ut aliquis rem intelligat : sed solûm per suam attestationem posse facere, ut aliquis veritatem, quam alteri eloquitur, assentiendo credat. v. g. licèt millies mihi dixeris, hominem esse animal rationale ; et quia rationalis est, esse quoque discursivum, admirativum, et risibilem. Nisi tamen interna objectiva veritas me circa hoc illuminaverit, verbis tuis solùm credam, non addiscam.

91. At si quæras quis sensus corporeos sensibilia physicè doceat, DEUS vel homines ? Respondeo cum D. Augustino Lib. de Magistro. Cap. 11. non hominem, nec Deum [nisi ut causam universalem] sed ipsasmet res sensibiles, seu sensibilia accidentia hoc præstare : quæ in sensus incurrentes eosdem physicè movent, imprimendo in illis species, et iisdem mediantibus eos excitando, ut sensibilem notitiam edant. Veritatis autem notitia potest in intellectu à sola veritate (quæ DEUS est) effici, et causari. Vide quæ suprà dixi Cap. 1. Sect. 3. § 5. Num. 54. 55. 56. 57. 58. 59.

92. Sed audiamus eumdem Virum illuminatissimum, S. Augustinum loquentem citato Cap. 11 : *Is me autem aliquid docet, qui vel oculis, vel ulli corporis sensui ; vel ipsi etiam menti præbet ea, quæ cognoscere volo.* Ex his verbis colligo, hanc esse mentem D. Augustini, quod is, qui nos aliquid docere vult, necessario debeat, aut sensui [externo, vel interno] vel internæ spirituali menti rem discendam exhibere, monstrare, ac manifestare. Prout videlicet illa res, aut sensibilis, ac in sensus incurrens : aut intelligibilis, et à solâ mente perceptibilis fuerit. Sed quis sit ille exhibitor, monstrator, et

manifestator rerum sensibilium, et intelligibilium? Respondet, exteriores colores monstrari oculo per sensibilem exteriorem lucem: alia sensibilia per elementa mundi hujus (quæ in sensus incurrentia illa produnt) intelligibilia verò per solam interiorem veritatem menti demonstrari, et exhiberi. Sed audiamus propria Sancti verba Cap. 12. *Quod si de coloribus lucem, et de cæteris, quæ per corpus sentimus; elementa hujus mundi, eademque corpora, quæ sentimus; sensusque ipsos, quibus tanquam interpretibus ad talia noscenda mens utitur, de his autem, quæ intelliguntur, interiorem veritatem ratione consulimus.* Ergò ad mentem sancti Doctoris res sensibiles docent sensibilia, et interior veritas (quæ DEUS est) docet intelligibilia. Et hoc ultimum nunc probandum aggredior.

CAPUT IV.

SOLIS INTELLIGENTIÆ LUMEN INDEFICIENS, SIVE DEI UT ENTIS SUMMI INTERNUM MAGISTERIUM PROBATUR EX SACRA PAGINA.

SUMMARIUM. — 1. Etiam sacer Textus non obscurè favet Soli intelligentiæ. — 2. Prima classis locorum Scripturæ. — 3. Secunda classis. — 4. Tertia classis. — 5. Quarta classis. — 6. Quinta classis. — 7. Sexta classis.

1. Quod sacer, ac divinus Textus, antiqui pariter ac novi Testamenti, indeficienti radio Solis Intelligentiæ pluribus in locis deserviat: et ut ego puto non adeò obscurè, sed liquidò; non à longè petitus, sed proximus: nec violenter intrusus, sed ultroneus, sed spontaneus: ex jamjam discendis patebit, cùm ex eâdem Scripturâ visum fuerit, DEUM ter optimum maximum menti creatæ ex ratione operanti velut Solem oculo conjunctum esse: illumque unicum eam intùs illuminare, et ejus naturale desiderium et capacitatem sufficienter explere, satiare, ac adimplere posse: et proinde solum DEUM esse veraciter bonum, imò illum ipsum esse ipsam veritatem ac bonitatem, quæ sufficiat ad movendam ipsam mentem, ut operetur: cætera omnia extra DEUM ad hoc minùs sufficientia reperiri, cùm et ipse homo non veritas, aut bonitas, sed *mendax*, et sicut cætera entia defectibilia, *universa vanitas* dicatur. Et hinc unum [et uni-

cum] esse omnium internum Magistrum, id est Christum : qui nimirùm interiùs veritatem edocere possit, non solùm ad credendum, sive ut fides illi adhibeatur; sed insuper ad intelligendum, sive ut per mentis intuitum videatur. Et idcircò DEUM solum esse mentis verum lumen, quo immediatè intùs illuminemur, doceamur, instruamur, moveamur : solum DEUM mentem absque medio alloqui, nec illam absque hoc immediato alloquutore quidquam intùs audire posse.

2. Ut autem compendiosiùs procedam, noveris, me non omnia in medium prolaturum, quæ hûc quadrarent; sed contentum me futurum cum locis, quæ mihi luculentiora visa sunt : fortè Aliùs in Scripturis me expertior his inventis plura et meliora adjiciet. Secundò, ut vis argumentationis gratior evadat memoriæ legentis, eosdem Scripturæ Textus in certas classes dispartiam. In quarum primâ illæ sententiæ exhibebuntur, quæ, conformiter Titulo præsentis opusculi DEUM sive Christum, expressè Solem intelligentiæ, vel justitiæ nominant. Ex quarum occasione proinde ansam arripui, ut Librum hunc nomine Solis intelligentiæ decorarem. Et quidem electione non immaturâ, aut casuali, vel fortuitâ, sed serio perpensâ. Nec absque devotâ prece ad DEUM, et B. V. ejus purissimam Matrem, fusâ, in cujus Præsentationis Festo sicut Operi principium datum, ita quoque nomen hoc impositum fuit.

3. In secunda Classe illa loca adducentur, quæ soli DEO vim mentis creatæ tùm motricem, tùm sufficienter expletivam attribuunt.

4. In tertia Classe illa testimonia proferentur, quibus insinuatur, quòd DEUS hominem erudiat, doceat, instruat : eumdem internè alloquatur : eidem res declaret : intellectum, intelligentiam, scientiam, sapientiam, et viam disciplinæ elargiatur, veluti horum omnium fons. Quæ loca etsi per se sola non convincant. Cùm intelligi possint de solo concursu DEI per modum causæ universalis, aut particularis quidem, sed vel solùm respectu rerum aut actuum supernaturalium : aut etiam quoad operationes naturales, sed mediantibus creaturis à DEO causatas. Interìm si loca hæc universaliter prolata cum aliis jungantur, et adducendis SS. Patrum testimoniis, et variis argumentorum rationibus, non parùm efficacia erunt, ut spero.

5. In quarta Classe ponentur ea, quæ soli DEO Magisterium et munus docendi sic attribuunt, ut pariter cæteris omnibus aut expressè, aut tacitè illud abjudicent.

6. In quinta Classe illa loca Scripturæ afferentur, quæ DEUM veri-

tatem et bonitatem esse aiunt. Cùm enim sola veritas et sola bonitas possit immediatè intellectum et voluntatem ad assensum movere, si DEUS est ipsa veritas et bonitas etiam ipse solus poterit immediatè utramque potentiam movere, et assensum ab illis extorquere : consequenter illas solus intùs dirigere ac docere.

7. In sexta Classe erunt illæ sententiæ, quæ DEUM lumen, et lucem appellant, et ipsi soli virtutem illuminandi mentem attribuunt. Cùm enim docere sit illuminare : si solus DEUS potest intùs illuminare, etiam solus DEUS poterit intùs docere. Quomodo autem hæc illuminatio intelligenda sit, et an includat illuminationem gratiæ, vel ad eam solam arctetur, ultimò explicabitur.

SECTIO I.

*LOCA SCRIPTURÆ, QUÆ CHRISTUM AUT SOLEM ; AUT INTELLIGENTIÆ, ET JUSTITIÆ SOLEM EXPRESSÈ NOMINANT

.....

SECTIO II.

*LOCA SCRIPTURÆ, QUÆ SOLI DEO VIM MENTIS CREATÆ TUM INTERIUS MOTRICEM, TUM SUFFICIENTER EXPLETIVAM ATTRIBUUNT.

.....

SECTIO III.

*LOCA SCRIPTURÆ, QUIBUS INSINUATUR, QUOD DEUS HOMINEM DOCEAT, ERUDIAT, INSTRUAT : EUMDEM ALLOQUATUR ; EIDEM RES DECLARET ; INTELLECTUM, INTELLIGENTIAM, SCIENTIAM, SAPIENTIAM ET VIAM DISCIPLINÆ ELARGIATUR VELUTI HORUM OMNIUM FONS.

.....

SECTIO IV.

*LOCA SCRIPTURÆ, QUÆ SIC SOLI DEO INTERNUM MENTIS ATTRIBUUNT MAGISTERIUM, SEU MUNUS INTERIUS MENTEM EDOCENDI, UT SIMUL ID CÆTERIS OMNIBUS EXPRESSE, AUT TACITE, EXPLICITE AUT IMPLICITE ABJUDICENT.

.....

hentis. Imò si eò collimaret cujusquam mens nullo modo subscribere valerem : cùm expressè contrarium, et quidem non semel, at sæpissimè in D. Augustino reperiam. Ac idcircò non æstimo ullum ex Catholicis Auctoribus aliter intelligendum esse, quàm per mentis abstractionem dictum objectivum lumen non effici, sed tantùm liberari ab illis impedimentis, quæ eidem circumstabant, et obsistebant, ne mentem illuminare posset. Interim ultrò concedo, quòd contrariam sententiam, plerique ex antiquis Gentilium Philosophis sustinuerint, ex quorum officinâ omnes Athei, tùm antiqui, tùm moderni; id est, Machiavellus, et quodquod ejusdem vestigiis insistunt Pseudo-Politici, sua dogmata deprompserunt. Qui in reprobum dati sensum, DEUM ignorantes, nescientesque, ac non gustantes, quàm suavis sit Dominus; hâc eâdem mentis sterilitate seducti, ea omnia in dubium revocabant, quæ intellectum hominis in existentiam unius Divini Numinis palpabiliter manuducunt : quorum et unum singularissimum est, evidentissimum illud immutabile lumen, per quod mentaliter experimur nos omnia intelligere.

73. Sed quis Catholicorum tali doctrinæ subscripserit? Et quis proindè lumen, ac lucem mentis, ens rationis, ac purè fictum pronuntiaverit? Quid fructuosiùs, quid utiliùs, quid jucundiùs luce mentis? Ergò rem tantam ens rationis appellavero, quam Aquila Joannes DEI æternum Verbum esse dicit, quod *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum?*

74. Dices : At si quis diligentiùs Philosophos, etiam modernos, percurrerit, vix aliter explicandos credet. Respondeo, me nullo modo, hoc in animum meum inducere posse, ut aut hoc credam de illis, aut ut illud ipse teneam : et potiùs dicam, me rem non intelligere, quàm objectivum mentis lumen ens purè fictum appellare. Undè nec Alios idem dicere æstimo. Sed potiùs credo, omnes illos, qui in speciem contradicere videntur, non plùs intendere, quàm in favorem Aristotelis ideas Platonis [in eo videlicet absurdo sensu, quo communiter explicari solet, quasi dixisset, tùm extra DEUM, tùm extra singularia, dari reales, ac universales rerum Ideas] confutare. Quòd si tamen plùs vellent, et objectivam mentis lucem figmentum esse dicerent, certè haud uni Platoni, sed ipsi veritati, Magno Augustino, D. Thomæ (vide Cap. 1. Num. 56.) D. Bonaventuræ (Num. 50. Cap. 1. Et infrà Cap. 6.) et ut credo ipsi Scripturæ Divinæ contradicerent; ex quâ non obscurè deduci videtur, quòd Sol intelligentiæ, seu Lux mentium, vel lumen ad sciendum ordinatum, sit ipsissimus quem invocamus PATREM et FILIUM, et SPIRITUM SANCTUM, ut ex sequentibus patebit, præmisso hoc argumento.

75. Omnis interior doctrina, et omnis scientia fit mediante lumine, et luce [ex dictis] ergò solus ille interiùs docet, qui potest illuminare, et lucere, ac lumen discenti conferre [nam lumen est proles lucis, inquiunt omnes Philosophi] sed solus DEUS, vel Christus potest lucere (cùm is solus juxta Scripturam sit Lux intelligibilis, Lux gentium, Lux hominum) ergò solus DEUS, vel Christus potest docere. Major supponitur vera, quia docere est mentis tenebra expellere per communicationem luminis.

PROBATUR MINOR EX V. T.

76. Primò, DEUM, esse lumen mentis creatæ multifariam colligimus ex Job, et Psalterio. Job. 25. v. 3. *Super quem non surget lumen illius?* Et Cap. 29, v. 3. *Ad lumen ejus ambulabam in tenebris.* Et Cap. 37. v. 3. *Et lumen illius super terminos terræ.* Clariùs habet David Psal. 4. v. 7. *Signatum est super nos lumen vultûs tui Domine.* Et Psal. 17. v. 29. *Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine* [id est mentem.] Et Psal. 23. v. 6. *Accedite ad eum et illuminamini.* Et Psal. 35. v. 10. *Et in lumine tuo videbimus lumen.* Et Psal. 88. v. 17. *Domine in lumine vultûs tui ambulabunt.* Et Psal. 89. v. 8. *Posuisti sæculum in illuminatione vultûs tui.* Et Psal. 96. v. 11. *Lux orta est justo, et rectis corde lætitia.* Et Psal. 103. v. 2. *Amictus* [DEUS] *lumine sicut vestimento.* Et Psal. 111. v. 4. *Exortum est in tenebris lumen rectis corde.* Hæc Job et David de lumine Divino breviter, ac per sententiam.

77. Fusiori stylo hæc ipsa DEI lux, et mentis creatæ objectivum lumen describitur et declaratur à Salomone Sap. 6. à v. 24. Et Sap. 7. per integrum Caput : prout et superiùs Sect. 3. ex parte citatum fuit. Primò enim nos excitat ad amorem hujus æternæ lucis : *Diligite lumen sapientiæ omnes, qui præestis populis.* Sed posset quis Salomoni quæstionem movere, quid tandem hoc lumen, vel sapientia sit, quam sic diligendam dicit. Mox ultrò quæsitum solvit his verbis : *Quid est autem Sapientia, et quemadmodum facta sit referam, et non abscondam à vobis Sacramenta DEI, sed ab initio nativitatis investigabo, et ponam in lucem Scientiam, et non præteribo veritatem* Mox Capite sequenti, per totum, explicat, et enarrat originem, naturam, aliaque magnalia hujus luminis, et sapientiæ ; Et uno compendii verbo ait (ut etiam habetur Job 28. v. 15. et Prov. 8. v. 11.) esse principium, et matrem omnium bonorum ; et rebus qualitercumque pretiosis longè præferendam ; sic enim loquitur : *Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illâ, — et ignorabam, quoniam horum omnium mater est.* Imò esse quid infinitum. *Infinitus enim thesaurus est hominibus.* Et post alia plurima hujus sapientiæ, et Divinæ lucis attributa, ait : *Candor est enim lucis*

æternæ, et speculum sine macula DEI Majestatis, et imago bonitatis illius ; et cùm sit una omnia potest, et in se permanens omnia innovat, et per nationes in animas sanctas *se transfert, amicos DEI, et Prophetas constituit*. Addit, hoc lumen esse *inextinguibile ;* imò, quòd hæc lux sit, *speciosior Sole, et super omnem dispositionem stellarum* ; *Luci* (id est sensibili) *comparata inveniatur prior. Illi enim succedit nox, Sapientiam autem non vincit malitia :* Hæc Salomon de luce Sapientiæ, quæ certè non creaturæ, sed DEO, id est sapientiæ increatæ, sive DEI Verbo, convenire clarum est, prout communiter intelligunt SS. PP. et DD. Et sic explicare videtur S. Paulus Hebræorum 1. v. 3. inquiens de Christo : *Qui, cùm sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ.*

78. Sed nec Evangelicus Propheta, Isaias scilicet, reticuit DEI lucem, cujus in carne adventum his verbis prænuntiat, Cap. 9. v. 2. *Populus, qui sedebat in tenebris vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis.* Et Cap. 42. v. 6. *Dedi te in fœdus populi, in lucem Gentium.* Et Cap. 49. v. 6. *Ecce dedi te in lucem Gentium.* Et Cap. 60. v. 1. *Surge illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum.* Quod verò Isaias per hanc lucem et lumen Christum intellexerit, patet ex S. Matthæo Cap. 4. v. 16.

79. Nec contentus fuit Isaias, Christum lucem ac lumen appellando, sed nec à nomine Solis abstinuit : sic enim citato Cap. 60. v. 19. loquitur : *Non erit tibi ampliùs Sol ad lucendum per diem, nec splendor Lunæ illuminabit te, sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et DEUS tuus in gloriam tuam. Non occidet ultra Sol tuus, et Luna tua non minuetur, quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam.* Hîc apertè Christus Dominus vocatur Sol non ampliùs homini occiduus, aut abscondendus, [nam ex se et respectu sui nunquam occidit] et lux sempiterna [quæ videlicet suprà locum et suprà tempus ex se lucet.]

80. Hunc Isaiæ locum citat D. Joannes in Apocalypsi Cap. 21 et 22. Et eò præludere videtur Salomon, Sap. 5. v. 6. dùm sub nomine impiorum hanc miseram cecinit cantilenam : *Nos insensati — erravimus à via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis, et Sol intelligentiæ non est ortus nobis.* Vide suprà Sect. 1. Num. 13. Lumen ac Sol Divinus ex se lucet ac oritur omnibus, quia *DEUS omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.* 1. Tim. 2. v. 4. Sed iis nec lucere, nec oriri dicitur, qui proprià malitià excæcati oculos mentis renuunt aperire, nec radios Solis Divini intromittere volunt, aut potiùs illos gratiæ resistendo excludunt. Undè quamvìs Christus sit *Lux illuminans omnem hominem venientem in hunc*

mundum, dilexerunt tamen mali *homines magìs tenebras, quàm lucem : erant enim eorum mala opera. Omnis enim, qui malè agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus : qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in DEO sunt facta.* Hæc Joannes Cap. 1. v. 9. Et Cap. 3. à v. 19. Ex quibus claram accipis causam, cur dentur homines lucifugæ in mundo, non obstante tam obviâ et tam communi luce, ac Sole mundi. Veritas odium parit, non omnibus, sed Solem non amantibus, nec facientibus veritatem.

81. Concludamus testimonia veteris Testamenti, quæ DEUM lucem ac lumen appellant, cum Michæa Propheta Cap. 7. v. 8. *Dominus* (ergò) *Lux mea est :* et omnium nostrum Sol, nobis nunc radians, ac lucens per ænigma, seu abstractivè, tunc autem facie ad faciem, sivè intuitivè.

PROBATUR IDIPSUM ETIAM EX NOVO TESTAMENTO.

82. Primò, Luc. 1. v. 79. Ponitur ortus hujus lucis, quod nimirùm ex alto sit : *Visitavit nos oriens ex alto. Illuminare his, qui in tenebris, et in umbrâ mortis sedent.* Et Cap 2. v. 32. dicitur esse *lumen ad revelationem Gentium :* id est Christum.

83. Secundò, clariùs habetur apud S. Joannem. Joan. v. 9. Ubi apertè de Verbo dicitur : *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Audiamus desuper Seraphicum Doctorem in Cap. 1. Joannis : *Sed quæritur, qualiter ait hoc, quia omnis lux est lux vera in suo genere, eò quòd immixta tenebris : Quæ societas luci ad tenebras ? quasi diceret nulla. Ergò superfluè ait : Lux vera. Ad quod respondendum, quod secundùm Augustinum lux vera dicitur hìc lux mentium, quæ est suprà mentes, et excedit omnes mentes : et hæc est lux vera, scilicet essentialitate. Mentes verò illuminatæ dicuntur lux hujus lucis illuminatione.* Hæc ille. Ergò juxta expositionem Augustini, et Bonaventuræ DEUS ipse est vera, et essentialis lux mentium, omnes illuminans, quotquot illuminantur. Ut subjungit idem ex S. Augustino. Cui expositioni conformantur sequentia Joannis verba, quibus negat hominem esse lucem mentis, aut illuminare, seu docere posse, dum expressè de illuminatissimo Præcursore Joanne, maximo inter Prophetas, ait : *Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine.* Ergò minùs alii Doctores creati erunt illa lux : nec intùs illuminabunt, aut docebunt ; sed suâ admonitione manuducent ad veram lucem, et verum Doctorem. Notetur etiam discrimen in Textu græco. Vocatur quidem homo lux mundi, Matth. 5. v. 14. ὑμεῖς ἐστε τὸ φῶς τοῦ κόσμου. *Vos estis lux mundi,* id est,

lux illuminata, non autem ipsa vera lux illuminans; Unde Joannis 1. v. 8. et 9. dicitur : οὐκ ἦν ἐκεῖνος τό φῶς, ἀλλ' ἵνα μαρτυρήσῃ περὶ τοῦ φῶτος. ἦν τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν, ὁ φωτίζει πάντα ἄνθρωπον, Joannes Baptista, *non erat ille lux* (græcè non erat ille ipsa lux) *sed* (subintellige missus) *ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera* (græcè, erat illa lux illa vera) *quæ illuminat omnem hominem*, etc.

84. Tertiò, Joan. 8. v. 12. clarè testatur Christus de seipso : *Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris*. S. Bonatura super hunc locum : *Sequitur tertia pars Capituli, in quâ de veritate doctrinæ — quâ ostendit se esse Auctorem Sapientiæ ad illuminandum — Auctorem vitæ ad vivificandum — Auctorem potentiæ ad liberandum*. Ergò doctrina vera est à solâ Christi luce.

85. Quartò, Ephes. 5. v. 14. *Surge, qui dormis, et exurge à mortuis, et illuminabit te Christus*. Et. v. præcedenti positum erat, quid hoc lumen conferat, scilicet. *Omnia autem, quæ arguuntur à lumine manifestantur, omne enim, quod manifestatur lumen est.*

85. Quintò denique Jacobi 1. v. 17. clarè dicitur : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminem, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*. Ergò DEUS est Pater luminum, principium omnis illuminationis ; consequenter erit ipsa mentis lux ; nam principium luminis est lux : Lumen quippè proles lucis appellatur.

87. Ab hoc S. Jacobi Textu S. Dionysius Areopagita Librum cœlestis Hierarchiæ [primum inter Opera sua] exorditur. Et indè acceptâ Solis similitudine pluribus in locis DEUM solem appellat : et ex datâ Solis corporei similitudine eumdem DEUM intelligentiæ lumen constituit : *Ut enim Sol noster* [sic loquitur Cap. 4. de Divinis Nominibus] *non cogitatione ; aut voluntate, sed eo ipso quod est, omnia illustrat, quæ ejus lumen pro modo suo capere possunt : sic etiam ipsum bonum* [id est DEUS] *quod ita præstat Soli, ut prima species tenui, obscuræque imagini, per se, ipsâque essentiâ suâ iis, quæ sunt : omnibus pro eorum captu totius bonitatis radios emittit* [intellige quantum est ex parte ipsius DEI. Undè inferiùs adjungit sic] *si quid est, quod eos* [id est radios Divini Solis] *non participet, id ejus luminis diffusi tenuitati, aut parvitati non est tribuendum, sed iis, quæ, quia apta non sunt ad capiendum lumen, ad illud capiendum non explicantur*. Hæc Dionysius convenientissimè ad scopum meum, quo confirmamur ad concludendum totum argumentum ex Scripturâ, scilicet DEUM esse ipsam mentis lucem, ipsum intelligentiæ Solem. Sed pro eâdem conclusione, et confirmatione audiamus et alium Spiritûs Divini nobilissimum interpretem.

88. Loquatur ergò D. Augustinus, Lib. 9. Conf. Cap. 4. in expositione Psalmi 4. sic ait : contra illos, qui in exterioribus suum gaudium ponunt : *Volentes enim gaudere forinsecùs, facilè evanescunt, et effunduntur in ea, quæ videntur, et temporalia sunt, et imagines eorum famelicâ cogitatione lambunt.* Sed quale remedium pro ipsis? sequitur : *Et, ô si fatigentur inediâ, et dicant! Quis ostendet nobis bona? Et dicamus, et audiant : Signatum est in nobis lumen vultûs tui Domine. Non enim lumen nos sumus, quod illuminat omnem hominem, sed illuminamur à te, ut qui fuimus aliquando tenebræ, simus lux in te.* Et quia S. Augustinus sciebat, non omnes hoc internum lumen æqualiter advertere, sic ex nimio zelo, illud Divinum lumen omnibus evulgandi, exclamat : *O! si viderent internum lumen æternum, quod ego, quia gustaveram; frendebam, quoniam non eis poteram ostendere!* Hæc S.Augustinus.

89. Sed adhuc expressiùs loquitur Lib. 12. de Genesi ad litteram Cap. 31. Ubi clarè dicit, DEUM esse lumen rationis, quo illustratur anima ad omnia intelligenda ; sic enim ait : *Aliud autem est ipsum lumen, quo illustratur anima, ut omnia vel in se, vel in illo veraciter intellecta conspiciat; nam illud ipse DEUS est, hoc autem* [de quo priùs] *creatura : quamvis rationalis, et intellectualis ad ejus imaginem facta, quæ cùm conatur lumen illud intueri palpitat infirmitate, et minus valet. Inde est tamen quidquid intelligit sicut valet. Cùm ergò illuc rapitur, et à carnalibus subtracta sensibus illi visioni expressiùs præsentatur, non spatiis localibus, sed modo quodam suo, etiam suprà se videt illud, quo adjuta videt, quidquid etiam se intelligendo videt* Hæc Augustinus.

90. Et num clariùs loqui potuisset pro Sole intelligentiæ? Ex ipso enim habes, DEUM ter Optimum Maximum esse ipsum animæ verum lumen, quo et illustratur, et omnia veraciter intellecta conspicit. Habes quoque, quòd etsi mens nostra ad imaginem tanti luminis efformata, in ejusdem luminis aspectu palpitet, nec fixè illud intueri valeat (sicut nec oculus carnis Solem corporeum, ob nimis vehementem illius splendorem, fixè videre potest) nihilominùs ex radio hujus æterni, ac Divini luminis, animæ, seu menti nostræ, proveniat omnia posse intelligere, quæcumque et quocumque modo intelligit. Nam DEUS lux est, et fons omnis intellectualis luminis, in cujus aspectu mens creata non solùm cætera, sed quoque seipsam verè intelligit, ne ex sui solius altâ cognitione in superbiam efferatur. Pro quo.

Audiamus eumdem D. Augustinum, Lib. de spiritu et littera, Cap. 7. fidem et gratiam JESU Christi sic extollentem : *Quoniam apud*

ipsum est fons vitæ, et in lumine ejus videbimus lumen. Et infrà. *Hæc cogitatio non affert superbiam, quod vitium oritur, cùm sibi quisque præfidit, seque sibi ad vivendum caput facit. Quo motu receditur ab illo fonte vitæ, cujus solius haustu justitia bibitur, bona scilicet vita : et ab illo incommutabili lumine, cujus participatione anima rationalis quodammodo accenditur, ut sit etiam ipsum factum creatumque lumen: sicus erat Joannes lucerna ardens et lucens : qui tamen undè luceret agnoscens : Nos,* inquit, *de plenitudine ejus accipimus. Cujus? nisi illius utique, in cujus comparatione Joannes non erat lumen. Illud enim erat verum lumen, quod illuminat omnem hominem,* etc. Hæc S. Augustinus, quæ licet principaliter DEUM, seu Christum, lumen gratiæ constituant, tamen etiam ad radium lucis, naturalis extendi possunt. Prout ex sequenti Sectione meliùs intelliges.

SECTIO VII.

UTRUM PRÆFATI SCRIPTURÆ TEXTUS, QUI CHRISTUM, SIVE DEUM, LUMEN AC LUCEM APPELLANT, ARCTANDI SINT AD SOLAM SUPERNATURALEM ILLUSTRATIONEM GRATIÆ : VEL AN ETIAM EXTENDI DEBEANT AD ILLUSTRATIONEM NATURALEM ? ET AN UTROQUE MODO (ID EST TAM UT LUMEN SUPERNATURALE, QUAM NATURALE : OBJECTIVÈ VIDELICET NON SUBJECTIVÈ LUMEN ACCIPIENDO) DEUS LUCEAT EX SE ÆTERNALITER, ÆQUALITER, INCIRCUMSCRIPTIBILITER ET PER MODUM NATURÆ.

SUMMARIUM. — 91. Lumen est duplex subjectivum, et objectivum. — 92. Objectivum lumen potest ex se acceptum radiare, licèt a nullo subjecto excipiatur. — 93. Quid sit esse homini naturale et supernaturale juxta D. Thomam 1. sec. q 111. a 2. ad 2. — 94. Quid sit gratia, prout est Theologicæ considerationis? — 95. Gratia hoc sensu est aliquid subjectivum, et realiter à DEO distinctum. — 96. Canones S. Concilii Tridentini de gratia, seu justificatione. — 97. Non omnes illi Textus arctandi sunt ad supernaturalem illustrationem. — 98. Probatur primò ex illorum universalitate. — 99. Confirmatur 1. ex lumine rationis in obduratis et damnatis reperto. — 100. Confirmatur 2. ex SS. Patribus et Expositoribus. — 101. Confirmatur 3. ex Rom. 1. à v. 19. — 102. Probatur 2. quia DEUS, etiam ut principium rerum naturalium est ens actualissimum et abstractissimum, ergò et lucidissimum. — 103. Probatur 3. Quia omne perfectum est lux imperfectorum. — 104. Probatur 4 Quia DEUS est omnis veritas etiam naturalis. — 105. DEUS utroque modo lucet incircumscriptibiliter; si videlicet lumen objectivè accipiatur.— 106. Probatur 1.— 107. Confirmatur.— 108. Probatur 2.—109. Confirmatur.—110. Probatur 3.—111. Probatur 4. — 112. DEUS neutro modo lucet incircumscriptibiliter, si lumen subjectivè accipiatur. — 113. Probatur. — 114. Causa, cur unus plùs altero illuminetur? — 115. Confirmatur ex S. Dionysio. — 116. An specialis gratiæ excitatio necessaria fuisset in statu naturæ integræ?— 117. Sensus Roberti Bellarmini.—118. Quæ intelligenda sunt de lumine subjectivo, non objectivo.

91. Ut præsentis Sectionis Titulum meliùs intelligas, Te præmonitum volo, quisquis ista perlegeris : Primò, quòd, ut suprà Hypothesi 6. et 7. insinuatum fuit, tùm corporeum, tùm intelligibile, seu spirituale mentis lumen duplex sit, alterum subjectivum, alterum objectivum. Quo sensu ibi dictum fuit, intellectum ipsum, et quascumque dispositiones ipsius, vel habitus, actusque scientificos, posse vocari lumen subjectivum intelligibile. Objectivum verò lumen esse illud, quod se tenet ex parte objecti, et forinsecùs, tanquam ratio formalis objectiva ac motiva, radiat.

92. Et benè notandum est, posse videlicet stare, quod hoc secundum, id est, objectivum lumen, seu res objectivè lucens, quantum est ex suâ parte actu radiet, ac luceat, etiamsi à nullo intellectu percipiatur : ut à simili patet in sensibili radiatione corporei Solis actu rutilantis ac radiantis, etiamsi cuncti dormirent homines. Et si lumen objectivum est incircumscriptum ac immutabile, ex se lucebit semper et immutabiliter absque ulla possibili Ecclipsi, ut Hypothesi 8. dictum fuit Num 32. 33. 34. et mox probabitur.

93. Secundò, cùm intelligentia hujus quæsiti dependeat à materia gratiæ, ut videlicet sciatur, quid sit homini, vel cuilibet menti creatæ, naturale vel supernaturale. Dico igitur cum D. Thoma 1. sec. q. 111. a. 1. ad 2. Et R. P. Martino de Esparza, q. 6. de gratia. Illud esse alicui naturale, quod suppositâ illius creatione est illi debitum : illud verò est ei supernaturale, quod etiam suppositâ creatione non ei debetur. Audiamus S. Thomam loquentem : *Potest autem intelligi duplex debitum. Unum quidem ex merito proveniens, quod refertur ad personam, cujus est agere meritoria opera. Aliud est debitum secundùm conditionem naturæ : puta, si dicamus, debitum esse homini, quòd habeat rationem, et alia, quæ ad humanam pertinent naturam. Neutro autem modo dicitur debitum propter hoc, quòd DEUS creaturæ obligetur : sed potiùs in quantùm creatura debet subjici DEO, ut in ea Divina ordinatio impleatur.* Hæc D. Thomas, addens, dona naturalia esse indebita primo modo tantùm, supernaturalia autem utroque modo. Et ideò colligo ex hoc, rationem subjectivam, quæ est capacitas Rationis æternæ, sicut et ipsa Ratio æterna, secundùm naturalem suum æternum radium (quatenùs est æterna expressio veritatum naturalium) esse homini naturalem ac debitam, suppositâ nimirùm illius creatione.

94. Sed pro majori clarite, observa ex præfato Esparza, Gratiam, prout est Theologicæ considerationis, esse donum superadditum dono creationis, quod proinde homini creato nec mediatè, nec immediatè

debetur. Qui ulteriùs adjungit, certamen potissimùm Theologorum [licèt non unicum] esse *de gratiâ, quæ intrinsecè unicuique inhæret, et singulis operandi opportunitatibus ita devincta est, ut illis transeuntibus, ipsa protinùs intereat : quæ est indiscriminatim necessaria, ante et post conversionem ad DEUM : ante et post justificationem, et infusionem habituum*. Ita Esparza. Qui proinde gratiam taliter acceptam sic definit, quod sit *bonum unicuique indebitum, etiam suppositâ ejus existentiâ, conferens immediatè ac positivè ad eliciendos actus bonos, atque singulis eorum opportunitatibus devinctum.*

95. Ex his colligo, Gratiam, prout strictè, ac sensu Theologico accipitur, esse rem subjectivam, sive quod idem est, rem creatam, et à DEO distinctam, homini positivè collatam ad efficiendos actus bonos. Cui proinde per meum objectivum et incircumscriptum radium Solis intelligentiæ nihil demere volo. Prout etiam Capite 2. Sect. 1. Num. 4. jam dictum fuit, quæstionem Solis Intelligentiæ non esse puram quæstionem de gratia. Undè pro majori dicendorum cautelâ volo præmittere fidei decisiones, quas Concilium Tridentinum Sess. 6. contra modernos Sectarios fulminavit.

CANONES CONCILII TRIDENTINI DE JUSTIFICATIONE.

96. Canon 1. *Si quis dixerit, hominem suis operibus, quæ vel per humanæ naturæ, vel per legis doctrinam fiunt, absque Divinâ per JESUM Christum Gratia posse justificari coram DEO, anathema sit.*

Canon 2. *Si quis dixerit, ad hoc solùm Divinam gratiam per Christum JESUM dari, ut faciliùs homo justè vivere, ac vitam æternam promerere possit, quasi per liberum arbitrium sine gratiâ utrumque, sed ægrè tamen et difficulter, possit, anathema sit.*

Canon 3. *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritûs sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.*

Canon 4. *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium, à DEO motum et excitatum, nihil cooperari assentiendo DEO excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac præparet; neque posse dissentire, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omninò agere, mereque passivè se habere, anathema sit.*

Canon 5. *Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum et extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imò*

titulum sine re ; figmentum denique à Satana invectum in Ecclesiam, anathema sit.

Canon 6. *Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera ita ut bona, DEUM operari, non permissive solùm, sed etiam propriè et per se, adeò ut sit proprium ejus opus non minùs proditio Judæ, quàm vocatio Pauli ; anathema sit.*

RESOLUTIO PRIMI DUBII

96. Quòad primum quæsitum ultrò confiteor plerosque ex præfatis Textibus principaliùs intelligendos esse de supernaturali lumine gratiæ : quos etiam vel eo fine adduxi, ut intelligamus DEUM ter Optimum Maximum esse universalem Solem intelligentiæ tàm quoad objecta supernaturalia, quàm naturalia. Nego tamen omnes hos Textus ad radium supernaturalem aut arctari, aut constringi posse, vel debere ; sed aliquos universaliùs intelligi oportere de quâcumque immediatâ, ac physicâ mentis illuminatione, sive naturali, sive supernaturali.

98. Probatur primò : *Ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus :* sed plerique ex allegatis Textibus loquuntur indistinctè, indefinitè, universaliter ; ergò universaliter intelligendi sunt, nec arctandi ad solam illustrationem gratiæ. Minor patet ex similibus Textibus, cùm DEUS, vel Christus absolutè vocatur : *Lux mundi ; Lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum : Pater luminum,* à quo *omne datum optimum, et omne donum perfectum* ad nos descendit, etc

90. Confirmatur 1. Si Verbum illuminat omnem hominem, ergò etiam illos, ad quos illuminatio gratiæ non extenditur (ut sunt obdurati, seu damnati) ergò saltem per naturale lumen rationis eosdem illuminat : cùm sit Sol intelligentiæ, et justitiæ, qui naturales radios suæ lucis nemini capaci invidet [oritur enim *super bonos, et malos ; pluit super justos, et injustos*] sed damnati ob naturam rationalem, sunt capaces luminis rationis, ergò hoc naturæ titulo illud lumen ipsis debetur. Undè dicit Apostolus Jacobus, quòd *et dæmones credant* [esse DEUM] *et contremiscant.* Videlicet non lumine fidei, aut gratiæ credunt, sed pondere argumentorum, ex evidenti lumine rationis deductorum : ergò naturale hoc lumen iisdem, sicut et cæteris damnatis, lucet.

100. Confirmatur 2. Plures ex SS, Patribus (ut Origenes, S. Cyrillus Alexandrinus, S. Augustinus, et alii) præfatum Joannis Textum in-

telligunt de lumine rationis naturalis : sicut et illum Psalmi 4. v. 7. *Signatum est super nos lumen vultûs tui Domine.* Vide Cornelium in Cap. 1. Joannis. Expositio Doctissimi Bellarmini sic integra sonat in posteriorem Textum : *Respondet Propheta viam justitiæ nobis à DEO demonstratam esse, et nos habere Magistrum intra nos, qui nos doceat verum bonum, lumen videlicet rationis naturalis Hoc enim lumen signatum est, et impressum indelebiliter super nos : id est, in supremâ parte hominis. Habemus enim partem inferiorem, corpus ; partem superiorem, animam : et in ipsâ animâ partem inferiorem, quâ vivimus, et sentimus; et superiorem, quâ ratiocinamur, et sapimus. In hâc igitur supremâ parte est lumem, quo distinguimur à bestiis : estque hoc lumen derivatum à vultu DEI, quia id nos facit esse ad imaginem et similitudinem DEI. Et ex hoc lumine possumus intelligere primam viam justitiæ. Lex enim naturalis scripta in corde, quam nec ipsa quidem delet iniquitas, docet non faciendum alteri, quod nobis ab aliis fieri nolumus, etc. Possumus etiam intelligere adjuti gratia DEI, nostrum verum bonum consistere in assimilatione ad DEUM. Bonum enim imaginis est, quam simillimam esse exemplari.* Hæc Bellarminus, addens, solis mutatis punctis vocalibus (à Rabbinis adjectis) Textum hebraicum concordare cum nostrâ Vulgatâ.

101. Et certè Gentiles Rom. 1. à v. 19. carpuntur, quia lumen rationis naturalis secuti non fuerint, quod DEUM illis manifestabat. Hoc autem lumen rationis objectivè acceptum esse DEUM colligitur ex eodem versu 19. *Quia quod notum est DEI manifestum est in illis. DEUS enim illis manifestavit — ita ut sint inexcusabiles.* Hic certè non est sermo de aliquo lumine supernaturali revelante, sed de lumine rationis, ut colligitur ex illis verbis : *Invisibilia enim ipsius, à creaturâ mundi, per ea, quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur : sempiterna quoque ejus virtus, et Divinitas.*

102. Probatur secundò : Quò res aliqua plùs de actu habet, et quò perfectior, abstractior, et universalior est, eò quoque verior, lucidior, ac luminosior erit (materia quippè mater confusionis, et tenebrarum est : sicut et omnis potentialitas. Vide superiùs Num. 71. Et Cap. 1. Num. 120). Sed DEUS, etiam consideratus, ut principium rerum naturalium, est actus purus ; sive ens actualissimum, perfectissimum ; à materiâ, et potentialitate abstractissimum, et simul universalissimum : ergò, etiam ut sic, erit ens verissimum, lucidissimum, luminosissimum : imò erit ipsum summum naturale lumen [objectivum videlicet, non subjectivum] quo naturaliter, et immediatè mens omnis illuminatur. Nec dissentit D. Thomas, cùm ait

DEUM esse per modum Solis. Vide Cap. 1. Num. 56. et 1. p. q. 105. a. 3. Ubi probat, quòd DEUS immediatè moveat intellectum creatum, illum docendo.

103. Probatur tertiò : Omnia perfecta sunt lux, et mensura imperfectorum [juxta illud : *Primum in unoquoque genere est mensura cæterorum*] sed DEUS, etiam ut auctor rerum naturalium, est ens summè perfectum, et summè primum, ergò etc.

104. Probatur quartò : Lumen rationis naturalis, objectivè consideratum, est veritas ; sed DEUS est veritas ; Ergò erit lumen rationis naturalis objectivè consideratum. Ergò juxta Scripturam, et Rationem, DEUS est lux, et lumen mentis, etiam quoad naturalem illuminationem. Ergò quidam ex præfatis Textibus, universaliter, et indistinctè DEUM lucem, ac lumen appellantes; intelligendi sunt etiam de lumine rationis naturalis; quod probandum erat. Ergò DEUS non solùm est objectum lumen gratiæ, sed etiam rationis

RESOLUTIO SECUNDÍ DUBII.

105. Quòad alterum Tituli quæsitum, Respondeo 1. DEUM utroque modo, tam ut lumen supernaturale, quàm ut lumen naturale [per se, et objectivè consideratum] lucere omnibus æternaliter, æqualiter, incircumscriptibiliter, ac per modum naturæ. Colligo Responsionem ex S. Dionysio Areopagitâ Cap. 4. de Divinis Nominibus. Ubi Divinam lucem Soli comparat. At omnibus constat, Solem corporeum (objectivè consideratum, et abstrahendo à diversâ capacitate subjecti ; id est, ipsius oculi corporei, luminis receptivi) semper, æqualiter, ubique, et per modum naturæ radiare ; ergò sic et DEUS radiabit, eumdem præcisè considerando quoad connaturalem suam objectivam lucem, abstrahendo à variâ dispositione oculi mentalis, et à libero DEI concursu.

106. Probatur primò : Quod semel est verum sub iisdem circumstantiis semper, et incircumscriptibiliter est verum, et ut tale semper, et ubique lucet : sive sit veritas naturalis (v. g. *DEUS est : Omnipotens est)* sive sit veritas supernaturalis (v. g. *DEUS est unus et trinus)*.

107. Sic et eodem modo confirmatur quoad rationem boni : Omne bonum, sive naturale, sive naturam transcendens, est ex suâ naturâ æternaliter sui diffusivum, et potentiæ appetitivæ allectivum : sive dein adsit potentia disposita, sive non adsit.

108. Secundò : Si DEUS quoad veritates supernaturales, non

luceret æternaliter, et incircumscriptibiliter; ac æqualiter, ac per modum naturæ, tunc, ut sic, esset lux non lucens; et radios intra se contineret : imò, ut sic, fugeret lucem, et non veniret ad lucem, [cùm tamen solus is, qui malè agit, fugiat lucem] imò aliquo modo seipsum negaret, contra id, quod dicitur 2. Tim 2. v. 12. *Negare seipsum non potest :* quia ut additur : *fidelis permanet.* Imò id, quod est essentialiter, et non ex accidenti lux, implicat non lucere. Essentia enim lucis est lucere coram quocumque oculo proximè disposito. Et ideò, si DEUS per suam gratiam, et liberam voluntatem aliquem creatum mentalem oculum, non solùm remotè et in actu primo, sed etiam proximè, disponit, ut sit sui (id est DEI) capax, implicat, ut illi DEUS non luceat. Vide infrà Num. 114. quid S. Dionysius Areopagita dicat.

109. Confirmatur : Æternum, ac incircumscriptum lucere nihil aliud est, quàm esse æternaliter et incircumscriptibiliter intelligibile, sed DEUS, sive consideretur secundùm prædicata naturaliter de se scibilia, sive juxtà prædicata supernaturali viâ scibilia, est æternaliter, et incircumscriptibiliter intelligibilis, ergò etc. Minor indè patet, quia intelligibilitas est convertibile prædicatum cum ente et vero, à quibus implicat separari. Et indè fit, quod quantùm abundat in aliquo entitas, et veritas, tantùm in eo abundet intelligibilitas. Et benè adverte, esse maximum discrimen, inter esse æternaliter intellectum, et inter esse æternaliter à quocumque disposito intellectu intelligibile : hoc enim haberi potest, etiam nullâ creaturâ actu existente : sed priùs non : quia implicat esse à creatura intellectum, et non dari creaturam. Sed si per esse actu intellectum, intelligatur ab intellectu Divino, etiam hoc implicat separari. Cùm DEUS essentialiter se æternaliter intelligat.

110. Tertiò : Lumen creatum æmulatur lumen increatum, et lumen per participationem æmulatur naturam luminis per essentiam : sed commune est omni lumini creato (et cæteris rebus creatis) seipsum (aut per seipsum, aut per emissas species) manifestare potentiæ cognoscitivæ dispositæ : imò licèt per accidens non adsit potentia capax, seu disposita, nihilominùs radios suæ lucis diffundere non cessat : si hoc à naturâ habet lumen participatum, quantò magis hoc habebit ipsum lumen per essentiam : quidquid enim habet lumen participatum totum habet à lumine per essentiam, cujus naturam et æmulatur, et ejusdem vestigium est.

111. Quartò : Si ratio supernaturalitatis obstaret, ne DEUS, ut est auctor rerum supernaturalium æternaliter, æqualiter, et per modum

naturæ radiaret, etiam DEUS, ut est principium naturæ, non sic radiaret : quia ipse DEUS, quocumque modo sumatur : in se et non in ordine ad nos consideratus, est ens totam naturam excedens, et consequenter supernaturale. Nec ideò sequitur, aut DEUM exteriùs agere æqualiter, et ex necessitate naturæ (quia hæc æterna radiatio non est creata actio, sed æterna DEI proprietas, ab eo realiter indistincta, si videlicet non subjectivè, sed objectivè sumatur) aut lumen, aliaque dona DEI, futura in hominibus æqualia, aut necessariò illis communicata : quia hæc ut sic subjectivè accipiuntur. Et ideò.

112. Respondeo 2. Si tamen loquamur de lumine subjectivè accepto, sive de ipso oculo, et dispositionibus ad recipiendum lumen prærequisitis, et à libera DEI voluntate pendentibus ; ut sic neutro modo DEUS radiat æternaliter, seu incircumscriptibiliter ; aut per modum naturæ ; nec omnibus æqualiter : sed potiùs, ut sentit Apostolus 1. Cor. 12. v. 11. *Dividit singulis prout vult.* Et quidem ad recipiendum radium, seu veritatem supernaturalem, requiritur proportionatus oculus, sive proportionata dispositio ejusdem oculi, videlicet supernaturalis : ad recipiendum verò radium, seu veritatem naturalem, sufficit oculus naturali dispositione provisus, per se loquendo ; et abstrahendo à corruptione naturæ, per originale peccatum inductâ : quo *homo*, secundùm Venerabilem Bedam, et communem Theologorum, non solùm *fuit spoliatus* donis supernaturalibus, et *gratuitis* ; sed etiam *læsus in naturalibus* : et in dies per actualia peccata magìs læditur ; ut longè pluribus Divinis subsidiis nunc homo indigeat, e iam quòad suas connaturales operationes (et multò plus quòad supernaturales, ac meritorias) quam homo in statu innocentiæ indiguisset

113. Prima Responsionis pars indè patet, quia sicut nulla creatura, ita quoque nulla mentis creatæ dispositio, aut fuit ab æterno, aut ubique, aut ex necessitate naturæ, aut omnibus æqualiter conveniens : sed potiùs liberè donatur à DEO, quando, quantum, et quibus ipse vult. Altera pars, sicut et tertia, constant ex communi Theologorum agentium de gratiæ dispositionibus, et de corruptione naturæ, per originale peccatum inductâ.

COROLLARIUM I.

114. Collige ex Responsione secundâ, causam, quòd unus Divinum lumen (sive naturale, sive supernaturale) in mentem suam intromittat, et ab eo actu illuminetur : alter verò non illuminetur, aut

minùs illuminetur, nullo modo attribuendam esse Eclypsi, sive defectui Solis intelligentiæ ; ejusdemque Divinæ lucis, quasi illa ex se inæqualiter radiaret, aut æternos veritatis suæ radios inæqualiter diffunderet, et uni plùs quàm alteri occultaret : sed potiùs diversitatis ratio metienda est ex subjecti recipientis inæquali constitutione, ac dispositione ; quia aut hujus luminis capax non est (ut sunt entia irrationalia) aut non dispositum, aut minùs dispositum. Nam juxta Hypothesim 4. ad hoc ut mens rationalis lumen veritatis attingat, et eo perfruatur, non solùm externum Divinum lumen requiritur, sed etiam naturæ capacitas, potentiæque interiùs benè instructæ, nec impeditæ : Et juxta S. Augustinum Lib. 1. Soliloq. Cap. 6. Ad hoc, ut quis actu veritatem cernat, et percipiat, non solùm necessaria est illustratio Divini Solis, sive lucis illius, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* : sed etiam requiritur, ut oculis mentis sanus sit, et ut aspiciat. Vide suprà Capite 3. Num. 85.

115. Optimè S. Dionysius Areopagita Capite 4. de Divinis Nominibus hisce consonat : *Magnus hic Sol* [quem dicit esse claram, expressamque Divinæ bonitatis imaginem] *totus lucens, et semper splendidus pro minimà ipsius boni similitudine, omnibus etiam, quæ ejus lucem capere possunt, collucet : habetque lumen per omnia diffusum, in omnem hunc mundum, quem cernimus, radiorum suorum splendorem explicans, et sursum, et deorsum : ac si quid est, quod eo non participet, id ejus luminis diffusi tenuitati, aut parvitati, non est tribuendum ; sed iis, quæ, quia apta non sunt ad capiendum lumen, ad illud capiendum non explicantur*. Pulcherrima similitudo incircumscriptæ radiationis æterni Solis intelligentiæ. Interim certum est, quòd quidquid DEUS exteriùs agit liberè agat : undè et ipsa intellectûs, seu mentis creatæ dispositio, etiam proxima et ultima liberè à DEO datur.

COROLLARIUM II.

116. Collige 2. ex eâdem Responsione. Si Adam non peccâsset, et unâ cum justitiâ originali naturalia hominis integra permansissent, non eguissemus speciali auxilio, quo excitaremur ad benè operandum, vel ad vitanda peccata. Ita Bellarminus Tomo 4. Controv. 1 Cap. 4. Ratio est, quia naturâ integrâ permanente ad hoc suffecisset habitus gratiæ sanctificantis, à DEO in esse conservatus, et Divina cooperatio, seu Divinus concursus cum homine operante (in operibus quidem naturalibus per auxilium generale : in supernaturalibus verò

per speciale). Gratia enim sanctificans, si natura læsa non esset, sufficienter naturam perficeret, et ut caro spiritui, et ut spiritus, seù mens, DEO obediret, et absque recalcitratione subjecta maneret. At suppositâ læsione naturæ (per 4. vulnera, ignorantiæ, malitiæ, concupiscentiæ, ac infirmitatis ; læsis naturalibus hominis potentiis, intellectu, voluntate, appetitu concupiscibili, et irascibili) præfata DEI dona non sufficiunt, videlicet gratia sanctificans, ejusdem conservatio, et divinus proportionatus concursus. Licet enim hæc tria dona tribuant homini facultatem quamdam, ut possit operari (imò per se, dictis 4. vulneribus, et difficultatibus seclusis, potuisset hæc facultas redigi in actum) non tamen præstant, ut actu operetur : ideoque cùm nos modo vulneratam naturam geramus ; præter illa tria DEI dona, et quarto Divino subsidio indigemus, videlicet speciali illustratione, ac motione, nos excitante, dirigente, protegente, ac defendente. Et hic fuit perpetuus sensus D. Augustini contra Pelagium, quòd videlicet per gratiam Christi non solum nobis detur posse, sed etiam velle et agere : cùm Pelagius solum ipsum posse DEO abscriberet, voluntatem verò, et actionem, nullo DEI adjutorio indigere dicebat. Vide D. Augustinum quoties agit contra Pelagianos, præsertim de Gratiâ Christi, Cap. 41 et 47. sicut et Cap. 12. 13. 25. Et Epistola 90. 95. 105. 107. Vide quoque, Concilium Milevitanum Can. 4. Arausicanum Can. 6.

117. *Ratio hujus discriminis est,* inquit Bellarminus loco citato, *quia primum donum in Adamo non solùm mentem subjiciebat DEO, sed etiam carnem spiritui ; proindè non impediebatur, nec retardabatur Adam à bono opere : neque ad peccandum incitabatur per carnalem concupiscentiam : in nobis autem primum illud donum mentem subjicit DEO, sed non carnem spiritui ; ideò propter carnales illecebras, quæ assiduè, vel incitant ad peccandum, vel à bono retardant, desidesque, ac dormitantes efficiunt, egemus auxilio excitante, dirigente, ac protegente.* Hæc Bellarminus. Hinc ob eamdem causam, cùm per originale peccatum intellectus, ac naturale lumen rationis valdè læsum sit, non poterit homo, absque errore, vel periculo errandi, cognoscere veritates, etiam solùm naturales (ad supernaturales enim requiritur lumen supernaturale, etiam seclusâ omni læsione) nisi ejusdem intellectus confortetur per infusionem luminis gratuiti. Vide S. Thomam 1. p. q. 12. a. 13. Ubi dicit, lumen naturale confortari per gratuitum. Et S. Augustinus Libro 1. Soliloq. Cap. 6. ait, oculum mentalem sanari per lumen fidei, spei, et charitatis.

118. Porrò omnia ista intelliguntur de Gratiâ DEI homini interiùs

datâ, ac de lumine subjectivo, quod est aliquid distinctum à DEO, non de Gratiâ exteriori, seu lumine objectivo, quod ipse DEUS est; et per se loquendo æternaliter, et ubique, ac in omni statu, omnibus incircumscriptibiliter, et æqualiter, ac naturaliter radiat [ut suprà dictum fuit] consequenter, in se consideratum, nec lædi, nec minui, nec corrumpi ullo modo potest, ut Hypothesi 8. probatum est. Vidè infrà Cap. 3. Num. 34.

APPENDIX

Ad Caput IV.

Quis sit Ecclesiæ sensus de hoc lucis mysterio?

SUMMARIUM. — **119.** Sol intelligentiæ conformis est sensui Ecclesiæ. — **120.** Probatur ex Romano Breviario ac Missali. — **121** Et ceremoniis ac verbis Sabbathi sancti. — **122.** Quibus insinuatur Christum esse Solem ac Lucem mentis. — **123.** Confirmatur ex hoc, quòd Catholica Ecclesia plurimùm collaudet doctrinam D. Augustini, qui multùm favet Soli intelligentiæ.

119. Antequam à Divinis Scripturis recedam, et SS. Patrum ac Doctorum testimonia proferam, libet paucis inquirere, an non et ab Ecclesiâ Catholicâ, quæ citra controversiam à vero Sole et spiritu intelligentiæ, et à luce mentium immediatè omnem veritatem edocetur; argumentum pro solius Christi intellectuali interno magisterio habere possim : et an Eadem sancta Mater præfatas Scripturas eodem modo intelligat, et ex iis hoc idem dogma supponat evinci, sicut ego conor evincere. Pro affirmativâ parte æstimo inservire sequentia, ni fallor.

120. Nam constat, quòd sancta Mater Ecclesia in Orationibus publicis, tam in Officio Horarum Canonicarum, quàm in Missâ DEUM, et maximè secundam Personam SS. Trinitatis, sæpissimè, ac variis modis, ut lucem mentium, ut Solem intelligentiæ, et salutet, et invocet. Testantur omnes ferè sacri Hymni de Tempore Romani Breviarii, qui sicut antiquissimi, ita devotissimi sunt; ac mysteriis abundant : in quibus multipliciter continetur, et asseritur, DEUM ac Verbum, *fulgere sensibus; mentis somnum discutere, de luce lucem proferre: esse lucem lucis; fontem luminis; diem, qui illuminat diem;*

verum Solem micantem nitore perpeti : tenebras mentium auferre ; intrinsecùs caliginem repellere, et noctem cordium : esse lucem perennem, quæ lumen cordibus infundat, etc. Et in Litaniis omnium Sanctorum invocatur DEUS : *Ut mentes nostras ad cœlestia desideria erigat :* cùm movere mentem creatam solius DEI proprium supponere videatur Ecclesia.

121. Nec vacant mysterio illæ devotissimæ ceremoniæ, ac devotissimus verborum cantus, quibus pridie Paschalis Festi [id est, Sabbatho sancto] utitur Ecclesia in benedictione novi ignis, ac cerei paschalis, etc. Dum ter elatâ voce, Orbi veluti promulgat : *Lumen Christi, lumen Christi, lumen Christi :* pro cujus radiatione toties, nomine omnium, gratias refert. Notentur et hæc specialia verba : *Gaudeat et tellus tantis irradiata fulgoribus, et æterni Regis splendore illustrata, totius orbis se sentiat amisisse caliginem. Lætetur et Mater Ecclesia, tanti luminis adornata fulgoribus — ad tam miram hujus sancti luminis claritatem.* Et infrà, accenso jam cereo, de rutilante igne, figurâ DEI, sic canit : *Qui licèt sit divisus in partes, mutuati tamen luminis detrimenta non novit.* (Filius quippè est lux de luce ; Lumen de lumine, absque detrimento lucis, quæ in Patre est). Et infrà accensis lampadibus : *Oramus ergò te Domine : ut cereus iste in honorem tui nominis consecratus, ad noctis hujus caliginem destruendam indeficiens perseveret — supernis luminaribus miscealur. Flammas ejus lucifer matutinus inveniat. Ille inquam lucifer, qui nescit occasum.* Ita concinit, et lætatur per orbem universum Orthodoxorum omnium Mater.

122. Et quid hisce, et similibus verbis, ac sententiis, per decursum totius Missalis, ac Breviarii continuò occurrentibus, Christo Sponso, Ecclesia attribuit, nisi et nomen, et officium lucis, ac luminis, et Solis indeficientis, et occasum nescientis ; sicut et internam mentium creatorum illuminationem, ac motionem ? Quæ licèt principaliter, ex intentione ejusdem beatissimæ Matris, de lumine gratiæ proferantur, videtur tamen hisce verbis plus velle ; id est naturæ quoque illuminationem à DEO originem sortiri : quem credit esse lucem veram, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Et licet etiam Angeli (imò et homines minùs propriè) dicantur illumiminare, ac movere mentes, seu corda hominum : hoc tamen minimè faciunt, ipsum internum lumen, ac internam vim motivam ex se fundendo ; utrumque enim à solo DEO rutilat, ac manat : sed solùm magistraliter admonendo, et ad verum lumen dirigendo.

123. Addo pro sensu Ecclesiæ colligendo non parùm inservire,

quod Eadem S. Patris Augustini doctrinam mirum in modum collaudet, deprædicet et commendet. Augustinus verò citra controversiam hoc lucis Divinæ mysterium asseruit, ac tenuit, ut patebit ex dicendis Capite proximo : et partim patere potest ex jam dictis. Quod Ecclesia plurimùm semper D. Augustinum æstimaverit, probatione non indiget : *Cujus tanta extant erga omnem Catholicam Ecclesiam beneficia, ut nulli penè Sanctorum majora merita debeamus, ut dixit Martinus V. Pontifex. Eumdem, teste S. Hieronymo, Catholici toto orbe tanquam conditorem antiquæ rursum fidei venerabantur, et suspiciebant : à quo disertum est quidquid dici potuit, et sublimi ingenio de Scripturarum sanctarum hauriri fontibus. Hunc Patres Concilii V. Generalis profitentur sequi se per omnia, et suscipere omnia, quæ de rectâ fide, et condemnatione hæreticorum exposuit. Ejusdem doctrinam, secundùm Præcessorum suorum statuta Romanam sequi, et servare Ecclesiam, asseruit Joannes Pontifex.* Hæc in laudem D. Augustini, A. R. P. Wangnereck, Soc Jesu, in Præfatione ad suas Notas in Libros Confessionum S. Patris Augustini. . . . . .
. . . . . .

CAPUT V.

SOLIS INTELLIGENTIÆ LUMEN INDIFICIENS, SIVE DEI UT ENTIS SUMMI INTERNUM MAGISTERIUM PROBATUR EX SS. PATRIBUS, PRÆSERTIM EX DIVO AUGUSTINO.

SUMMARIUM. — 1. Etiam SS. Patres, (quorum doctrinæ Ecclesia plurimum observantiæ semper detulit) favent Soli intelligentiæ. — 2 Et vix unus illorum reperitur, qui non aliquid, breviùs aut fusiùs, ad hunc scopum protulerit. Sed principalis fautor est S. Aug.

1. Sacro Textui, et universalis Ecclesiæ intentioni (ut mihi visum fuit) SS. antiquos Patres etiam subnecto, quorum disciplinam constat fuisse, non in sapientiâ hominum, sed in virtute DEI : quibus proinde eadem sancta Mater Ecclesia plurimum observantiæ semper detulit : imò et præcepit, ne ulli hominum fas sit, in rebus fidei, et expositione Sacræ Scripturæ, ab illorum unanimi et concordi sensu discedere. Sic in plerisque Conciliis statutum fuisse, refert Tannerus

in Exordio SS. Theologiæ, dum loca Theologica pertractat. Et en verba ipsius, Tom. 1. d. 1. q. 5. dub. 1 post ass. 4. *At si de Patribus solùm loquamur, qui sua Scripta ad nos transmiserunt, etsi quidem negari non possit, eos, si consentiant, continere irrefragabile fidei argumentum à posteriori et à signo; tum quia ab Ecclesiâ recepti sunt, et approbati; nec fas est eis in rebus fidei, et Sacræ Scripturæ interpretatione, adversari; Ex* 6. *Synodo act.* 11. *et* 13. *In Epistolâ synodali Sophronii, undè sumptus est etiam Canon* 19. *Trullanæ Synodi. Item ex Concilio Lateranensi ultimo, act,* 11. *Et Concilio Tridentino Sess.* 4. *In Bulla Pii IV. per Pium V. renovatâ.* Hæc Tannerus. Quod verò SS. Patres in suis relictis Scriptorum monumentis multum favoris huic meæ de Sole intelligentiæ opinioni conferant; imò quidam illorum eamdem in formalibus tenuerint, sustinuerint, probaverint, ac defenderint, sequentia legenti abundè patebit, ut credo.

2. Imò vix æstimo unum illorum reperiri, qui non aliquid in subsidium hujus argumenti protulerit, scriptumque reliquerit, aut expressè, aut implicitè; aut fusiori tractatu, aut per sententiam. Dum non pauci illorum aut expressè, aut verbis æquivalentibus dicunt, et affirmant, solum DEUM esse ipsam Rationem, et Veritatem, ac proinde solum Christum, vel DEUM esse Magistrum; Eumdem solum mentem hominis intùs docere; homines solùm foris monere; ac nos manuducere, et exteriùs tantummodò rigare posse. Solum DEUM interiùs incrementum dare; à solo DEO, intellectum, intelligentiam, sapientiam, scientiam, cordis illuminationem, et rerum intelligibilium notitiam provenire; ab eo solo mentium lucernas accendi, etc. Ex multis aliquos profero; sed per transennam, ut me diutiùs in magno Ecclesiæ Luminari, S. Augustino, principali hujus dogmatis fautore, detinere valeam. Et si clariora, et breviora in compendio expetis, percurrè infrà testimonia D. Joannis Chrysostomi, D. Gregorii Magni, D. Augustini, Lib. Retract. Lib. Confess. Tractatu 40. in Joan. Tract. 3. in 1. Epist. Joan. Tract. de cognit. veræ vitæ, de Magistro, etc.

SECTIO I.

*TESTIMONIA B. DIONYSII AREOPAGITÆ, IN FAVOREM SOLIS INTELLIGENTIÆ.

. . . . . .

SECTIO II.

* TESTIMONIA SS. JUSTINI PHILOSOPHI, MARII VICTORINI, AMBROSII, JOANNIS CHRYSOSTOMI ET HIERONYMI.

. . . . . .

SECTIO III.

*TESTIMONIA S. CYRILLI EPISCOPI ALEXANDRINI, LEONIS ET GREGORII PONTIFICUM, IN FAVOREM SOLIS INTELLIGENTIÆ.

. . . . . .

SECTIO IV.

TESTIMONIA EX S. AUGUSTINO, EPISCOPO, ET ECCLESIÆ DOCTORE, IN FAVOR SOLIS INTELLIGENTIÆ.

SUMMARIUM. — 60 Etsi plura afferri possent, unus tamen Augustinus pro mille su cit. — 61. Quia præ cæteris copiosiùs, expressiùs, et luculentiùs favet. — 62. E testimonia obiter tanguntur.

60. Plurima similia SS. Patrum dicta in favorem Solis intelligent facile possem afferre ; imò et longè patentiora, si vacaret eorumd relicta scripta deposita evolvere posse diligentiùs : At unus p mille sufficiat Augustinus, Magnum illud Ecclesiæ jubar , toti Ecclesiastici firmamenti lucidissimum sidus : et dixerim verè lun nare majus. De quo Ecclesiæ sensum colligimus ex ejus festo : *Nu lum finem fecit prædicandi DEI Verbum, nisi gravi morbo oppress Hæreticos perpetuo insectatus, et coram, et scriptis; ac nullo l passus consistere; Africam — ab hæreticorum* [variorum] *errore mag ex parte liberavit. Tam multa piè, subtiliter, et copiosè scripsit, Christianam doctrinam maximè illustrârit. Quem imprimis sequ sunt, qui posteà Theologicam disciplinam viâ, et ratione tradideru* Ita sentit de hoc Eximio Viro S. Mater Ecclesia.

61. An ergò et hic ipse Theologorum princeps, ac Coriphæus, S intelligentiæ, et huic lucis mysterio suo calculo favet ? certè sic es et quidem præ cæteris omnibus copiosiùs, expressiùs, et luculenti Hic unus præ cæteris in hanc descendit arenam, et hoc idem arg mentum, non incidenter, non oscitanter, non paucis sententiis : s ex professo, sed diligenter, sed integris Capitulis, longioribus Tr

tatibus, ac Libris tractavit, explicavit, defendit ut verear me temeritatis notam incurrisse, quod rem à tanto Doctore tam lucidè positam, toties expositam, declaratam, defensam, probatam ; ausus fuerim ad incudem denuò revocare, et iterùm declarare : vel potius verbis meis obscuris magis obumbrare, obfuscare. Fortè satiùs, æstimo fuisset, si solum digito, aut calamo, luculentiùs monstrâssem, hanc Augustini sententiam citra controversiam semper fuisse, id est, DEUM Ter Optimum Maximum cuique (advertere volenti) clariùs lucere : DEUM ipsum rationem esse, veritatemque, quam inquirimus, inquisitæ acquiescimus, eamdemque discendo intueri conamur : Uno Verbo, DEUM esse unicum internum mentium nostrarum Magistrum, qui nos omnia intelligibilia intùs doceat.

62. Augustinum, Ecclesiæ lucidissimum jubar, sentire, quòd DEUS sit immediatus mentis creatæ illuminator, qui omnia nos intùs doceat, sicut et ego sentio, sentio tam verum esse, quàm verum est Augustinum esse Augustinum, et alium quemque, esse illum ipsum, qui est. Provoco ad experientiam ; et ut ex Augustino considerentur sequentia : omnia tamen aliorum saniori supponens judicio.

Primò enim certum est, S. Augustinum plurimis in locis Operum suorum passim huc respicere. Quinimò [ut loquitur Seraphicus Doctor, expertissimus in Lectione sancti Viri, de Reductione artium : ibi, *Reductio Philosophiæ*] per hoc idem Argumentum et contemplationem, *Augustinus in multis libris manuducit, ad Divinam Sapientiam*. Unde passim hic Sanctus mentionem ingerit lucis Domini incommutabilis : passim ait : Unum Christum Sapientiæ, ac Scientiæ Magistrum esse : Ipsum DEUM esse lucem, et lumen mentis humanæ : solum DEUM esse veritatem, cætera omnia vanitatem : DEUM intrò in homine habitare, ac eumdem veritatem edocere : se neutiquam extra se DEUM invenire potuisse : sed benè intra se, in memoriâ suâ; super mentem suam : ibi se DEUM invenisse, ubi veritatem invenit : ibi DEUM reperiri, ubi sapit veritas ; DEUM esse veritatem, etc. Ex multis locis pauculos accipe Textus.

§ I.

Testimonia D. Augustini ex Libris Retractationum : To. 1.

SUMMARIUM. — 63. Testimonium ex Libris Retractationum Lib. 1. Cap. 4. et 12. — 64. D. Augustinus improbat reminiscentiam Platonis, tum Lib. 1. Retract. Cap. 4. — 65. Tum Libro 12. de Trinitate Cap. 15. ubi refert sensum Platonis de reminiscen-

tia. — 66. Qualiter Plato probaverit, quod discere sit solùm reminisci. — 67. D. Augustinus refutat argumentum et experientiam Platonis. — 68. Mens D. Augustini expenditur et declaratur. — 69. Sicut oculis carnis per lucem corpoream de novo videt corporea priùs nunquam visa ; ita mentalis oculus videt per lucem incorpoream objecta intelligibilia priùs nunquam scita. — 70 D. Augustinus per hoc incorporeum lumen, ex cujus radiatione res primò discimus intelligit ipsum DEUM. — 71. Aliud D. Augustini testimonium, quòd solus DEUS sit Magister Scientiæ, 1. Retract. Cap. 12. — 72. D. Augustinus à juventute usque in senium in hâc perduravit firmus sententiâ.

63. Clara sunt, quæ Libro 1. Retract. Cap. 4 et 12. habet. Nam circa finem Cap. 4. docet, et dicit, contra Platonem : Scientias non erui discendo, veluti priùs existentes, sed obrutas : at omninò de novo acquiri ob præsentiam luminis rationis æternæ, in quo hæc vera immutabilia conspiciuntur. Ergò secundùm S. Augustinum, præsentia luminis rationis æternæ (quæ DEUS est) causat Scientiam.

64. Antequam ulteriùs pergam in Testimoniis ex Divo Augustino proponendis, volo eumdem vindicare, ab injuriâ, quàm eidem arrogari ab uno alterove observavi : quasi Divus Augustinus in eâ Platonis hæsisset sententiâ, veluti si discere nostrum aliud non esset, quàm reminisci. Et quasi ad ejus mentem omnes scientiæ ab initio homini naturaliter inexisterent, et solùm oblivione obrutæ quodammodo, cùm discimus, refoderentur. Sed in hoc eodem loco reperio D. Augustinum hoc ipsum claris verbis improbare. Hæc enim ipsius clara verba sunt : *Item quodam loco dixi, quod disciplinis liberalibus eruditi, sine dubio in se illas oblivione obrutas eruunt discendo, et quodammodo refodiunt. Sed hoc quoque improbo. Credibiliùs est enim, propterea vera respondere de quibusdam disciplinis, etiam imperitos earum, quando bene interrogantur, quia præsens est eis, quantum id capere possunt, lumen rationis æternæ, ubi hæc immutabilia vera conspiciunt, non quia ea noverant aliquando, et obliti sunt, quod Platoni, vel talibus visum est. Contra quorum opinionem quanta pro susceptâ operâ dabatur occasio in Lib. 12. de Trinitate, disserui.* Sic ille.

65. Et libro, quem citat, 12. de Trinitate, Cap. 15. sic eamdem reminiscentiam Platonis redarguit : Præmittens, si quid *omnimoda oblivione deletum fuerit,* novâ iterùm doctrinâ opus futurum. Mox refert, quid Plato senserit. *Unde Plato ille Philosophus nobilis persuadere conatus est, vixisse hîc animas hominum, et antequam ista corpora gererent. Et hinc esse, quòd ea, quæ discuntur, reminiscantur potiùs cognita, quàm cognoscantur nova.*

66. Sed quo argumento Plato hoc dogma reminiscentiæ demons-

trabat ? Pergit D. Augustinus : *Retulit* [Plato] *puerum quemdam, nescio quæ de Geometriâ interrogatum sic respondisse, tanquam esset illius peritissimus disciplinæ.* Ergo, volebat inferre Plato, iste puer debuit priùs jam ista scivisse, cùm aliàs interrogatus ea respondere non potuisset.

67. Sed quid Augustinus ? approbatne mentem et argumentum Platonis ? Neutiquam : sed refutat primò Platonis experientiam, quod enim ille puer ad interrogata geometrica ritè responderit, non ideo factum esse, ait, quia illa semel jam actu sciverit, sed quia per ordinatam et artificiosam interrogationem, illius mens manuducta fuit ad veram mentis lucem, quæ hominem de rebus omnino incognitis de novo instruit, quoties adest bonus et artificiosus monitor, qui bene et ordinatè interroget.

68. Hanc esse D. Augustini mentem patet ex propriis ejus verbis, sic enim ait, et causam dat, cur ille puer de ignotis responderit : Quia nimirùm *gradatim, atque artificiosè interrogatus, videbat, quod videndum erat, dicebatque, quod viderat* (Et sic omninò de novo didicerat, et non mirum, quòd bene respondere poterat. At si ex semel habitâ scientiâ sic respondisset, eo quòd semel geometra fuisset, sive) *si recordatio hæc esset rerum antea cognitarum, non utique omnes, vel penè omnes cùm illo modo interrogarentur, hoc possent : non enim omnes in priori vitâ* (quam Plato admittebat), *geometræ fuerunt, cùm tam rari sint in genere humano* (Geometræ) *ut vix possit aliquis inveniri.* Vult dicere, cùm soleant tam pauci dari geometræ inter homines, et tamen ferè omnes, si artificiosè, et gradatim [à magis notis ad minùs nota procedendo] interrogentur, bene respondeant, nullo modo dicendum erit, quòd ideo possint sic respondere, quasi semel fuissent Geometræ, sed quia cùm sic gradatim, et artificiosè interrogantur primum de novo discunt.

69. Sed dices, an ergo per verba interrogantis discunt ? Ergo Doctor creatus poterit intùs docere. Respondet D. Augustinus nullam esse consequentiam. *Sed potiùs credendum esse, mentis intellectualis ita conditam esse naturam, ut rebus intelligibilibus naturali ordine disponente Conditore* (en verus Magister !) *subjuncta* [Alii legunt, *subjecta*] *sic ista videat in quâdam luce sui generis incorporeâ : quemadmodum oculus carnis videt, quæ in hâc corporeâ luce circumjacent, cujus lucis capax, eique congruens est creatura. Non enim et ipse* (oculus carnis) *ideo sine Magistro alba et nigra discernit, quia ista jam noverat, antequam in hac carne crearetur.*

70. Sanctus Augustinus vult dicere, sicut oculus carnis beneficio

Solis vel lucis corporeæ, cujus capax est, de novo videt colores priùs nunquam visos, ita oculus mentis, beneficio Solis ac lucis incorporeæ ac intelligibilis, videt, et discit, et intelligit ea, quæ priùs nunquam viderat, et nunquam sciverat. Ex his apertè vides, quòd D. Augustinus et reminiscentiam Platonis, et Metempsycosim Pythagoræ [per verba sequentia, quæ hîc non retuli] confutaverit. Sed interim solicitè quæsieris, quid Augustinus per illud incorporeum doctrinale lumen intelligat, quo mediante de novo discimus? Respondeo ex mente D. Augustini esse ipsum DEUM, ut colliges ex dicendis, et jam patet ex dictis. Vide suprà Cap. 4. Num. 89.

71. Sed et hoc ipso eodem Lib. 1. Retractat : clarum Augustini testimonium habemus, quod nemo alius Magister sit, qui doceat scientiam (interiùs videlicet) nisi unus et solus DEUS. Sic enim loquitur Cap. 12. *Per idem tempus scripsi Librum, cui est titulus, de Magistro. In quo disputatur, et quæritur, et invenitur, Magistrum non esse, qui docet hominem scientiam, nisi DEUM : secundùm illud etiam, quod in Evangelio scriptum est : Unus est Magister vester Christus. Hic Liber sic incipit : Quid tibi videmur efficere velle, cùm loquimur.*

72. Hæc Augustinus, qui nec syllabam, nec iota de illo Libro corrigit, aut retractat Ergò à juventute (quando scripsit Librum de Magistro) usque in senium [quando scripsit Libros Retractationum] D. Augustinus perduravit in sententiâ, quam exarat Libro de Magistro (de quo infrà) ergò semper tenuit, quòd solus DEUS sive Christus possit docere. Et si hos Libros Retractationum, et decursum Librorum Confessionum [de quibus mox agam] diligenter percurreris, advertes, qualiter hic Vir sanctus per diligentem intuitum SOLIS INTELLIGENTIÆ, et lucis mentium, in jucundâ notitiâ Divinorum profecerit.

§ III.

* *Testimonia D. Augustini ex 1. Libro Soliloquiorum : To. I.*

. . . . . .

§ IV.

* *Testimonia D. Augustini, ex Libris de Civitate DEI.*

. . . . . .

§ V.

* *Testimonia D. Augustini, ex Tractatu* 40 *in Joannem.*

. . . . . .

§ VI.

* *Testimonia D. Augustini, ex Tractatu* 3. *in* 1. *Epistolam Joannis.*

. . . . . .

§ VII.

* *Testimonia D. Augustini, ex Tractatu de disciplinâ Christianâ.*

. . . . . .

§ VIII.

* *Testimonia D. Augustini, ex Tractatu de cognitione veræ vitæ.*

. . . . . .

§ IX.

Testimonia D. Augustini, ex Libro de Magistro. Tomo 1.

SUMMARIUM. — 151. D. Augustinus specialem Tractatum de solius Christi interno Magisterio conscripsit. — 152. Pro quo demonstrando à signis, seu verbis procedit. — 153 Homines usurpant verba docendi gratia. — 154. Homines docent commemorando. — 155. Scientiæ doctrina non fit auditione verborum (quæ pura signa sunt) sed inspectione mentali ipsarum rerum. Verba solùm attestantur ad credendum intentionem loquentis. — 156. Divisio verborum. Verborum speculatio ducit ad DEI contemplationem. — 157. Vires mentis exercitio acuendæ sunt, ut huic contemplationi aptæ fiant. — 158. Verba aliud physicè non sunt, quàm sonus, seu syllabæ, homo v. g. *ho* et *mo*. — 159. Hinc nihil nisi seipsa quatenus sonus sunt docent, et formaliter accepta ut signa possunt fallere, et in falsum conceptum ducere : nec suum significatum generant, sed supponunt. — 160. Verba, ut aliquid imperfectius ordinantur ad locutionem, hæc ad doctrinam, doctrina ad scientiam. — 161. Ergo verba non possunt causare scientiam, quæ est perfectior, sed solùm excitant mentem discipuli, et eam ad veram doctrinæ causam convertunt. — 162. Potest aliquid doceri absque verbis. — 163. Omninò nihil per verba intus docetur. — 164. Probatur quia primus verborum sensus præsupponitur scitus ante verba. — 165. Et hinc nescimus, quid sint *saraballa*, quia nunquam vidimus. — 166. Notitia rerum fit per visum, et non per auditum. — 167. Et si aliquid sola mente videri potest, tunc solus Christus, seu incommutabilis DEI virtus ac æterna veritas docet. — 169. Et ideo sicut de coloribus lucem, ita de intelligilibus interiorem veritatem consulimus. — 169. Et sicut cæcus non potest doceri colores, ita nec is, qui veritatis lucem non intuetur potest doceri intelligibilia. — 170. Ulterius probatur. — 171. Nemo citiùs discit, quàm idipsum in-

tueatur quod intuetur Magister. — 172. Falluntur homines, dum eos Magistros vocant, qui non sunt. — 173. Nemo eruditur, nisi qui mente suâ intro convertitur ad cœlestem Magistrum, qui Christus est. — 174. Epilogus D. Augustini circa Divinum Magisterium. — 175. Magistri creati suis verbis solùm monent ut aliunde addiscamus, juxta sensum D. Augustini. — 176. Ultima conclusio ex omnibus dictis. — 177. Mens Augustini aliorum calculo comprobatur. Et primò D. Thomæ. — 178. Testimonium S. Bonaventuræ de sensu Augustini. — 179. Verba D. Bonaventuræ. — 180. S. Augustinus non loquitur de solâ illuminatione supernaturali, sed etiam naturali. — 181. Probatur ex ejus propriis verbis de Magistro. C. 11. — 182. Augustinus etiam senex in hâc perduravit sententiâ. — 183. Testimonium Cornelii de Lapide de sensu Augustini. — 184. Testimonium alterius Theologi. — 185. Ergo juxta S. Augustinum verba hominis nec docent sensibilia nec intelligibilia, etc. — 186. Sed cognitio fit exhibitione rerum. — 187. Et quoad intelligibilia dum interiorem veritatem ratione consulimus. — 188. Et hæc veritas est Christus, Sapientia Patris. — 189. Conclusio cum oratione ad Christum.

151. Ex dictis vides, amice Lector, quàm variis in locis sanctus hic Doctor Christi immediatum Magisterium nobis repræsentatum reliquerit. Sed Augustino non sufficiebat, sæpiùs, ac veluti incidenter diversis in Libris rem hanc tetigisse : nec eidem satis se fecisse credidisset, nisi et specialem de illâ Tractatum composuisset, cujus unicus Scopus eò collimaret, scilicet, quòd solus DEUS sit, qui docet hominem scientiam ; quem idcircò : *De Magistro* nuncupavit : et eumdem pro suo legitimo fœtu agnoscit Lib. 9. Confess. Cap 6. et Lib. 1. Retract. Cap. 12. Hunc, etsi contentum in primo Tomo Operum S. Augustini, ideò ad calcem distuli, quia et lucidiùs, et fusiùs de solius Christi Magisterio eloquitur.

152. In hoc ergò Libro S. Doctor solius DEI verum Magisterium ad oculum demonstraturus, pro tantæ rei experimentali ostensione concludendâ, ab omnibus obviâ notitiâ, vel consideratione signorum, seu verborum, quibus ad loquendum utimur, negotium aggreditur, ut nimirum sufficienter præostenso, quod verba, seu locutio humana, discipulum internè scientiam e locere haud possint, dein faciliùs concludere valeat, non hominem ; sed solum DEUM vérum internum Magistrum esse : si enim homo doceret, id per verba, seu alia signa exteriora præstaret ; cùm in animam et mentem discipuli ipse personaliter intrare non possit.

153. Primis igitur 7. Capitibus subtiliter (nunc pro, nunc contra) inquirit quid, et quantum signa, verbaque efficiant ? Quid homines dum loquuntur intendant ? Et quidem si de hominum intentione sit sermo, primò statim, in limine Capitis primi, fatetur, ipsos loqui, verbaque usurpare docendi gratia : quin etiam tunc, quando aliquid interrogant ab aliquo ; volunt enim tunc interrogatum doceri, quid

interrogantes audire velint : imò et quandò orant DEUM, saltem per Orationis verba se orantes, aut alios auscultantes, commonefaciunt. Cantum verò solius delectationis gratiâ, absque animo aliquid significandi, negat esse propriam locutionem.

154. Sed ne credatur Divum Augustinum huic consuetæ hominum opinioni consentire, quasi per sua verba verè, ac propriè intus docere possent, occasione acceptâ ab eo, qui orat (qui orando, etsi se, vel alios aliquid priùs incognitum non doceat ; tamen rei jam scitæ, commonefacere potest) in ipso primo Capite rem attingit, quòd scilicet humanum docere nil aliud sit, quàm monere, seu commonefacere, seu facere, ut aliquis rei jam scitæ recordetur (id est saltem ex aliqua parte, seu in genere scitæ : nam reminiscentiam Platonis S. D. rejicit) consequenter non verum, aut internum strictum docere. Sic enim loquitur : *At ego puto esse quoddam genus docendi per commemorationem : magnum sanè, quod in nostrâ hâc sermocinatione res ipsa indicabit.* Mox explicat mentem. *Sed si tu* (Adeodate, cum quo Dialogum hunc pertractat) *non arbitraris nos discere* (aut verè doceri) *cùm recordamur, nec docere illum, qui commemorat ; non resisto tibi.* Id est consentio Hæc Augustinus, qui ut hanc mentem suam efficaciter comprobet, et ad oculum monstret per verba nil doceri : hæc fundamenta subtiliter præmittit ; ex quibus eorumdem verborum inefficacitas monstratur.

155. Et hinc Capite 2 ostendit verba nil aliud esse quàm signa (significant enim aut res, aut affectiones animi, aut rerum negationes, aut alia verba, seu signa). Et quidem mens S. Doctoris est, quòd sint pura signa, id est non practica, quæ ex se solùm significant, et nihil producunt. Hoc ostendit in sequentibus. Et ideo ne quis crederet aut verbis doctrinam effici, aut absque verbis neminem doceri posse, mox succedentibus capitibus, occasione tertiæ particulæ hujus Versûs Æneidos 2 *(si nihil ex tantâ superis placet urbe relinqui)* demonstrat non solùm res per verba, aut verba per verba ; sed etiam ipsasmet res per ipsas res posse exhiberi, manifestari, declarari, et ostendi. Ut cum digito, aut aliis gestibus, absque voce, à surdis, vel histrionibus omnia fere, quæ aliàs loqui solemus, indicantur : vel cum absque ullâ voce, aut gestibus, quæsiti rem ipsam peragendo exhibemus. V. gr. cùm interrogatus, quid significet verbum, *ambulo*, si loco responsionis in præsentiâ interrogantis ambulem. Nimirum Vir DEI per hoc intendit suo Adeodato verborum insufficientiam ad causandam scientiam, à longè, et ut ita dicam ab ovo, demonstrare. Siquidem, ut in posterioribus ad oculum probat, et ostendit, ipsam rerum

scientiam non acquirimus per audita verba, sed potiùs ex intuitu rerum, et ipsiusmet veritatis : ita ut res sensibiles oculo, et inspectione sensibili ; res intelligibiles verò oculo, et inspectione mentali addiscamus, per ipsa autem præcisa verba loquentis Magistri non rerum scientiam, sed solam loquentis intentionem, sive attestationem ; seu humanam fidem, et opinionem concipere valemus. Hic est D. Augustini intentus Scopus, quem tamen in primis 7. Capitibus non apertè, sed solùm obscurè declarat, mentem Adeodati suspensam relinquendo, quasi hisce apparenter levibus quæstiunculis nihil serium, sed puras quæstiones grammaticales pertractaret. Et hoc ideò, ut paulatim, et gradatim ejus mentis aciem ad hoc subtile lucis mysterium disponeret.

156. Itaque postquam Cap. 5. more scholarum declarâsset verborum significantium differentiam (quod alia se mutuò significent, alia non mutuò ; alia æquè tantùm, alia non æquè tantùm ; alia idem valeant tanquam synonyma) facturus transitum ad ipsum principale argumentum, sic Adeodatum Cap. 8. alloquitur : *Sed quònam tantis ambagibus tecum pervenire molior, difficile dictu est hoc loco. Tu enim fortassè aut ludere nos, et à seriis rebus avocari animum, quasi quibusdam puerilibus quæstiunculis arbitraris ? aut parvam, vel mediocrem aliquam utilitatem requirere ? — Ego autem credas velim, neque me vilia ludicra hoc instituisse sermone : quamvis fortassè ludamus, idque ipsum tamen non puerili sensu, etc.* Imò adjungit, se per hunc suum institutum dialogum, non parva, aut mediocria bona cogitare : *sed vitam quamdam beatam, eamdemque sempiternam, quò nos DEO duce, id est ipsa veritate, gradibus quibusdam infirmo gressui nostro accommodatis perduci cupiam.* Sic Augustinus. Nimirum per hanc beatam vitam intelligit felicem contemplationem, seu intelligentiam, et amorem æternæ lucis, quò se, ac Adeodatum per hanc (non rerum, sed verborum, seu signorum) speculationem pertrahere cupit. Unde subjungit eodem Capite 8.

157. *Dabis igitur veniam si præludo tecum, non ludendi gratia, sed exercendi vires, et mentis aciem, quibus Regionis illius, ubi beata vita est, calorem, ac lucem, non modo sustinere, verum et amare possimus.* Quia nimirum hæc subtilis materia requirit exercitatam mentem, quæ per hunc longiorem discursum paulatim acuitur, et capax redditur ad intelligenda hæc subtilia.

Verborum improportionalitas ad docendum ostenditur.

158. Post hæc sanctissimus, illuminatissimus Vir propiùs acces-

surus ad suum intentum, incipit eodem Cap. 8. declarare improportionalitatem verborum ad docendam scientiam; ut eâ probatâ faciliùs ostendere possit necessitatem alterius interni, ac Divini Doctoris, qui sine verborum strepitu doceat. Ait ergò, Nomina, seu Verbalia signa intrinsecè, et secundum se considerata, nil prorsus aliud esse, quàm sonum; seu vocem ex syllabis compositam: v. g. *Homo* (hoc nomen) nil aliud esse, quàm has binas syllabas, *Ho*, et *mo*; *Leo*, esse *Le* et *o*, nihil aliud. Unde si à suppositione materiali fit transitus ad formalem, vel è contra, fit sophistica fallacia, prout S. Augustinus, ad hoc explicandum, illudit Adeodato, ipsum non esse hominem, cùm non sit *Ho* et *mo*. Et leonem tam magnam bestiam, ex alicujus hominis ore processisse, quia syllabæ *Le* et *o* ex ore illius processerint. Dubitanti ergò, quo sensu nomen accipiatur (num pro re ipsâ significatâ, vel pro syllabis, ac sono) priùs dicitur esse distinguendum (quo sensu accipiatur) et postea respondendum.

159. Ex his Sanctus innuere vult, quòd verba nil nisi seipsa materialiter doceant: formaliter verò non solùm non possint docere, sed magis fallere: videlicet, si secundùm se spectentur In aures autem discipuli non aliter verba incurrunt, quàm ut per se spectata, id est, ut nihil aliud, quàm ipsum sonum importantia; quia sensus, quo à loquente accipiuntur ab ipsis verbis menti audientis non infertur, nec declaratur, sed supponitur jam sciri. Ergò vult Augustinus per hunc suum discursum ostendere, quod Magistrorum verba non possint docere, quia non possunt generare significatum suum, cùm potiùs eumdem menti discipuli supponant in esse; ut ex sequentibus liquidum erit.

160. Ulteriùs progreditur in ostendendâ hâc verborum improportionalitate ad docendum. Et pro hoc supponit Cap. 9. res significatas per verba longè plus à Doctore, vel discipulo intendi, ac æstimari, quàm ipsamet verba. Unde verbis prolatis, ac auditis ad res significatas, velut nobiliores, et magis æstimatas audientis mox fertur intentio. Et, ut noverunt Philosophi, id quod ad aliud ordinatur est ignobilius eo, ad quod ordinatur: cùm ergo verba ordinentur ad locutionem, et locutio ordinetur ad doctrinam, et doctrina ordinetur ad scientiam, sequitur verba esse quid ignobilius locutione, et locutionem quid ignobilius doctrinâ: et tam verba, quàm locutionem quid ignobilius doctrinâ; et tam verba quam locutionem, et doctrinam quid ignobilius ipsâ scientiâ; quæ ultimò per hæc assignata intenditur. Consequenter ipsa scientia rerum, seu cognitio ipsarum rerum per verba significatarum, erit longè præferenda, et magis æstimanda, et

intendenda, quàm ipsa verba, seu signa : aut eorumdem rerum notitia.

161. Sanctus per hæc insinuare vult, quòd verba, seu verbalia signa seipsa, præcisè ut sonus, ac syllabæ sunt, doceant : non autem scientiam verè causare possint : quia causa debet esse dignior, et nobilior suo effectu : verba autem, sicut et verborum cognitio, ac usurpatio sunt longè minoris dignitatis, quàm ipsa scientia, seu rerum cognitio : quia ad hanc, veluti ad suum finem illa ordinantur; sed id, quod ordinatur ad aliud, est minoris æstimationis, quàm illud, ad quod ordinatur. Porrò licet verba, et verborum usurpatio sint media ad scientiam, non ideò causant, aut efficiunt scientiam : sed suâ significatione, quam habent ad placitum (quam menti audientis non inferunt, sed supponunt inesse) monent discipulum, ut oculum mentis elevet ad veram scientiæ causam, id est, ad lumen æternæ veritatis, cujus notitia in mente generatur (æterno intelligentiæ Sole radiante ; ipsâ mente sedulò attendente ; et verbis monentibus, ut attendat) dum verbali signo species intelligibilis suscitatur, et evocatur, ut in medium compareat, sed adhuc fallibiliter. Et hoc est, quod vult S. Doctor, dum pro, et contra disputat cum Adeodato, an verba sint ita necessaria media ad scientiam, ut vel per illa efficiatur scientia, aut sine illis nulla possit acquiri scientia.

Conclusio D. Augustini.

162. Igitur Vir DEI ex mente suâ duo asserit, et concludit. Primò aliqua posse sciri, et doceri absque ullis verbis, aut signis. Secundò quin ampliùs, omninò nihil per verba, aut per signa doceri, aut disci. Quoad primum igitur, id est, quædam absque ullis verbis, et signis sciri, ac doceri posse, Cap. 10. ex practicis demonstrat exemplis. V. gr. cùm auceps, instrumentis ad capiendas aves instructus, occurrit : et tu quid illa instrumenta velint ignores, si ille sua instrumenta, te vidente, explicet, et avem figat, et capiat, ipso facto, absque verbis te docet, quid illa sua instrumenta significent. Item nonne in Comœdiis, et Spectaculis multa millia docentur sola exhibitione rerum, absque signis verborum. Tertiò : Nonne DEUS, et natura tibi Solem, ejusque lucem (omnia illustrantem, et vestientem) Lunam aliaque sidera, terram, mare, et in his contenta ; absque verbis statim per seipsa cernenti exhibet, et ostendit ? Ergò aliquid saltem doceri possumus absque verbis, concludit S. Vir.

163. Idem Augustinus accedit alteram conclusionis partem, quo

videlicet omninò nihil per verborum signa doceamur. Sic enim Vir DEI ratiocinatur : *Quod si diligentiùs consideremus, fortassè nihil invenies, quod per sua signa discatur*. Hanc suam conclusionem, velut principale intentum totius Libri de Magistro, probat in sequentibus. Cujus argumentationem in pauciora sic contraho, ut tamen sensum verborum integrum servem.

164. Cùm aliquod signum (reale, aut verbale) coram te audiente, aut aliter sentiente, profertur, et exhibetur, vel jam priùs scis, quam rem illud significet ? Si jam priùs scis, ergò per illud nihil novi discis : si enim aliquid disceres, disceres id quod signum significat ; consequenter tale significatum deberes priùs ignorare. Sed ponamus, quod non scias, quid signum significet (ut si quis hebraicè, vel aliâ tibi ignotâ linguâ loqueretur) tunc etiam nihil disces. Mens S. Viri est, quòd primus verborum sensus non efficiatur à verbis ipsis, sed magis ex inspectione rerum addiscatur. De quo plura Cap. 7. Nisi enim hominem ridentem aliquando vidissem non possem scire quid risus significet.

165. Et hoc ipsum [etsi per se clarum] sic ab Augustino probatur. Audito Textu Danielis 3. v. 94. *Et Saraballa eorum non sunt immutata*, nihil discis, eo quod nescias, quid *Saraballa* significent. Sed ponamus per illa Capitum tegmina significari [communiter tamen nunc braccas, seu fæmoralia interpretantur] nec ut sic ad præcisam prolationem hujus nominis quidquam disces, non enim ex auditu cognovisti, quid sit caput, et quid sit tegmen ; nec horum notitia tibi facta est, cum ab aliis sic appellarentur ; sed cum à Te oculis viderentur. Licet enim millies ad tuas aures verbum *Caput*, et verbum *tegmen* inclamatum fuisset, nunquam illorum notitiam imaginari potuisses, nisi postquam illam propriis oculis imbibisses. Postquam autem res ipsas, quæ dicuntur *Caput*, et *tegmen* sæpiùs vidisti (quæ res erant tibi notissimæ ex ipso visu, non ex auditu) et sæpiùs animadvertisti ab hominibus taliter appellari : tunc primum didicisti hæc nomina significari Caput, et ejus tegmen : scilicet post, non ante notitiam rerum : et advertisti esse vocabula rerum tibi notissimarum, non ex auditu, sed ex ipso visu. Et sic, *Caput* vox prolata ad aures illius, qui caput nullum vidit, erit quidem sonus (hic enim percipitur pulsatione ipsius auris) sed minimè erit ei signum ad intellectum (nam ipsa actualis signi intellectiva notitia non aliter fit, quàm ex aspectu rei significatæ) ergò potiùs post jam cognitam, et mente visam rem addiscimus ejus signum : ex puro autem signo nunquam cognoscimus, nec addiscimus rem. Ergò per verba nihil

discimus; sed potiùs rebus, jam scitis, verba intelligimus. Imò (addit S. Pater) etiam casu quo mihi exhiberentur *Saraballa*, et diceretur ab exhibente : Ecce *Saraballa !* adhuc non discerem quid sint *Saraballa* per ejus verba, sed potiùs per meos oculos, quos ad nudam admonitionem ipsius exhibentis projeci in Saraballa, quorum notitiam videlicet acquisivi ex visu, non ex verbis alienis.

166. Uno verbo, Vir illuminatissimus vult omnium rerum notitias hauriri à nobis per visum (corporis, aut mentis; prout res est, quæ videtur aut sensibilis, aut intelligibilis), non ex auditu : fides enim habetur, juxta Divum Paulum, ex auditu; notitia autem ex visu. Et hoc ampliandum est, sive loquamur de ipsâ nòtitiâ rerum, sive de intelligentiâ verborum. Sic enim loquitur Augustinus Cap. 11. *Hactenùs verba valuerunt, quibus ut plurimùm tribuam, admonent tantùm, ut quæramus res, non exhibent, ut noverimus. Is me autem aliquid docet, qui vel oculis, vel ulli corporis sensui, vel ipsi etiam menti præbet ea, quæ cognoscere volo. Verbis igitur, nisi verba non discimus; imò sonitum strepitùmque verborum : — rebus ergò cognitis, verborum quoque cognitio perficitur : Verbis verò auditis nec verba discuntur.* Significatio enim [ut addit] *non auditione vocum emissarum, sed rerum significatarum cognitione contingit.* Hæc ille. Additque, vel proferri verbum ad illum, qui jam scit ejus significatum [sic per tale verbum solum oritur commemoratio rei jam scitæ, non doctrina, vel nova scientia] vel proferri ad illum, qui non scit ejus significatum (et sic iterùm non discet, sed ad summum posset per illud moneri, ut inquirat, et discat, non actu discet) Pari sensu tota illa verbalis historia de 3 pueris, Azariâ, Misaële, et Abdenago, (et omnibus ibi narratis) nihil juvat ad intelligendum, vel cognoscendum : solùm credo, non intelligo ea, quæ ibi dicuntur. Credere autem, et intelligere sunt valde distincta; juxta illud Is. 7. v. 9. *Nisi credideritis non intelligetis* : [sic vertunt Septuaginta, nunc legitur *non permanebitis*] *quòd non dixisset profectò, si nihil distare judicâsset. Omne* enim, *quod intelligo scio,* sed *non omne, quod credo* intelligo, aut *scio,* licet credam esse utile multa credere, licet non sciam. Hæc Augustinus quoad sensum nihil immutata : licet pleraque brevitatis causa contraxerim. Quod verò utile sit multa credere, quæ non scimus nec per rationem intelligimus, D. Augustinus composuit integrum Librum *de utilitate credendi* ad Honoratum, contra Manichæos, qui nihil volebant credere nisi et per rationem intelligerent, unde vetus Testamentum et alia plura negabant. De quo et in Libris Confessionum multiplex fit mentio. Redeo ad Librum de Magistro.

167. Post hæc facit transitum ad ea, quæ oculis, vel sensibus carni nequeunt videri; sed per solum intellectum : Cùm enim dixerit illa sensibilia, et sensibus exposita, ut talia, addisci non per verba, sed per sensibilem aspectum : posset aliquis quærere, qualiter intelligibilia, quæ in sensum corporis per se non incurrunt, addiscantur, proinde sic respondet, et decidit, quis sit verus, ac proprius Doctor, et Magister rerum intelligibilium, ac scientiarum. *De universis autem, quæ intelligimus non loquentem, qui personat foris, sed intus ipsi menti præsidentem consulimus veritatem, verbis fortassè, ut consulamus admoniti.* At dicet aliquis, quæ sit illa internæ menti præsidens veritas, quam ad intelligendum semper consulimus? Respondet his verbis : *Ille autem, qui consulitur docet, qui in interiore homine habitare dictus est Christus, id est incommutabilis DEI virtus, atque sempiterna sapientia, quam quidem omnis rationalis anima consulit, sed tantùm cuique panditur, quantùm capere propter propriam, sive malam, sive bonam voluntatem potest. Etsi quandò fallitur, non fit vitio consultæ veritatis; ut neque hujus, quæ foris est, lucis vitium est, quod corporei oculi sæpè falluntur : quam lucem de rebus visibilibus consuli fatemur, ut eas nobis, quantum cernere valemus ostendat*

168. Et iterùm Cap 12. *Quod si et de coloribus lucem, et de cæteris, quæ per corpus sentimus elementa hujus mundi, eademque corpora, quæ sentimus, sensusque, ipsos, quibus tanquam interpretibus, ad talia noscenda mens utitur : de his autem, quæ intelliguntur, interiorem veritatem ratione consulimus : quid dici potest unde clareat, verbis nos aliud discere, præter ipsum, qui aures percutit, sonum!* Ita loquitur S. Doctor de utroque genere cognoscibilium, id est, vel incurrentium in sensus, vel solo intellectu perceptibilium. Unde servatâ eâdem similitudine, et comparatione ulterius intentum probat [scilicet quemque solo visu, et propriâ experientiâ doceri] sensum ejus, non singula verba profero.

169. Ait ergò : Et sicut interrogati de coloribus, et aliis sensibilibus non possumus ea docere, nisi illos tantùm, qui et sensibilem hanc lucem, et dicta sensibilia intuentur, aut intuiti sunt? sic nec de intelligibilibus poterimus aliquem docere, nisi et ipse illam interiorem lucem veritatis intueatur, *quâ ipse, qui dicitur homo interior illustratur, et fruitur*, quâ intelligibilia fiunt intellectione præsentia, quæ et si auditor videt, *suâ contemplatione, non meis verbis novit, DEO ipsis rebus intùs pandente manifestiùs* : de quibus et ipse *interrogatus respondere posset.*

170. Hæc Sol Ecclesiæ, addens. Quidquid alteri asserueris, cujus

internam intelligentiam is non habuerit, per tuam assertionem non addiscet, vel enim tuæ assertioni assentitur [sic erit fides humana, vel opinio] vel dissentit, et contradicit; sic erit error (si tu rectè asseris) vel nec consentit, nec dissentit : sic erit dubius : at nunquam per tua verba sciet, nisi et is possit internam lucem videre, quam tu vides. Et Cap. 13. ad oculum probat verba loquentis minimè esse infallibilia signa, quod loquens aut vera dicat, aut sic velit intelligi : quia et mens loquentis occulta est, et veritas non verbis, sed mentis oculo percipitur.

171. Denique Cap. 14. sive ultimo, ait : Discipulos mitti ad scholas, ut res ipsas addiscant, non quid Magister cogitet : nec post explicationem extrinsecam Magistri, citiùs discipulum doceri, quàm interiorem illam veritatem, quam intuetur Magister, et ipse pro viribus intueatur ; tunc primùm discere, et laudare Magistrum, non tam ut Doctorem, quàm ut doctum. Sic Vir sanctus loquitur.

172. At inquies, communiter æstimatur ab hominibus, quòd creati Magistri veri sint Magistri, et verè intus doceant? Respondet S. Vir : *Falluntur autem homines, ut eos qui non sunt, Magistros vocent, quia plerumque inter tempus locutionis, et tempus cognitionis, nulla mora interponitur. Et quoniam post admonitionem sermocinantis citò intus discunt, foris se ab eo, qui admonuit, didicisse arbitrantur.* Sed *falluntur*, juxta S. Augustinum, quia quæ solùm concomitanter ad invicem se habent (ut *admonitio* Magistri creati, et internum *discere*) non causantur ab invicem : sicut nec is, qui monet coquum, ut lignum igni apponat ; aut apponit lignum, et minùs illud comburit, sed est simplex monitor. Pari modo res se habet juxta S. Augustinum, cùm homines alios docent. Unde subjungit, se ista suo Adeodato ideò declaràsse, ne plus verbis detur, quàm oportet : *Ut jam non crederemus tantùm, sed etiam intelligere inciperemus, quàm verè scriptum sit,* Math. 23. *Ne nobis quemquam Magistrum dicamus in terris, quòd unus omnium Magister in cælis sit. Quid sit autem in cælis docebit ipse, à quo etiam per homines signis admonemur et foris ; Ut ad eum intrò conversi erudiamur : quem diligere, ac nosse beata vita est,* [scilicet, quam suprà Adeodato promiserat, per hunc suum dialogum demonstrare] *quam se omnes clamant, quærere* [sed proh dolor] *pauci autem sunt, qui eam verè se invenisse lætentur.* Ita ille.

173. Ergò juxta S. Augustinum nullus eruditur, nisi qui suâ mente intrò convertitur ad cœlestem Magistrum Christum, *quem diligere, ac nosse beata vita est* : juxta illud Christi Domini apud Joannem

Cap. 17. v. 3. *Hæc est autem vita æterna : ut cognoscant Te solum verum DEUM, et quem misisti JESUM Christum*

Epilogus Augustinianæ mentis circa Divinum Magistrum.

174. Tandem Vir illuminatissimus sic Librum de Magistro, Divinumque Magisterium concludit [et ego cum ipso Augustinianis Testimoniis, in favorem Solis intelligentiæ adductis, per hæc verba finem impono] *Sed jam mihi dicas velim, quid de hoc toto meo sermone sentias ? Si enim vera esse, quæ dicta sunt nosti, etiam de singulis sententiis interrogatus ea te scire dixisses. Vides ergo à quo ista didisceris : neque enim à me, cui roganti omnia responderes. Si autem vera esse non nosti, nec ego, nec ille te docuit. Sed ego, quia nunquam possum docere : ille quia tu adhuc non potes discere.* Fuerat enim Adeodatus adolescens 16. Annorum, non adultior. Quem loquentem, ac respondentem, et dialogo finem imponentem sic introducit : *Ego verò didici admonitione verborum tuorum, nihil aliud verbis quàm admoneri hominem, ut discat : et perparum esse, quod per locutionem aliquanta cogitatio loquentis apparet. Utrum autem vera dicantur, cum docere solum, qui se intus habitare, cum foris* [id est in mundo conversans] *loqueretur admonuit. Quem jam favente ipso tantò ardentiùs diligam, quantò ero in discendo provectior.* Hæc Adeodatus, vel potiùs S. Augustinus in personâ Adeodati.

Sensus Augustinianæ mentis expenditur.

175. Videas ex his, amice Lector, qualiter D. Augustinus mediante hoc toto ingeniosissimo, ac planè Divino Tractatu, clarissimè suam mentem mundo demonstraverit : in quâ usque ad obitum firmus permanensit, nec unicum iota retractavit, ut ex Libris Retractationum compertum est. Sensit ergò Augustinus, Magistros creatos, suis verbis solùm monere, ut discipuli aliunde res scibiles addiscant, non autem verè eos aut intus docere posse ; aut discipulos certos reddere, quòd ii non decipiant, nec mentiantur, sed vera dicant : Quod mihi et D. Paulus insinuasse videtur, cùm ad Romanos sic scribit, Cap. 15. v. 14. *Quoniam et ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientia, ita ut possitis alterutrum monere.* En quid Magistro creato sua scientia conferat : confert posse monere, non posse intùs docere, aut certifi-

care, quod verum dicat : sed hoc totum ille solus potest, qui est *Lux mundi, Lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Qui cùm in mundo ad instar creatorum Magistrorum foris per verba loqueretur, sæpiùs homines admonuit, se intus in nobis habitare. Ut quandò dixit Joan. 14. v. 20. *In illo die vos cognoscetis, quia ego sum in Patre meo, et vos in me, et ego in vobis*. Et v. 21. *Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo ; et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum*. Et iterùm : *Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus*. Et Cap. 15. v. 4 sic de hâc internâ suâ habitatione loquitur : *Manete in me, et ego in vobis ; sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites : qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere*. Et suprà Cap. 8. v. 25. *Principium, qui et loquor vobis*. Videlicet non solùm ad aures corporis, sed etiam ad interius cor, seu internam mentem. Quæ principaliùs quidem de Christo inhabitante per gratiam, minùs principaliter de inhabitante per lumen naturæ intelligenda sunt.

176. Ergò verum est, Evangelio attestante, Christum DEI Verbum intus in humanâ mente habitare, et ad nos velùt internum Magistrum loqui, et verba facere : Ergò verùm est, ut à capite hujus Sect. Num. 61. 62. asserui, Christum, sive DEUM, ad mentem Augustini, unicum mentium nostrarum internum Doctorem, ac Magistrum esse. Ergò et verum credatur, Augustinum mecum in doctrinâ Solis intelligentiæ convenire. Provoco Lectorem ad experientiam. Et si mihi de Augustini mente asserenti non credit ; ea, quæ hîc fideliter ex ipso citata posui, oculis legat propriis, et seriò perpendat. Aut si fortè mihi alleganti diffidit, ea in ipsomet fonte et legat, et iterùm legat. Ubi si ea, ut transcripsi, exarata invenerit, etiam mecum sentire non displiceat, videlicet Divinam interiùs radiantem lucem, et ejusdem lucis internam vocem loquentem, unicum mentis creatæ interiorem Magistrum asserendo : ne ambo fateri cogamur, totius Ecclesiæ lucidissimum jubar in hisce, quæ tam sæpè ac multipliciter repetit, falsa dicendo aberrâsse : quòd vix alicui in mentem ut verisimile occurret.

Sensus, ac mens Augustiniana, et aliorum calculo comprobatur.

177. Sed ne temeritatis arguar in exponendâ D. Augustini mente, quasi unus ego et solus sic, et in hunc sensum Augustiniana verba intelligerem, volo et aliorum opinionem desuper explorare, an et illi

sic explicent Augustinum. De Angelico Doctore habes clara verba, Q. de Magistro a. 1. ad 8. *Ad octavum dicendum, quòd Augustinus, in Libro de Magistro, per hoc, quod probat, solum DEUM docere, non intendit excludere, quin homo exteriùs doceat, sed quia solus DEUS docet interiùs*. Ergò Doctor Angelicus sentit de Augustino, quòd dixerit solum DEUM interiùs docere posse. Vide suprà Cap. 3. Num 76. Et in aliis quoque locis D. Thomas fatetur, hanc fuisse Augustini mentem; eumdemque Platonem sequutum fuisse, in iis nimirùm, ubi Plato conformiter fidei ac veritati loquutus erat, sed alia fidei adversa D. Augustinum rejecisse, aut in melius commutasse. Vide D. Thomam 1. p. q. 84. a. 5. Et de spiritual. creat. a. 10 ad 8.

178. Præter Virum hunc et Doctorem Angelicum, adduco et Seraphicum, ipsum quoque rei hujus testem integerrimum, Augustinianæ mentis interpretem nulli secundum, et in ejusdem illuminatissimi Doctoris Ecclesiæ Libris, non minùs quàm D. Thomam versatissimum. Si de hoc dubius hæres Lector, lege principium Pharetræ, ubi D. Bonaventura recenset, quid de Libris Augustini legerit, et miraberis, an præter tam continuum legere, aliud quid facere potuerit Bonaventura. Quid ergò pronuntiat de Augustini sensu Doctor Seraphicus ?

179. Habeo de hoc claram Bonaventuræ sententiam Tractatu de Reductione artium ad Theologiam, ubi loquitur de variis scientiarum luminibus. Hîc enim cùm pervenisset ad lumen sermonis, taliter et de hoc lumine, et de mente Augustini enuntiat. *Sic est* [lumen sermonis] *ad experimendum, ad erudiendum, et ad movendum : sed nunquam exprimit aliquis, nisi mediante specie ; nunquam docet, nisi mediante lumine arguente : nunquam movet, nisi mediante virtute : et sic constat, quod hoc non fit, nisi per speciem, et lumen, et virtutem intrinsecam, intrinsecus animæ unitam. Et ideò concludit Augustinus, quod ille solus est verus Doctor, qui potest speciem imprimere, et lumen infundere, et virtutem dare cordi audientis.* (notetur). Adjungit statim : *Et hinc est, quod Cathedram habet in cœlo, qui intus corda docet : sicut ergò nihil cognoscitur per sermonem perfectè, nisi mediante virtute, lumine et specie, unitis animæ : sic ad hoc, ut anima erudiatur ad DEI cognitionem, per ipsius internam locutionem necesse est, quod uniatur ei, qui est splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus, portans omnia verbo virtutis suæ. Ex quo patet, quàm mira est hæc contemplatio, per quam Augustinus in multis Libris manuducit ad Divinam Sapientiam.* Hæc Bonaventura expertissimus in Augustino de ejusdem Celeberrimi Viri sensu circa hoc lucis mysterium. Et 2.

d. 24. q. 4. sic ait : *Anima secundùm mentem immediatè habet à DEO illuminari, sicut in multis locis Augustinus ostendit.* Hæc ille. Ergo juxta D. Bonaventuram Augustini sensus fuit, quòd solus DEUS sit verus Doctor, qui intus corda docere potest : qui et speciem imprimat, et lumen infundat, et virtutem cordi tribuat : ita ut si anima erudienda sit ad DEI cognitionem, per ipsius internam locutionem, necessariò uniri debeat ei, qui est *splendor gloriæ et figura substantiæ ejus, portans omnia verbo virtutis suæ,* id est, Christo. Et quod solus DEUS mentem creatam immediatè illuminare possit.

SENSUS ET MENS D. AUGUSTINI NON ARCTATUR AD LUMEN GRATIÆ, SED EXTENDITUR AD NATURALE LUMEN SCIENTIFICUM.

180. Et ne dicatur S. Augustinum intelligendum esse de solo lumine supernaturali gratiæ, vel fidei ; quasi dicere vellet, solum DEUM lumen gratiæ infundere, ac supernaturales res fidei docere posse : Ostendo contrarium ex toto contextu locorum S. Augustini ex Libro de Magistro citatorum, qui satis clarè loquuntur de notitiâ scientificâ, non de notitiâ fidei, aut alia supernaturali. Legatur etiam idem Sanctus Tom. 6. De utilitate credendi Cap. 11. ubi sic ait : *Quod intelligimus debemus rationi, quod credimus authoritati : quod opinamur errori. Sed intelligens omnis etiam credit : credit omnis, et qui opinatur : non omnis, qui credit, intelligit : nullus, qui opinatur, intelligit.* Hæc ille. Ergò S. Doctor distinguit ipsum intelligere ab assensu fidei : nam ut aliquid intelligamus facit ratio, ut verò credamus ipsa authoritas. In locis suprà citatis verò agit de ipso intelligere, seu intelligentiâ non de ipso fidei assensu.

181. Hoc clarè etiam patet ex ipsis verbis de Magistro, Cap. 11. ubi de historiâ trium puerorum Danielis 3. sic ait : *Hæc autem omnia — credere me potiùs, quàm scire confiteor : neque istam differentiam iidem ipsi, quibus credimus, nescierunt. Ait enim Propheta : nisi credideritis, non intelligetis ; quòd non dixisset profectò, si nihil distare judicâsset. Quod ergo intelligo id etiam credo ; at non omne, quod credo, etiam intelligo. Omne autem, quod intelligo, scio ; non omne, quod credo, scio.* Ita Augustinus de differentiâ inter credere, et intelligere, sive scire. Qui mox de Magistro hujus intellectionis, vel scientiæ, superiùs citata verba subjungit : *De universis autem, quæ intelligimus, non loquentem, qui personat foris, sed intus ipsi menti præsidentem consulimus veritatem, verbis fortassè, ut consulamus admoniti. Ille autem, qui consulitur docet, qui in interiore homine*

habitare dictus est Christus, id est incommutabilis DEI virtus, atque sempiterna Sapientia. Ergò S. Augustinus Christum non solùm fidei, sed etiam scientiæ immediatum Magistrum in allatis testimoniis constituit.

182. Nec valet, si dicatur Augustinum adhuc juvenem, et minùs expertum, cùm necdum Presbyter esset, hunc Librum de Magistro scripsisse : et sic facilè similia dicendo errare potuisse. Non valet, inquam, quia senior effectus, et brevi moriturus eumdem Librum confirmavit, ut patet ex Libro 1. Retractat. Cap. 12. Quos duos libros Retractat. sicut et Confessionum (ut patet ex Lib. 2. Retractat. Cap. 6.) et Tractatùs expositionum in Joannis Evangelium (ut patet ex citatis verbis : *Episcopus locutus est*) et in primam Joannis Epistolam ut patet ex primis verbis, quibus insinuat se in Evangelium Joannis priùs scripsisse) jam Episcopus, et senior factus conscripsit : Ergò usque ad mortem in hâc sententiâ perduravit. Nec desunt etiam Recentiores Theologi, qui mentem Augustinianam explicant eo modo, quo D. Bonaventura intellexit, et ego jamjam exposui intelligendam esse.

183. Doctissimus Cornelius de Lapide in Caput 23. Matthæi, super illa verba : *Nec vocemini Magistri, quia Magister vester unus est Christus*, sic ait : *Ipse enim* [Christus] *primo per se nos docet, præit, et ducit per viam virtutis ad cœlum, felicitatem et gloriam : cæteri verò docent priùs ab ipso edocti. Secundò cæteri docendo tantùm verba et voces exteriùs auribus insonant, velut cymbalum tinniens; sed Christus eorum sensa interiùs mentibus pandit, eosque luce doctrinæ suæ illuminat :* non enim homo intellectum homini præstat docendo, *ait S. Chrysostomus*, sed à DEO præstitum per admonitionem exercet. Et infrà. *Hâc de re S. Augustinus scripsit Librum de Magistro, de quo ipse Lib. Confess. Cap.* 2. [Est error impressoris, debet esse, *Lib.* 1. *Retract. Cap.* 12.] Sub idem tempus, *inquit*, scripsi Librum de Magistro, in quo disputatur, quæritur et invenitur, Magistrum non esse, qui docet hominem scientiam, nisi DEUM, secundùm illud, quod in Evangelio scriptum est : Unus est Magister vester Christus. *Unde Cap.* 11. (scilicet Libri de Magistro) *idipsum sic demonstrat* : De universis, *inquit*, quæ intelligimus, non loquentem, qui personat foris, sed intùs ipsi menti præsidentem consulimus veritatem, verbis fortasse, ut consulamus admoniti. Ille autem, qui consulitur docet, qui in interiore homine habitare dictus est Christus, etc. Hæc Cornelius de mente D. Augustini, cui et ipse exponendo subscribit.

184. Reverendus Pater Melchior Inchofer, in suo judicio, duplici

Libellulo lucis mentium affixo, fatetur, doctrinam hanc *disertis verbis, et genuino sensu* conformem esse D. Augustino : *idque nemo, nisi elementarius non deprehendit. — Habet Augustinum in Magistro Doctorem, in Confessionibus judicem.* Et infrà. *Augustino ubique ea* [Lux] *affulget, sive de doctrinâ Christianâ præcipientem audias, sive de Civitate DEI Platonicos laudantem, sive de SS. Trinitate subtiliùs disputantem, sive in Joannis Evangelio Theologicè exspaciantem attendas : sive denique ex immenso scriptorum ambitu creberrimè huc respicientem observes, etc.* Hæc ille.

MENS D. AUGUSTINI PER SYNOPSIM REPETITUR.

185. Concludamus ergò, hanc esse genuinam Augustini mentem, nullum hominem esse Magistrum [internum videlicet] qui nos doceat, sive sensibilia, sive intelligibilia : sed unumquemque illa docere aliunde. Et hìnc eos, qui videntur exteriùs esse Magistri, interiùs non docere ; sed suis signis, seu verbis [sive vocalibus, sive scriptis] admonere nos, ut animum convertamus in eum, qui immediatè nos docet. Verba enim, sepositâ significatione, sunt sensibilia quædam, nihil præterea. Si quidem sint scripta, sunt lineæ ductæ in tabellâ, seu cartâ, sic visibiles, ut reliqua colorata sunt visibilia : si autem sint vocalia, ea sunt sonus, seu voces, perinde audibiles, ac reliquus sonus. Ejusmodi verò exteriora sensibilium signa seipsa ingerunt, exhibent, ac loquuntur videnti, audienti, et imaginanti : et eatenùs seipsa sensibiliter docent, prout et se docet, ac manifestat quodque aliud sensibile. Is verò, qui characteres formavit, vel elicuit vocem, non ideò docuit, aut Magisterium suum implevit, quia vocem edidit, aut characteres formavit. Interim, illæ voces, ac characteres, dum se se insinuant oculis, et auribus, subeuntque sensorium intimum, secum vehunt significationem, quæ est evocatio sensibilis repositi in sensorio; quod sensibile eatenus accitum, momentò prodit in conspectum imaginantis : et hoc sensibile objectum est verus Magister, qui docet, seu qui efficit eam notitiam sensibilem, quæ desideratur : efficit autem non scribendo, aut vocaliter loquendo, sed repræsentando id, cujus est similitudo, animæ cognituræ ipsum sensibile. Vide quæ dicta fuerunt Cap. 3. Sect. 6. Num. 91 et 92.

186. Et hoc ipsum vult D. Augustinus cum verbis superiùs citatis, quæ habet Capite 11. de Magistro : *Hactenus verba valuerunt, quibus ut plurimùm tribuam, admonent tantùm, ut quæramus res, non exhibent, ut noverimus : is me autem aliquid docet, qui vel oculis, vel ulli*

corporis sensui, vel ipsi etiam menti præbet ea, quæ cognoscere volo. Verbis igitur nisi verba non discimus, imò sonitum, strepitumque verborum. Hæc S. Doctor. Consequenter ad mentem S. Doctoris rerum cognitio, sive sensibilis, sive intelligibilis fit à rebus, sive ex ipsarum rerum inspectione : et proindè ille solus docet, qui res, quas cognoscere volumus, potest cognoscitivæ potentiæ exhibere.

187. Porrò cùm aliud sit, sensibilia imaginari per phantasiam, et aliud res intelligibiles cognoscere, seu intelligere per intellectum, ideò S. Augustinus distinguit ea, quæ docent imaginantem, ab iis, quæ docent intelligentem. Sic enim ait Cap. 12 : *Quod si et de coloribus lucem* (quæ illos colores manifestat) *et de cæteris, quæ per corpus sentimus, elementa hujus mundi, eademque corpora quæ sentimus, sensusque ipsos, quibus tanquam interpretibus ad talia noscenda mens utitur : de his autem, quæ intelliguntur, interiorem veritatem ratione consulimus.* Ita S. Augustinus. Nimirùm conformiter ad ejus sensum, imaginaturi colorata consulimus lucem sensibilem : percepturi alia sensibilia, consulimus elementa hujus mundi : intellecturi verò intelligibilia, consulimus veritatem interiorem. De hâc interiore veritate, quâ omnia intelligimus, paulò infrà sic habet Augustinus : *Cùm verò de iis agitur, quæ mente conspicimus, id est intellectu, atque ratione, ea quidem loquimur, quæ præsentia contuemur in illa interiori luce veritatis, quâ ipse, qui dicitur homo interior, illustratur, et fruitur : sed tunc quoque noster auditor si et ipse illo secreto, ac simplici oculo videt, novit, quod dico, suâ contemplatione, non verbis meis.*

188. Quòd si sciscitere ab Augustino, quid rei, quidve entitatis sit illa nobis intima veritas, quam consulimus ? sic respondet : *De universis autem* (sunt verba D. Augustini Cap. 11.) *quæ intelligimus, non loquentem, qui personat foris, sed intus ipsi menti præsidentem consulimus veritatem, verbis fortassè, ut consulamus admoniti. Ille autem, qui consulitur, docet, qui in interiore homine habitare dictus est Christus, id est incommutabilis DEI virtus, atque sempiterna sapientia : quam quidem omnis rationalis anima consulit, sed tantùm cuique panditur, quantum capere propter propriam, sive malam, sive bonam voluntatem potest. Et si quando fallitur, non fit vitio consultæ veritatis ; ut neque hujus, quæ foris est, lucis vitium est, quod corporei oculi sæpè falluntur : quam lucem de rebus visibilibus consuli fatemur, ut eas nobis, quantum cernere valeamus, ostendat :* Itaque D. Augustinus sentit, hominem ut videat colorata, consulere lucem sensibilem : ut intelligat intelligibilia, consulere interiorem veritatem : quam ait

esse Christum, quatenùs est incommutabilis DEI virtus, atque sempiterna sapientia. Et hoc est, quod ego volo.

189. Ergò huic Capiti, et omnibus ex SS. Patribus, pro interiori Divinâ mentis luce, productis testimoniis finem imponamus, et Christo Soli intelligentiæ ac justitiæ, et sapientiæ Patris genitæ cum Ecclesiâ DEI concinamus :

« *O Sapientia, quæ ex ore Altissimi prodiisti, attingens à fine usque* » *ad finem fortiter, suaviterque disponens omnia : veni ad docendum* » *nos viam prudentiæ. O Oriens, splendor Lucis æternæ, et Sol justi-* » *tiæ : veni et illumina sedentes in tenebris, et umbra mortis.* »

CAPUT VI.

SOLIS INTELLIGENTIÆ LUMEN INDEFICIENS, SIVE DEI UT ENTIS SUMMI INTERNUM MAGISTERIUM PROBATUR EX DOCTORIBUS THEOLOGIS, PRÆSERTIM EX ANGELICO THOMA, ET SERAPHICO BONAVENTURA.

SUMMARIUM. — 1. Cur Scripturæ et Patribus, et Doctores adjungantur? — 2. DEI interno Magisterio nemo Theologus expressè contradicit.

1. Hoc sextum Caput adjungere volui, ut comprobem me sicut non amantem novitatum, ita nec defendentem id, quod, velut ratione carens, credatur esse antiquatum. Conatus sum ex sacro Textu, et ex antiquis Patribus Solem meum intelligentiæ, ut potui, demonstrare : fortè quis dixerit, Scripturam intellectu difficilem esse, et in iis, quæ de hoc mentis lumine loquitur, multùm obscuram. Si verò unus vel alter ex Patribus aliquid in hoc argumentum expressiùs edixerit, jam antiquatum, et agnitum ut invalidum à Scholis modernis exulâsse. Ne hoc audire debeam, plures non contemnendos Theologos, etiam modernos, in medium proferre statui, qui si non omninò claris, et expressis verbis, saltem æquivalentibus ac implicitis idipsum, quod ego, dicant.

2. Imò dico, quòd nullum ex antiquis vel modernis Theologis sciam, qui immediatum Christi Magisterium [loquendo de principali puncto interioris doctrinæ] expressis verbis confutet. Scio tamen plures et Sacri Textûs Expositores, et Theologos, qui idipsum ut ego

affirment. Refero quosdam per transennam, ut me diutiùs valeam detinere in binis illis, quos mundus Angelos nominat, videlicet in Doctore Angelico, et eò magis in Seraphico.

SECTIO I.

Quorumdam Theologorum compendiosa effata, quæ mihi Solem intelligentiæ non irrationabiliter probare videntur.

§ I.

Testimonium Auctoris Libelli de imitatione Christi.

SUMMARIUM. — 3. Cur Auctor libelli de Imit. Christi primo loco ponatur? — 4. Qui commendatur non solùm de pietate, sed et doctrinâ, et peritiâ Scripturarum. — 5. Hæc faciunt, quæ Lib. 1. Cap. 3. de doctrinâ veritatis habet. — 6. Alia ipsius testimonia Lib. 2. Cap. 1. § 7 Et Cap. 8. § 1. — 7. Et Lib. 3. Cap. 2. fusiùs ostendit, voces solùm foris sonare, et intus veritatem docere, — 8. Et Cap. 43 §§ 2. 3. 4. idipsum demonstrat. — 9. Quibus vix clariùs dicere potuisset pro solius Dei vero interno Magisterio.

3, Quod hunc primo collocem loco, aliâ reflexione nullâ opus est, nisi quia mihi sic visum est, quòd is, qui mihi ad hanc Opellam conscribendam occasio fuit (videatur Prologus) etiam dignum æstimem, quem inter Theologos, quos in testes adduco, à capite numerem. Ne credo illum à quopiam, aut tanquam virum simplicem, aut minùs intelligentem, vel ut Theologi nomine minùs dignum à jure testandi rejiciendum fore. Ego, ut minùs sapiens, pro eâ frequentiâ, quâ Libellulum hunc legere consuevi, animi candorem in Auctore reperi maximum; simplicitatem verò, quam animi defectum appellamus, nullam in eo valui deprehendere, sed pleno consensu suscribo censuræ sequentium virorum ex Almâ Societate.

4. R. P. Guilielmus Nakatenus in suo Palmeto, mihi folio 450. hanc de Libello hoc enuntiat sententiam : *Post Scripturam vix quisquam majori fructu legi potest, quàm aureus Libellus Thomæ à Kempis, de Imit: Christi. Utinam quotidianus apud omnes hujus usus esset.* Et Cornelius de Lapide, in Joan : Cap. 8. super illa verba : *Qui sequitur me non ambulat in tenebris,* sic de Viro hoc sentit : *Hanc Christi sententiam, quasi axioma, imò basim sapientiæ, et sanctitatis, Thomas à Kempis præposuit aureo suo Libello de Imit : Christi, qui quot habet sententias, tot habet gnomas; imò gemmas practicæ, et salutiferæ veritatis : quas quotidiè magno gustu, fructuque lectito, atque iterùm,*

iterùmque lectitare semper desidero. Et Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis in Joanne Gersone, tale fert testimonium de hoc Libello : *Cujuscumque sit opusculum, est utilissimum, et jure in totâ Ecclesiâ summo omnium consensu receptum, et frequentatum ; et in omnes linguas conversum. Ego certe ab adolescentiâ, et usque in senectam hoc Opusculum sæpissimè volvi, et revolvi, et semper mihi novum apparuit : et nunc etiam mirifice cordi meo sapit.* Hæc ille. Et Henricus Sommalius ejusdem Societatis, ad Lectorem. Eumdem Thomam non solùm titulo *Religiosissimi*, sed etiam *Viri Doctissimi* condecorat. Sic et Jo. Trithemius, de Script. Ecclesiast., Virum *in Divinis Scripturis studiosum et eruditum*, appellat.

5. Hic ergò Vir tantus, et Religiosissimus, et simul Doctissimus, et in Divinis Scripturis, illarumque penitiori sensu; et universim circa Spiritus intelligentiam plurimùm expertus ; non semel, at sæpiùs, hoc idem se sentire demonstrat. Ut Lib. 1. C. 3. agens de doctrinâ veritatis : *Cui æternum Verbum loquitur, à multis opinionibus expeditur. Ex uno verbo omnia, et unum loquuntur omnia : et hoc est principium, quod et loquitur nobis ; nemo sine illo intelligit, aut rectè judicat, etc.* Hîc expressè doctrina veritatis attribuitur Verbo, per quod facta sunt omnia, sine quo nemo rectè judicat, aut intelligit. Unde et Caput sic incipit : *Felix, quem veritas per se docet, non per figuras et voces transeuntes, sed sicuti se habet.* Ergò, juxta mentem Auctoris hujus, sola Veritas per seipsam immediatè potest docere, sicuti res se intus habent, reliqui Magistri solas figuras, solas voces transeuntes, solas opiniones capiti discentis ingerunt.

6. Libro 2. Cap. 1. § 7. sic loquitur : *Cui sapiunt omnia prout sunt, non ut dicuntur, aut æstimantur, hic verè sapiens est, et doctus magis a DEO, quàm ab hominibus.* Ergò solus DEUS potest dare internum verum scire ut res sunt; internum verum sapere, et veram sapientiam. Et Cap. 8. § 1. *Quando JESUS intus non loquitur, consolatio vilis est ; si JESUS autem unum tantum verbum loquitur magna consolatio sentitur.* Ergò solus JESUS potest penetrare mentem, non verò purus homo.

Et Libro 3. C. 1. § 1. *Beatæ planè aures, quæ non vocem foris sonantem, sed intus auscultant veritatem docentem.* Ergò verba tantùm foris sonant, et sola veritas interna, sive DEUS docet. Quod hic idem per integrum Cap. 2. *Loquere Domine,* clarissimè demonstrat. Vide hoc totum Caput, suprà in Prologo Num. 2 Et bene notentur verba : quòd Prophetæ (seu Magistri creati) *spiritum non conferant — cor non accendant — sensum non aperiant* (sed solus DEUS) *foris tantùm*

agant, et rigent, et verbis clament; solo interim DEO intellectum signatorum reserante, corda instruente, et illuminante; fœcunditatem, et auditui intelligentiam tribuente. Et Cap. 3. idem repetit : *Ego, inquit Dominus, docui Prophetas ab initio et usque nunc non cesso omnibus loqui : sed multi ad vocem meam surdi sunt, et duri — mundum libentiùs audiunt, quàm DEUM.* Hæc ibi.

8. Et clariùs Cap. 43. § 2. *Cùm multa legeris, et cognoveris, ad unum semper oportet redire principium. Ego sum, qui doceo hominem scientiam, et clariorem intelligentiam parvulis tribuo, quàm ab homine possit doceri. Cui ego loquor, citò sapiens erit.* Et subdens vocat Christum *Magistrum Magistrorum.* Et § 3. *Ego sum, qui humilem in puncto elevo mentem : ut plures æternæ veritatis capiat rationes, quam si quis decem annis studuisset, etc. Ego doceo sine strepitu verborum, sine confusione opinionum, sine fastu honoris, sine pugnatione argumentorum.* Et § 4. *Una vox librorum, sed non omnes æquè informat : quia intus sum Doctor Veritatis, scrutator cordis, cogitationum intellector, actionum promotor, distribuens singulis, sicut dignum judicavero* Notetur. *Quia intus sum Doctor Veritatis.*

9. Et num Vir hic, tam pius ac sincerus, nec in Sacrâ Doctrinâ inexpertus, sed verè doctus, imò à DEO doctus; potuisset clariùs subscribere Soli intelligentiæ, ac solius Christi Crucifixi interno Magisterio? Nec illius verba sine violentiâ arctari debent ad unicam supernaturalem doctrinam gratiæ; vel naturalem mediatam. Sunt enim absoluta, et generalia de quacumque intellectuali doctrina, vel scientiâ. Interim, ut et aliàs dixi, lubens fateor, quòd principaliùs intelligenda sint de lumine gratiæ.

§ II.

Testimonium Doctoris melliflui, et Eminent. Cardinalis Joannis Bona.

.....

§ III.

Testimonia aliquot RR. PP. Societatis JESU.

.....

19. Sextò, ex eâdem Societate in hujus incommutabilis internæ lucis, ac Solis intelligentiæ efficax Testimonium non immeritò adduci

posset superiùs citatus R. P. Melchior Inchofer, qui statim à capite suæ Censuræ de luce mentium, ait, esse Philosophiam *ex antiquâ SS. Patrum disciplinâ repetitam*. Et infrà. *Nemo nisi elementarius non deprehendit*, scilicet idipsum genuino sensu dixisse SS. Augustinum, et Bonaventuram. Hunc in Itinerario, illum in Tractatibus de Magistro, Confessionibus, de disciplinâ Christianâ, de Civitate DEI, de SS. Trinitate, super Evangelium Joannis. Et inferiùs, sentit, B. Dionysium Areopagitam (Joanne, et Paulo Apostolis præeuntibus Magistris) primum inter Christianos digitos, aciemque in hanc lucem intendisse : imò longè antea et ipsum Platonem per rimas quasdam aspexisse, *ut tamen eam ; quæ creatæ menti longissimè superest* (id est lucem DEI supernaturalem) *non attigerit*. Et infrà tenet, hujus lucis dogma non nisi peregrinis Lectoribus admirabilitatem inducere. Denique sic concludit : *Plura non addo, ne à luce mentium abducar in caliginem. Adi Augustinum Lib. 7. Confess. Cap. 17. et 18, et docebit te, si nescias, quomodo invisibilia DEI per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciantur, sempiterna quoque virtus, et Divinitas, in ictu saltem aspectûs trepidantis.*

20. Ita sentit præfatus Societatis Theologus. Cui et Alter ejusdem Societatis scilicet R. P. Theophilus Raynaudus consentit, qui suam opinionem, et censuram hisce concepit verbis, Romæ die 12. Junii 1645. videlicet *Opusculum de luce mentium esse lucidum totum non habens aliquam partem tenebrarum ; et sicut lucernam fulgoris illuminaturum legentes, quorum oculi ad illud præstricti non fuerint.* Hæc illi. Quibus et meæ sententiæ, de Sole ac lumine ad intelligendum, ambo subscribunt, et concordant.

. . . . . .

SECTIO II.

TESTIMONIUM DOCTORIS ANGELICI IN FAVOREM SOLIS INTELLIGENTIÆ.

SUMMARIUM. — 22. D. Thomas favet Soli intelligentiæ, cui Sol cordi apponitur. — 23. Indicantur, quæ superiùs ex ipso allata fuerunt. — 24. Discutitur p. 1. art. 1. 2. 3. 4. quæstionis 105. — 25. DEUS immediatè movet intellectum tum subjectivè, tum objectivè. — 26. Conclusio D. Thomæ, et ejus explicatio. — 27. Mens D. Thomæ exponitur. — 28. Eodem modo DEUS immediatè movet voluntatem. — 29. DEUS tripliciter operatur in omni operante. — 30. Probatur de causâ efficiente. — 31. DEUS in omnibus intimè operatur. — 32. Ex quibus non puto colligi præmotionem physicam. — 33. Explicatur universalis DEI concursus per similitudinem. — 34. Negantur malæ sequelæ. — 35. Ex dictis colligitur pro Sole intelligentiæ. — 36. Conformis est meis dictis. — 37. Aliud D. Angelici Testimonium. — 38. Ex quo

arguitur pro Sole intelligentiæ. — 39. Confirmatur mens S. Doctoris ex Tabulâ Aureâ. — 40. Objectio ex D. Thomâ. — 41. Proponitur ejus Sententia. — 42. Respondetur objectioni. — 43. — Quis principaliter intus Scientiam causet juxta D. Thomam. — 44. Ulteriùs mens ipsius ostenditur. —45. Idem sentit quod Augustinus. — 46. Concluditur ejus mens. — 47. Ne contradicat Augustino. — 48. D. Thomas nec in Summa dissimulat nomen Augustini. — 49. Concluditur Sectio.

22. Quòd et D. Thomas, Vir et Doctor Angelicus (cujus Oceanum Sapientiæ prope immensum, si priùs non satis, nunc occasione hujus elucubrationis meliùs æstimare didici) Soli intelligentiæ testimonium perhibeat, vel ex hoc uno symbolicè monemur, quia Sol cordi illius appingitur, ad indicandum, quòd, etsi *non erat ille lux, (quæ* videlicet *illuminat* interiùs *omnem hominem venientem in hunc mundum)* tamen à DEO Orbi datus sit, ut lucidissimis radiis suorum Angelicorum Operum *testimonium perhiberet de lumine,* à quo, velut unico vero fonte, omnia sua scita copiosissimè hausisset. Sed ad rem.

23. Divum Thomam mecum in principali Scopo (quòd Solus DEUS intus doceat) convenire, puto sufficienter in præcedentibus fuisse demonstratum. Ut Cap.1. Num. 43. 46. 52. 54. 55. 56. 57. 59. 88 89. 95. 105. 107. 108. Et Cap. 2. Num. 11. et seq. Et Cap. 3. Num. 10. 75. 76. Et. Cap. 4. Num. 26. 34. 68. Et Cap. 5. à Num. 16. Et Num. 177. In quibus locis ex D. Thomâ refertur, ipsum sensisse, in homine reperiri seminaria virtutem indelebilia, id est prima veritatis principia, quæ sint similitudo increatæ veritatis, et in nobis ab eâ resultent, sicut ab unâ facie plures similitudines in speculo resultant. Et aliàs hominem ad imaginem DEI non futurum, si ab Angelo lumen intelligibile participaret. Et certitudinem scientiæ ab hoc solo DEI lumine provenire. Et nil mutabile posse infallibilem esse regulam ad cognoscendum : sed DEUM esse unicam, certam mensuram in essendo, et cognoscendo : speciem intelligibilem tantùm inservire ad apprehensionem, cui possit fieri illusio. Solum DEUM posse mentem sufficienter et efficaciter movere. DEUM concurrere ad intelligibilitatem rerum velut Solem. DEUM sic concurrere ad illuminandum mentis oculum, sicut Sol corporeus ad illuminandum oculum corporis. Ad cognitionem cujuscumque veri intellectum indigere, ut à DEO moveatur. Unam solam æternam veritatem dari, et hanc esse DEUM; solum DEUM intus docere posse, Platonicos *quantum ad id, quod dicebant de primo rerum principio* [quorum et unum est, quòd DEUS sit *fons omnis intellectualis luminis*] *verissimam esse eorum opinionem, et fidei Christianæ consonam.* Hæc fusiùs ex D. Thoma ostensa reperies locis citatis. Et expressè priori Capite Num. 177. subscribit Augustino

quoad internum Magisterium solius DEI, illis-verbis : *Ad octavum dicendum, quod Augustinus in Libro de Magistro, per hoc, quòd probat solum DEUM docere, non intendit excludere, quin homo exteriùs doceat, sed quia solus DEUS docet interiùs.* Doctrina verò fit interiùs in sola mente ; ut probatum est Capite 3. Hypothesi 14. 15. 16.

24. Præter hæc synopticè dicta, specialiter objicio ex eodem D. Thoma paulò fusiùs consideranda ea, quæ habet 1. p q 105. a. 1. 2. 3. 4. ubi quærit *Utrum DEUS possit immediatè* (hunc enim expressum terminum addit) *movere materiam ad formam, aliquod corpus, intellectum. et voluntatem creatam?* Quid ergò dicit de intellectu, et voluntate? Articulo 3. sic ait: Primò ad oppositum: *Videtur quòd DEUS non moveat immediatè intellectum creatum.* Et infrà. *Sed contrà, docens movet intellectum addiscentis. Sed DEUS docet hominem scientiam, sicut dicitur in Psalmo. Ergò DEUS movet* [immediatè videlicet, prout quæsitum fuit] *intellectum hominis.*

25. Audiamus nunc decisionem : *Respondeo, dicendum, quòd sicut in motibus corporalibus movens dicitur, quod dat formam, quæ est principium motûs : ita dicitur movere intellectum, quod causat formam, quæ est principium intellectualis operationis, quæ* (intellectualis operatio) *dicitur motus intellectûs.* Hæc Doctor Angelicus de principio, ad eliciendum motum intellectualem concurrente. Sed ne quis credat, mentem nostram, vel intellectum, tanquam internam animæ vim à DEO nobis per creationem semel donatam per se sufficere ad suam operationem eliciendam, quasi aliud conprincipium motivum non requireretur, mox conformiter meæ Hypothesi 4. Cap 3. à Num. 8. sic adjungit : *Operationis autem intellectus est duplex principium in intelligente. Unum scilicet, quod est ipsa virtus intellectualis.* Quibus verbis indicat principium subjectivum, quod tamen non sufficit, sicut ad actualem corpoream visionem non sufficit oculum esse interiùs bene dispositum : quandoquidem hoc internum subjectivum principium inest potentiæ etiam dùm otiatur, ut cùm dormimus, etc. Et hoc est, quod Angelicus Doctor addit. *Quod quidem principium est etiam in intelligente in potentia.* Hæc ille : qui mox aliud intellectionis principium memorat, objectivum videlicet, quod movet oculum mentis ad actualem intellectionem, sic ergò ait : *Aliud autem est principium intelligendi in actu, scilicet similitudo rei intellectæ.*

26. Unde concludit sic : *Dicitur ergò aliquid movere intellectum, sive det intelligenti virtutem ad intelligendum, sive imprimat ei similitudinem rei intellectæ.* Sed quis facit hoc? statim subjungit : *Utroque*

autem modo DEUS movet intellectum creatum. Quam rem sic ulteriùs explicat : *Ipse enim* [scilicet DEUS] *est ipsum primum ens immateriale. Et quia intellectualitas consequitur immaterialitatem, sequitur, quòd ipse sit primum intelligens. Unde cùm primum in quolibet ordine sit causa eorum, quæ consequuntur, sequitur, quòd ab ipso sit omnis virtus intelligendi. Similiter cùm ipse sit primum ens, et omnia entia præexistant in ipso, sicut in prima causa, oportet, quòd sint in eo intelligibiliter secundùm modum ejus. Sicut enim omnes rationes rerum intelligibiles primò existunt in DEO, et ab eo derivantur in alios intellectus, ut actu intelligant, sic etiam derivantur in creaturas, ut subsistant.* Qui mox ita concludit : *Sic igitur DEUS movet intellectum, inquantùm dat ei virtutem ad intelligendum, vel naturalem, vel superadditam : et inquantùm imprimit ei species intelligibiles : et utrumque tenet et conservat in esse.* Hæc D. Thomas de duplici modo quo DEUS movet mentem creatam.

27. Ex hoc habes juxta mentem D. Thomæ DEUM dupliciter concurrere ad intellectionem, et quidem utroque modo immediatè, scilicet tum ex parte principii subjectivi (illud creando, et conservando; ac, ut probat Articulo 5. velut causam primam cum ejus actu concurrendo) tum ex parte principii objectivi, quatenùs intellectui imprimit species intelligibiles, id est non erroneas, aut errori ex se obnoxias [quales sunt, quas ad apprehendendum fallibiliter abstrahimus nos à phantasmatibus per intellectum agentem] sed certas et non obnoxias errori, ad certò judicandum, vel definiendum destinatas : quo sensu hæ species aliud non sunt, quàm infallibilis radius Solis intelligentiæ, sive ut hîc S. Doctor nominat *rationes rerum intelligibiles,* quæ *primò existunt in DEO* [velut in essentiale fonte omnis luminis] *et ab eo derivantur in alios intellectus ut actu intelligant.* Et sunt illæ ipsæ æternæ rationes et ideæ quibus DEUS producit creaturas tanquam per artem, unde dicit : *Sic etiam derivantur in creaturas ut subsistant.* Quia videlicet idem est creaturis principium essendi, quod et intelligendi. Vide suprà Cap. 1. Num. 88. 89.

28. Et ut ostendat Doctor Angelicus totam mentem creatam esse à Solo DEO immediatè mobilem, sic Articulo 4. ejusdem quæstionis 105, definit. *Respondeo dicendum, quòd sicut intellectus, ut dictum est* [Articulo præcedenti] *movetur ab objecto, et ab eo, qui dedit virtutem intelligendi : ita voluntas movetur ab objecto, quod est bonum, et ab eo, qui causat virtutem volendi.* Et mox subjungit, voluntatem à solo DEO *sufficienter et efficaciter* moveri posse. *Non enim* (est S. Viri

ratio) *sufficienter aliquid potest movere aliquod mobile, nisi virtus activa moventis excedat, vel saltem adæquet virtutem passivam mobilis* [patet in bilance.] Sed dices quanta sit virtus passiva, seu capacitas voluntatis creatæ? Sanctus respondet esse maximam, *extendit se* quippe *ad bonum in universali. Est enim ejus objectum bonum universale, sicut et intellectus objectum est ens universale.* Sed quid fuerit bonum (aut etiam verum) universale, quod hanc lancem, seu mentem sursum tollere, et efficaciter ac sufficienter movere potest? Respondet D. Thomas : *Solus DEUS est bonum* (adde et verum, juxta priorem articulum, et conformiter analogiæ) *universale. Unde ipse solus implet voluntatem* (et intellectum) *et sufficienter eam* [et eum] *movet ut objectum.* Et infrà quoad motum efficientem ac subjectivum, cùm dixisset virtutem volendi à solo DEO causari, addit et ipsum velle (quod aliud non est *quàm inclinatio quædam in objectum voluntatis,* seu in *bonum universale* à DEO causari. Sic enim ait: *Inclinare autem in bonum universale est primi moventis, cui proportionatur ultimus finis, sicut in rebus humanis dirigere ad bonum commune est ejus, qui præest multitudini.* Denique sic concludit : *Unde utroque modo proprium est DEI movere voluntatem, sed maximè secundo modo, interiùs eam inclinando.* Hæc ille. Vides apertè S. D. sentire, quod solus DEUS possit *sufficienter et efficaciter* voluntatem ac mentem movere.

29. Considerentur et ea, quæ habet Articulo 5. ubi quærit, an *DEUS operetur in omni operante?* Et respondet, quamvis DEUS non concurrat ut materia (recipiendo videlicet, nulla enim alia causalitas materialis causæ datur quam recipere) tamen quoad 3. reliquas causas illum operari. Ita enim ait : *Sic igitur secundùm hæc tria DEUS in quolibet operante operatur. Primò quidem secundùm rationem finis. Cùm enim omnis operatio sit propter aliquod bonum verum, vel apparens* [verum bonum] : *nihil autem est, vel apparet bonum, nisi secundùm quod participat aliquam similitudinem summi boni, quod est DEUS : sequitur quòd ipse DEUS sit cujuslibet operationis causa ut finis.* Ergò, vult dicere Doctor Angelicus, nemo potest quidquam velle extra universalem hunc finem, qui DEUS est. Ergò DEUS in omni operante operatur ut finis. (Et si operans est capax cognitionis mediorum ad finem, operabitur ut finis aliquo modo cognitus.)

30. Secundò, si loquamur de concursu DEI tanquam causæ agentis, seu efficientis, sic probat DEUM universaliter concurrere. *Similiter considerandum est, quòd si sint multa agentia ordinata, semper secundùm agens agit in virtute primi agentis Nam primum agens*

movet secundum ad agendum. Et secundùm hoc omnia agunt in virtute ipsius DEI. Et ipse est causa omnium actionum agentium Hæc de concursu DEI, ut causæ agentis. Qui mox addit de causa formali, quòd videlicet DEUS non præcisè moveat res ad operandum applicando activa passivis (ut *artifex*, qui *applicat securim ad scindendum, qui tamen interdum formam securi non tribuit)* sed quod ipsemet det *formam* [activam] *creaturis agentibus, et eas teneat in esse.* Et ideò DEUM multipliciter esse causam actionis creatæ : videlicet [præter causam finis, de quâ suprà] quia imprimis *dat* rebus *formam, quæ est* internum *principium actionis (sicut generans dicitur esse causa motus gravium et levium).* Secundò, *sicut conservans formas, et virtutes rerum (prout Sol dicitur causa manifestationis colorum, inquantùm dat, et conservat lumen, quo manifestantur colores).*

31. Denique addit, quia et DEUS in omnibus intimè operatur; sic enim loquitur : *Et quia forma rei est intra rem, et tantò magis quantò considerątur ut prior et universalior ; et ipse DEUS est propriè causa ipsius esse universalis in rebus omnibus, quod inter omnia est magis intimum rebus : sequitur, quòd DEUS in omnibus intimè operetur.* Et ad. 3. sic omnia connectit : *Ad tertium dicendum, quòd DEUS non solùm dat formas rebus, sed etiam conservat eas in esse, et applicat eas ad agendum, et est finis omnium actionum.* Hæc D. Thomas.

32. Ex quibus verbis non colligo, DEUM concurrere cum omni agente per physicam præmotionem, seu prædeterminationem, quia dubium illud tangere non est mentis meæ, nec credo ex his verbis convinci idipsum sensisse Doctorem Angelicum. Ratio est, quia effatum illud Theologicum, super quod D. Thomas se fundat, quòd videlicet *causa secunda non agat nisi mota à primâ* diversimodè intelligi potest, prout et D. Thomas in hisce ultimis verbis insinuat, nec D. Angelicus determinat, an causa prima concursu determinato, ac prævio, an indeterminato, et simultaneo causam secundam moveat. Plures enim, cæteroquin à doctrina Angelica non volentes recedere, intelligunt causam primam cum secunda ad ejus quemlibet actum physicum concurrere simultaneè, non physicè prædeterminando : Quo tamen sufficienter salvari videtur dependentiâ causæ secundæ à prima. Vide Suarez de Concursu DEI : Tannerum T. 1. mihi fol. 571. ubi et Cajetenum citat.

33. Ego rem aliquando explicaveram per analogiam piscis et maris. Ut enim piscis in mari hinc inde, dextrorsum et sinistrorsum natare valeat, indiget non solùm propriis internis viribus concurrentibus, sed et ipsius maris simultaneo concursu, nec pro imaginabili

instanti potest fieri natatio nisi utrisque concurrentibus, et concursum præstantibus : interim quòd piscis nunc ad dex'ram, nunc ad sinistram natando procedat, hæc determinatio non tam mari, quàm pisci adscribenda est. A simili, DEUS ter Optimus Maximus est immensum Pelagus et immensum mare, in quo nos, et cæteræ creaturæ *et vivimus, et movemur, et sumus ;* hoc verò *mare magnum et spatiosum manibus* sic ad omnia opera nostra concurrit, quòd pro nullo imaginabili instanti absque ejus actuali concursu quidquam facere possimus ; et non solùm quatenus nobis virtutem operandi dat, et eam conservat ; sed etiam quatenus ipsum actum secundum immediatè nobiscum producit : interim, quòd Divino necessario concursu nunc ad dextram virtutis, nunc ad sinistram mali operis utamur, non Divino Oceano physicè nos prædeterminanti, sed nobis DEI concursum ad hanc potiùs quàm illam partem inflectentibus, adscribendum est.

34. Nec inde sequitur aut bonum creaturæ fieri præter intentionem DEI, aut DEO indecens esse, quòd sic indifferenter, et quasi vago modo concurrat ; quia potiùs totum Divinam bonitatem deprædicat, quæ non ex necessitate, sed ex liberà suavitate se conditioni agentium accommodat : et non ob aliam causam DEUS nobis tum virtutem ad operandum, tum universalem suum concursum offert, nisi ut bene operemur. Unde si contingat nos bene operari est intentioni Divinæ conforme, si autem malè, totum est DEI voluntati contrarium. Juxta quod definit Concilium Trident. Sess. 6. Can. 6. *Si quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere : sed mala opera ita ut bona, DEUM operari, non permissivè solùm, sed etiam propriè et per se ; adeò ut sit proprium ejus opus non minùs proditio Judæ, quàm vocatio Pauli, anathema sit.* Hæc solummodò per transennam, et maneat cuique parti sua probabilitas. Saltem fateor me sententiam contrariam non intelligere ; si Alii eamdem in æternæ lucis radio veram cernunt, instruant me futurum obedientem ac attentum discipulum. Redeo ad D. Thomam.

35 Ex iis, quæ Doctor Angelicus de universali DEI concursu cum quâvis creaturâ habet Articulo 5., et de concursu cum mente creata intelligente et volente Articulo tertio et quarto, colligo pro meâ sententiâ de Sole intelligentiæ, DEUM speciali modo concurrere ad actus intellectûs et voluntatis mentis creatæ, ita scilicet, ut non tantùm quatenùs vis intellectiva, et volitiva, et utriusque conservatio est immediatè à DEO ; nec tantùm quatenùs et ipsam intellectionem et volitionem nostram immediatè physicè nobiscum producit (sive dein

concursu simultaneo, aut prævio ac physicè prædeterminante) sed etiam ex parte objecti tanquam unica objectiva ratio *sufficienter et efficaciter* motiva. Ergò juxta D. Thomam solus DEUS potest mentem creatam sufficienter et efficaciter interiùs movere.

36. Et hoc ipsum est, quod ego toties replico, ut Capite 1. Sect. 1. à Num. 7. ubi nomine rationis, in definitione animæ rationalis inclusæ, aio importari ipsam increatam Rationem, sive DEUM. Et Sectione ejusdem Capitis quartâ, ubi à Num. 79. demonstro, connaturalem objectivam Rationem naturaliter operanti esse aliquid immutabile, æternum, ac Divinum. (Ubi et D. Thomam Num. 88. et 89. citatum reperies ex quæstione de dæmonibus a. 8. et 1. p. q. 105. a. 5.) Et eâdem Sectione à Num. 91, probo, quemlibet actum rationalem pendere à duplici principio, id est subjectivo, et objectivo, et hoc alterum esse DEUM. Et à Num. 106. dico, DEUM esse unicam mensuram et ideam ad omnia infallibiliter cognoscenda.

37. Pro eodem argumento Solis intelligentiæ, quòd videlicet solus DEUS immediatè mentem creatam movere, et nos omnia docere possit, objicio considerandum id, quod Doctor Angelicus habet 1. p. q. 12. a. 2. in corpore articuli, ubi cùm præmisisset : *Ad visionem, tam sensibilem, quàm intellectualem duo requiruntur, scilicet virtus visiva, et unio rei visæ cum visu. Non enim fit visio in actu, nisi per hoc, quòd res visa quodammodo est in vidente.* Et infrà. *Manifestum est autem, quòd DEUS et est auctor intellectivæ virtutis, et ab intellectu videri potest. Et cum ipsa intellectiva virtus creaturæ non sit DEI essentia, relinquitur, quòd sit aliqua participativa similitudo ipsius, qui est primus intellectus. Unde et virtus intellectualis creaturæ, lumen quoddam intelligibile dicitur, quasi à primâ luce derivatum : sive hoc intelligatur de virtute naturali, sive de aliquâ perfectione superadditâ gratiæ vel gloriæ.* Dein probat, per nullam similitudinem creatam DEI essentiam videri posse. Et hoc ideo (inter alias rationes) *quia Divina essentia est aliquod incircumscriptum — et hoc nullo modo per aliquam speciem creatam repræsentari potest : quia omnis forma creata est determinata secundùm aliquam rationem vel sapientiæ, vel virtutis, vel ipsius esse, vel alicujus hujusmodi.* Hæc ille.

38. Jam ex hâc S. D. ratione sic argumentor : Scientia est de rebus necessariis æternis, et immutabilibus, consequenter incircumscriptis, nec alligatis aut determinatis ad certum locum, tempus, ergò non potest fieri per formam creatam, aut secundùm aliquam rationem determinatam, sed debebit fieri immediatè per aliquid incircum-

quidquam interiùs operatur; nec physicè et immediatè in temperamentum ægroti influit, sed solùm extrinsecè, directivè, et ministerialiter. Nam ut bene dicit Vir sanctus : *Principium exterius, scilicet ars, non operatur sicut principale agens, sed sicut coadjuvans agens principale, quod est principium interius confortando ipsum, et ministrando ei instrumenta, et auxilia, quibus natura utatur ad effectum producendum.* Hæc ille.

43. Ergò ad mentem S. Doctoris, homo alterum docens non est principale agens, seu principale causativum scientiæ, consequenter alius erit quærendus Auctor. Et quis ille? Optime Vir sanctus illum indicat his verbis : *Ad primum ergò dicendum, quod sicut jam dictum est : homo docens solummodo exteriùs ministerium adhibet, sicut Medicus sanans. Sed sicut natura interior et principalis causa sanationis, ita et interius LUMEN intellectus est principalis causa scientiæ: utrumque autem horum est à DEO : et ideò sicut de DEO dicitur : Qui sanat omnes infirmitates tuas : ita de eo dicitur : Qui docet hominem scientiam, in quantum lumen vultûs ejus super nos signatur, per quod nobis omnia ostenduntur.* Ergò S. Thomas æstimat omnia nobis ostendi, ac manisfestari, et scientias principaliter causari à lumine intellectûs; hoc autem lumen non ab homine, sed à DEO, et ejus vultu ad nos, et mentem nostram radiare, et splendescere. Hæc est mens S. Viri. Et hoc ipsum est, quod ego dico.

44. Confirmatur per responsionem ad secundum. Sic enim ait: *Doctor non causat scientiam in discipulo per modum agentis naturalis, ut Averroes objicit : Unde non oportet, quòd scientia sit qualitas activa: sed est principium, quo aliquis dirigitur in operando.* Et ad 3. sic loquitur : *Magister non causat lumen intelligibile in discipulo, nec directè species intelligibiles : sed movet discipulum per suam doctrinam ad hoc, quod ipse per virtutem sui intellectûs formet intelligibiles conceptiones, quarum signa sibi proponit exteriùs.*

Uno verbo hic Sanctus idem sentit, quod S. Augustinus senserat, quòd videlicet Magister creatus, per suam doctrinam, et per sua sensibilia verba exteriùs solùm dirigat, manuducat, moveat, et moneat discipulum, ut oculum intellectivum elevet, et convertat ad verum Doctorem, id est, ad lumen, quod egreditur à vultu Domini, et super hemisphærium mentis nostræ rutilat, et signatur. Ergò S. Thomas mihi contrarius non est, sed potius rectissimè idem, quod ego, sentit. Et quisquis hunc Articulum bene legerit, ac maturè perpenderit, statim videbit mentem S. Viri, quâ humanæ arti attribuit productionem alienæ scientiæ, aliam non esse, quam contra Averroem, et Pla-

tonicos probare, quod homine exteriùs loquente, in discipulo audiente verè de novo scientia producatur : quod præfati negabant : non tamen vult, quòd homo per sua verba scientiam discipuli physicè causet [sicut nec Medicus, suadens applicationem medicinæ, sanitatem ægroti physicè efficit] aut quod ipse principalis ejus causa sit, aut physicè quoquomodo ejus productionem attingat. Ergò alia physica causa erit statuenda, non solùm interna, seu conjuncta, sed etiam externa, sive objectiva : et hæc erit DEUS.

46. Ergò his omnibus visis clarè colligitur mens S. Doctoris, quod solus DEUS, ut principale agens, infundendo videlicet lumen, doceat interiùs : creatura verò solùm instrumentaliter, et ministerialiter, exteriùs adminiculando, proponendo exempla, vel applicando principia conclusioni : ita tamen, quod scientiæ productionem aut tenebrarum, seu ignorantiæ expulsionem, verè, propriè, physicè, immediatè non attingat : Ergò solus DEUS hoc faciet.

47. Adde, Doctorem Angelicum magnam doctrinæ suæ partem ex Divo Augustino desumpsisse : nec solitum esse Augustinianis placitis tam è diametro contraire : at ex dictis constat, S. Augustinum tenere, quòd homo hominem verè ac propriè et realiter strictè, ac interiùs non doceat, sed solus DEUS, sive DEI lumen incommutabile. Ergò idem sentit Divus Thomas.

Fortè dices, D. Thomam præ suâ notâ modestiâ, quâ non facile alicui Sanctorum Patrum contradicere solet, dissimulasse nomen Augustini : prout in hoc citato art. 1. quæst. 117. p. 1. nulla ejusdem fit mentio : consequenter errorem carpendo reticuisse personam errantem. Sed contra D. Thomæ modestia inest maxima, verum est, sed æquè magnum veritatis amorem eidem concedere debemus : ob quem in faciem potentis non respiciebat, ut dicere posset, *Amicus Plato, amicus Socrates, magis autem amica veritas.* Et numquid Q. unicâ, de spiritualibus creaturis, à 10. ad 7. 8. 9. sicut et q. 11. de Magistro, a. 1. ad 8. non expressè D. Augustini mentem super hoc particulare quæsitum adducit [an videlicet homo hominem docere possit] et ejusdem opinionem confirmat dicendo : *Quod Augustinus in libro de Magistro, per hoc quod probat, solum DEUM docere, non intendit excludere quin homo exteriùs doceat, sed quia solus DEUS docet interiùs.* Vides D. Thomam neutiquam dissimulasse nomen Augustini.

48 Dices, inter omnia Opera D. Thomæ, Summam, quam vicinior morti scripsit, habere præcedentiam : in Summâ verò nulla fit mentio D. Augustini. Contra. Licèt in allegato Articulo Summæ non fiat

illius mentio fit tamen in aliis pluribus locis. Ut 1. p. q. 84. a. 5. ubi ista expressa habet. *Augustinus, qui doctrinis Platonicorum imbutus fuerat, si qua invenit fidei accommoda in eorum dictis assumpsit : quæ verò invenit fidei nostræ adversa, in melius commutavit.* Unde subdit, sic ideas Platonis correxisse : *Sed quia videtur esse alienum à fide, quod formæ rerum extra res per se subsistant absque materiâ, sicut Platonici posuerunt — ideò Augustinus in Lib.* 83. *quæst. posuit loco harum idearum — rationes omnium creaturarum in mente Divina existere, secundùm quas omnia formantur, et secundùm quas etiam anima humana omnia cognoscit — sicut in cognitionis principio.* Hæc D. Thomas de Augustini sensu. Ex quibus intelliges, quòd nec in Summâ S. Augustini nomen dissimulet, agendo de vero mentis Doctore : sed potiùs ejusdem sensum teneat ac defendat. Ac proindè sicut D. Augustinus usque ad mortem hanc de Sole intelligentiæ retinuit sententiam, ita et Doctor Angelicus. Et sicut Augustino cor flammeum (ex fixiori intuitu Divini luminis accensum) ita et D. Thomæ Sol radians cordi appositus adjungitur, quo intelligimus et ipsum Divino Sole et luxisse et arsisse.

49. Concludamus ergò Sectionem, et simul mentem Doctoris Angelici cum propriis ejusdem verbis, quibus DEUM alloquitur in ipsâ suâ devotissimâ Oratione : *Creator ineffabilis*, etc., quæ ante studium exsolvenda proponitur in reformato Officio B. V. M. Pii V. S. ergò D. Thomas precatur. *Tu* [DEUM Creatorem alloquitur] *qui verum fons luminis, et sapientiæ diceris* (en à quo Sole, et à quo principii radius ac rivus intellectualis luminis, mentis illustrationis, ac sapientiæ procedat!) *atque supereminens principium* (DEUS nimirum est illa communissima veritas, dignitas, primum omnium principium, et axioma, quod cætera omnia demonstrationis principia virtute et eminenter continet : est nimirum *principium quod et loquitur nobis*, intus videlicet) *infundere digneris super intellectûs mei tenebras, tuæ radium claritatis, duplices, in quibus natus sum, à me removens tenebras, peccatum scilicet et ignorantiam.* [Et ex his verum Solem intelligimus, intellectui radiantem, qui sicut peccata solus suâ gratiâ expellit, ità et ignorantiam suo lumine). Et infrà sic ulteriùs rogat, *Linguam meam erudias — da mihi intelligendi acumen, retinendi capacitatem, interpretandi subtilitatem, addiscendi facilitatem.* Quibus innuitur DEUM ter optimum maximum non solùm suo actuali radio nobis dare ipsum scire, ipsum intelligere, ipsamque interiorem doctrinam, sed etiam ipsum posse, ipsam potentiam, ipsam mentis aciem et acumen, ipsam capacitatem, ipsam oculi mentalis subjectivam claritatem,

n subjectivum. Sed relinquamus Angelum, et accedamus
um.

SECTIO III.

MONIUM DOCTORIS SERAPHICI IN FAVOREM SOLIS INTELLIGENTIÆ.

JM. — 50. S. Franciscus nomen Magistri fugiebat. — 51. D. Bonaventura, us fautor Solis intelligentiæ, mirè laudatus. — 52. Plùs à Crucifixo, quàm à Sapientiam hauriebat. — 53. Christum fontalem radium appellat, D. Augusisum confirmat : in DEO ponit rationem ad omnia cognoscenda. — 54. Alia D. Bonaventura citantur. — 55. Sed longè apertiùs loquitur in Itinerario, er Synopsim dividitur. — 56. Et præsertim Capite 3, ubi fatetur, nil nos posse linaliter capere, nisi per veritatem æternam docentem, ac menti conjunctam. Concupiscentiæ et phantasmata velut nubes impediunt. — 58. Loquitur autem le doctrinâ naturali. — 59. Et primò intentum probat ex consideratione me- — 60. Inde concluditur, et conclusio expenditur. — 61. Probat intentum ex ratione intellectûs quoad primam ipsius operationem. — 62. Probat intentum alteram mentis operationem. — 62. Probat intentum quoad tertiam mentis ope- m. — 64. Verba ex Augustino à D. Bonaventura citata fusiùs referuntur. — bat intentum ex tribus actibus ad perfectam electionem requisitis. — 66. Pro- entum ex actu dijudicationis exigente rationem et regulam immutabilem. — eodem naturali radio Solis intelligentiæ edisserit S. D. essentialem ac notio- Dei notitiam. — 68. Concluditur D. Bonaventuræ mens pro Sole intelligentiæ. Tria quoque Philosophorum principia Soli intelligentiæ specialiter favent. — illis arguitur pro Sole intelligentiæ. — 71. Christus non ab hominibus, quà , sed quà operibus suis accipit testimonium.

ut ab aliis Religiosis Institutis Sol intelligentiæ efficacia re- timonia, ita quoque ab humili Fratrum Minorum Ordine, eodidactus Fundator, et institutor Franciscus, et ipse suum adjecit, dum 1. p. Chronicorum Lib. 2. Cap. 24. Ordini ac suis cavebat; ne quisquam se Magistrum appellaret (unde es quoque non prælatos, non Dominos, sed Ministros, sed , sed Guardianos nominari voluit) causam allegabat, quia 3. Christus dixerit : *Vos autem nolite vocari Rabbi, unus est gister vester — nec vocemini Magistri, quia Magister vester Christus*. Et hìnc dicere solitus erat, quòd licet doctrinam , minimè tamen se Magistrum, aut Doctorem appellaturum uibus etsi plùs honoris ambitum, quàm simplicem nominis nem carpere volebat, interim Vir ex integro Catholicus et cus mentem altiùs elevabat in præcellentissimam ac eminen- illam lucem, quæ sola intus illuminare potest omnem homi-

nem venientem in hunc mundum; cui vir humilis vel solo usurpato lucis ac Magistri titulo se præjudicare timebat. Lege si placet totum illud Chronicorum Caput.

51. Prætereo non contemnendos Ordinis Seraphici Theologos, quos et nominare, et huc referre possem; sicut et Auctorem utriusque Libelluli de luce mentium, qui non minùs solidè quàm subtiliter, sed aliquandò obscuriùs (vel ut ait Eminentissimus Cardinalis Bona Viâ Compendii ad Deum Cap. 3. Num. 4. *doctè*, sed *obscurè*) rem istam pertractavit. Unus pro mille sufficiat Doctor Seraphicus, qui palmam facilè præfert, et est lucidissimus totus, et nunquam magis, quàm cùm de Sole intelligentiæ sermonem habet : cujus quanta fuerit Sapientia, et Theologica Scientia, si scire desideras, remitto te ad judiciosissimum Virum Joannem Gersonem P. 1. Tract. 28. de Examinatione Doctrinarum, post considerationem sextam, titulo : *Sequuntur aliquæ considerationes quoad tres modos reliquos.* Ibi. *Porrò quæratur à me quis inter cæteros Doctores plùs videatur idoneus, respondeo,* etc. Lege si placet, et Doctorem Seraphicum æstimare incipies, si hucùsque non fecisti. Ecclesiæ sensus de illo est, quem *movendo doceat.* Cornelius à Lapide Sap. 7. ibi, *Sanctus*, vocat eumdem, et S. Thomam, sui ævi binos oculos. Hic ergò Doctor Seraphicus et simul Mirabilis (prout hoc titulo decoratur in Oratione Officii Ordinis) sæpiùs unà cum Augustino, hujus lucis mysterii ingerit mentionem : et palàm fatetur, Christum solum docere, et illuminare posse, interiùs videlicet : ut ex sequentibus colligere poteris. Sed priusquàm rei theoriam adducamus, audiamus praxim ejusdem Viri Seraphici, qualiter lubens fateatur se à Christo fuisse edoctum.

52. Narratur in Ordinis Chronicis, 3. P. Lib. 2. Cap. 2. aliquando Doctorem Angelicum accessisse ad visitandum amicissimum æqualium studiorum Collegam Bonaventuram; Ornatissimam præsertim amici Bibliothecam (ut putabat) inspecturum : ex quâ eumdem cognebat res tam sublimes, mirabiles, et simul ignitas, ac divinas extrahere (dubio procul Vir Angelicus ejusdem Seraphici Doctoris Divini Opuscula intelligebat, in quibus non se hominem, sed Angelum Seraphicum, divinorum conscium, et cœlesti igne succensum demonstrat). Petit ergò sibi hosce tantos exhibere Libros, ex quibus talia, ac tantum erueret Postulationi moram gerit Bonaventura; et ordinarios quosdam Codices producit. At iis Thomas non contentus, illos præcipuè volo, ostendas mihi, ait, ex quibus hæc tam sublimia extrahere solebat. Hic devotus, ac sincerus amicus, Sodali tam fideli charismata suis à DEO copiosè donabatur, ocultare noluit : sed candidè ver-

tatem confessus est : et indice Crucifixi piam depictam imaginem quærenti demonstrat : Hi sunt, Amice dilectissime, hi sunt præcipui mei Libri, hæc mea ornatissima Bibliotheca. Ex corde tibi confido, et scias pro certo, quòd ex hoc uno Libro hauriam, quidquid aliis prælego, quidquid scribo. Et citrà omnem comparationem plus luminis veræ scientiæ reperio apud pedes hujus Crucifixi, ac in audiendis Missis, et iisdem inserviendo; quàm per ullam corporalem librorum lectionem, aut simile exterius studium. His auditis à tam charo Collegâ Vir Sanctus non solùm obstupuit, sed conceptum sanctitatis, et sapientiæ, quem de illo priùs gerebat, multum, imò plurimum adauxit.

Factum audivimus, et praxim; verba, et theoriam requiramus, quid videlicet Bonaventura sentiat de vero intus docentis Magisterio.

53. Primò igitur in Arbore vitæ Christum fontalem radium, seu veritatem, appellat : quod idem est, ac Sol intelligentiæ, à quo aio, omnia intellectûs nostri lumina derivari.

Secundò : In Opusculo, de Reductione artium ad Theologiam. ibi. *Reductio Philosophiæ nauralis*, etc. circa finem, clarè habet, et approbat S. Augustinum hoc dogma persensisse. Verba ejusdem inquire Cap. præcedenti Num. 179.

Tertiò : In Tractatu terminorum SS. Theologiæ, sic ait : *Sapientia DEI dicitur lux, in quantum est ratio cognoscendi omnia : dicitur speculum, in quantum est ratio cognoscendi visa : dicitur exemplar, in quantum est ratio cognoscendi prævisa, et disposita. Dicitur Liber vitæ, in quantum est ratio cognoscendi prædestinata* [ex his videas DEUM esse rationem omnia cognoscendi juxta S. Bonaventuram, qui ulteriùs ait :] *Sapientia DEI est Liber vitæ respectu rerum, ut redeuntium; exemplar, ut exeuntium; speculum, ut euntium; Lux, respectu omnium. Ad exemplar spectat idea, secundùm actum prævidendi; Verbum, secundum actum proponendi; ars, secundùm actum prosequendi; ratio, secundùm actum perficiendi.* Ibidem : *DEUS est causa exemplaris mundi, ratione cujus est in creaturâ veritas* [en unde veritas!] *species, et numerus — liber intus scriptus est DEI æterna ars, et sapientia; liber foris scriptus est mundus sensibilis.* Ex his multa colligere possemus Soli intelligentiæ conformia.

54. Quinto : In luminaribus Ecclesiæ [quod Opus ob mortem non complevit] Ser. 2. ibi. *Est Ergò sapientia*, etc. Loquens de immutabilibus regulis Divinarum legum nos ligantibus, ac necessitantibus [*ut summè primum summè et venerandum; summè verum summè esse credendum*, etc.] negat eas fundari in luce creatæ intelligentiæ :

Ergò in æterno Ente fundabuntur. Et alibi ejusdem Operis ait : Veritatem esse radium intellectûs. Vide eumdem etiam in Cap. 7. Sapientiæ, ubi illa exponens verba : *Omnium enim artifex docuit me Sapientia,* sic dicit : *Omnium artifex, scilicet superiorum, mediorum, et inferiorum (scilicet DEUS) docuit me Sapientia (id est per Sapientiam. Glossa, quia per ipsam cognitio veritatis datur : quia exteriùs potest docere homo, sed non interiùs. Unde Gregorius : Nisi intus sit, qui doceat exteriùs invacuum Doctoris lingua laborat.)* Ita Seraphicus. Lege quoque Eumdem in Caput primum Joannis per totum : ubi similia de luce mentium, et Sole intelligentiæ reperies : ac intelliges eumdem sentire, quòd solus DEUS nos docendo illuminare possit. Vide etiam si placet eumdem 2. d. 8. p. 2. q. 3. 4. 5. 6. Et d. 24. p 1. q. 4. ubi reperies hûc reducibilia.

Sensus D. Bonaventuræ de solius Christi interno Magisterio ex Itinerario mentis in DEUM.

55. Sed nullibi hunc veritatis æternæ radium meliùs, et ad rem nostram opportuniùs explicat, quàm in illo suo planè nobilissimo, a cœlesti, imò dixerim per DEUM infuso mentis Itinerario : de qu- præfatus doctissimus Cancellarius ait, *esse opus, supra quod nihil.* E loco suprà citato. *Esse opus, quo omnis laus inferior est ; cujus vi agnoscere, etiam sola credulitate, non parvus est profectus.* Et eg addo : Probet, qui non credit, et verum experietur. Vir hic Seraphi cus in suo hoc itinere, verè cœlesti, per sex gradus scalares à reru universitate, ad contemplationem divinitatis conscendit ; ducto initi per primos duos gradus à rebus exterioribus, seu corporeis, quæ di vinitatis vestigia dicuntur : mox per proximè subsequentes duos a- mentem nostram ingreditur, quæ est imago DEI æviterna, spirituali et intra nos ipsos constituta : denique per ultimos duos gradus trans cendit ad Ens entium, supra nos existens, quod est spiritualissimum et æternum : in cujus eminentissimo esse, vi solius lucis mentium contemplatur, et discernit omnia, quæ ad essentiæ Divinæ unitatem in illius infinitâ bonitate verò, ea, quæ ad Trinitatem Personaru spectant : Inde per ascensum anagogicum ad septimum gradum pe excessum mentalem progreditur. Hæc obiter de totius Opusculi div sione.

56. Sed ad rem nostram clariora habet Cap. 3. ubi ex contemplatione humanæ mentis, et ejusdem trium potentiarum, memoriæ, intellectûs, et voluntatis : ac earumdem ad invicem identitate, distinc-

[illegible]

5. Ergo ut nemem [illegible] [illegible] [illegible]

ejus : tenebrosa aqua in nubibus aeris. Præ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt, grando et carbones ignis. Et intonuit de cœlo Dominus, et Altissimus dedit vocem suam — et misit sagittas suas et dissipavit eos, fulgura multiplicavit, et conturbavit eos. Et apparuerunt fontes aquarum, et revelata sunt fundamenta Orbis terrarum. Ab increpatione tuâ Domine, ab inspiratione spiritûs iræ tuæ. — Eripuit me de inimicis meis fortissimis, etc. Et infrà. *Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine : DEUS meus illumina tenebras meas.* Et hic idem nubium ac tenebrarum discussor est JESUS CHRISTUS verus DEUS ac Dominus Dominantium, prout habetur in citato Hymno :

Nox, et tenebræ, et nubila,
Confusa mundi, et turbida;
Lux intrat, albescit polus,
Christus venit : discedite.

58. Redeo ad Doctorem Seraphicum : cujus allegata verba nullo modo exponi debent, quasi intelligenda essent de sola illuminatione, seu doctrinâ naturæ vires excedente, non de naturali mentis irradiatione : quia contrarium manifestè patet ex Capitis hujus titulo, qui sic sonat : *De speculatione DEI per suam imaginem naturalibus potentiis insignitam.* Ex quo apparet, quod D. Bonaventura ex principiis naturalibus in hoc Capite procedat. ac demonstret, ipsum DEUM, seu æternam veritatem esse nobis naturaliter conjunctam ; ac non nisi per eam docentem quidquam veri (etiam naturalis) certitudinaliter nos posse capere. Et ideò supernaturalem mentis creatæ illustrationem, aliaque supernaturalia ejus dona primum explicat Cap. 4. Ergo totum, quod habet Capite tertio pertinet ad donum naturæ, non ad donum gratiæ : et proindè sermo ibi erit de illuminatione ac doctrina naturali Unde quoque S. Doctor adjungit, hanc eadem naturalem DEI notitiam, quam ex inspectione, et consideratione mentis nostræ, ejusdemque facultatum ac naturalium operationum, naturaliter habere possumus, esse illam, de quâ loquutus est Apostolus 1. Cor. 13. v. 12. *Videmus nunc per speculum in ænigmate.* Ita Doctor Seraphicus. Sed magis sapient ipsa formalia verba seraphica. Sic ergò initium facit ad explicandos radios naturalis æternæ lucis. *Intra igitur ad te, et vide, quoniam mens tua amat ferventissimè semetipsam : nec se posset amare, nisi se nosceret : nec se nosceret, nisi sui meminisset : quia nihil capimus per intelligentiam, quod non sit præsens apud nostram memoriam. Et ex hoc advertis animam tuam triplicem*

habere potentiam, non oculo carnis, sed oculo rationis. Considera igitur harum trium potentiarum operationes, et habitudines, et videre poteris DEUM per te tanquam per imaginem, quod est videre per speculum et in ænigmate.

59. Hæc S. Doctor, qui mox à memoriâ contemplationem exorditur, cujus actus nos in DEI notitiam inducunt : licet enim memoria in se una ac simplex sit, tamen, ut S. D. observat, suo actu retinet, ac in se capit, non solùm *præsentia*, sed etiam *succedentia ; præterita*, ac *futura* [quà ratione, velut imago Divinam æternitatem repræsentat, quæ licèt sit unum indivisibile *nunc*, tamen se extendit, et circumplectitur omnia, præsentia, præterita, et futura]. Item eadem memoria, ut ait, capit, ac in se retinet, non solùm res corporeas, sensibiles, ac divisibiles ; quæ ipsi subministrantur per sensus, et phantasiam ; sed insuper simplices quasdam insensibiles, ac indivisibiles formas, quæ sibi sensibus nullatenus subministrari possunt : ut sunt notiones puncti, instantis, ac unitatis : quorum notitia necessariò præsupponitur ante notitiam illorum, quæ per hæc indivisibilia principiantur, scilicet quantitatum continuarum, et discretarum ; ac omnium motorum mobilium. Linea enim v. g. concipitur, ac intelligitur per fluxum puncti ; superficies per fluxum lineæ ; corpus per fluxum superficiei : tempus, ac motus per fluxum momenti, et instantis ; numerus per multiplicationem unitatis, etc. Cum ergo notitia horum indivisibilium per sensus non acquiratur, et tamen præsupponatur tanquam principium ante omnes scientias naturales, v. g. Philosophiam, Mathematicam, etc. Consequenter ante omnem intellectûs discursum, ante omnem scientiam erit homini juncta, cognata, et cognita hæc indivisibilium notitia : Et undè ? nisi ex luce alicujus superioris cœli, id est DEI, humanam mentem talia immediatè edocentis. Denique addit, quod præter utramque dictam memoriæ retentionem quorumdam temporales, ac indivisibiles, etiam quædam *sempiternalia, et semiæternaliter* vera capiat, ac retineat : ut sunt omnia scientiarum complexa principia, seu dignitates ; et quæcumque axiomata æternæ veritatis, quarum mens, ut ait, nunquam potest ita oblivisci, quin additis (si tamen usum rationis habet) non statim assentiatur, non tanquam de novo à monitore perceptis, sed tanquam sibi innatis, et familiaribus : et ut jam priùs notis : scilicet per aliquam lucem Divinam, et incommutabilem, quæ singulos de illis illuminat. Hæc D. Bonaventura.

60. Sed quid ex his tribus memoriæ retentionibus pro Sole intelligentiæ colligere debemus ? Respondeo, jam fuisse aliquatenus insi-

nuatum, sed in suis formalibus loquatur Vir Seraphicus: *Ex primâ igitur*, inquit, *retentione actuali omnium temporalium (præteritorum scilicet, præsentium et futurorum) habet effigiem æternitatis, cuius præsens indivisibile ad omnia tempora se extendit. Ex secundâ apparet, quòd ipsa non solùm habet ab exteriori formari per phantasmata, verum etiam à superiori suscipiendo, et in se habendo simplices formas, quæ non possunt introire per portas sensuum, et sensibilium phantasias* (conformiter iis, quæ dicit Augustinus. Vide suprà Cap. 5. Num. 99). *Ex tertiâ habetur, quòd anima habeat lucem incommutabilem sibi præsentem, in quâ meminit invariabilium veritatum.* Ergò ad mentem S. Doctoris ante omnem discursum recondita jacent in memoriâ hominis intellectivâ omnium scientiarum prima principia tum simplicia tum complexa, (*v. g Omne totum majus est sua parte : De quolibet vera est affirmatio, vel negatio : Quodlibet est, aut non est : Impossibile est simul esse, et non esse, etc.*) et quidem ut *sempiternalia, et sempiternaliter* [quantum est ex se] lucentia : quæ per signum Doctoris, aut monitoris, aut alterius occurrentiæ accita, et evocata; mox, ut in conspectum ipsius intellectûs apparent, ut illis assentiat; non miratur intellectus de iis, tanquam de scientiâ noviter acquisitâ; sed illis assensum statim præbet, tanquam veritatibus familiaribus, et sibi ex aliquâ internâ luce (æternaliter ac immutabiliter radiante, quamvis nos certo in tempore, ac loco ab eâ illustremur) innatis, et ut jam priùs (id est ante omnem discursum) notis : quæ lux æterna, et incommutabilis non poterit esse creatura; sed DEUS, quem anima naturaliter videre potest in suis operationibus. Unde concludit : *Et sic per operationes memoriæ apparet, quod ipsa anima est imago DEI, et similitudo adeo sibi præsens, et eum habens præsentem; quod eum actu capit, et per potentiam capax ejus est, et particeps esse potest.* Hæc S. Bonaventura. Quem si quæras, quid ergo sit illa lux incommutabilis ab æterno ex se lucens, sed in tempore animæ rationali patefaciens illas invariabiles veritates, respondet, et concludit per decursum Capitis, esse *Ens purissimum, actualissimum, completissimum, absolutum, et æternum; in quo sunt Rationes omnium* entium *in suâ puritate* : cujus notitia est animæ eatenus naturaliter ingenita, quia non acquiritur per discursum, prout magis suo loco explicatum intelligetur.

61. Igitur Vir sanctus, post contemplationem memoriæ, procedit ad intellectum, et ejusdem triplicem operationem : scilicet apprehensionem [seu perceptionem simplicium terminorum, vel ut alii vocant dictionem] judicium, et discursum et probat omnes has tres

mentis operationes, ut ritè fiant, dependere, ac juvari debere à conceptu entis infiniti, sive ipsius DEI : qui solus dici potest ens *purissimum, actualissimum, completissimum, absolutum, et æternum, etc.*

Sic autem orditur probationem, initio sumpto à primâ mentis operatione, quâ termini simplices percipiuntur. Tunc perfectè intelligis simplices terminos, cùm scis, quid ii sint per definitionem. Sed definitio, ut bona sit, debet fieri per superiora bene cognita, et intellecta : quæ etiam ut bene intelligantur præsupponunt notitiam suorum superiorum usque ad suprema, sive generalissima : quibus ignoratis, aut non bene intellectis, impossibile est quidquam inferiorum definitivè intelligi : Ergò ut definitivè intelligas, quid sit homo, debes prius definitivè capere, et intelligere, non solùm, quid sit animal, quid sit vivens, quid sit corpus, quid substantia, sed etiam quid sit ens per se. Ens per se autem intelligere non poteris, nisi et noveris ejusdem tres proprietates quid sint, scilicet unum, verum, bonum : nec ens diminutum, imperfectum, in potentia, secundum quid, partiale, transiens ; Ens per aliud, sive per accidens ; ens permixtum non enti, ens dependens, ens posterius, ens mutabile, ens compositum (qualia sunt communiter entia creata) perfectè aut capi, aut intelligi, aut apprehendi concipi, vel definiri poterit, seu comprehendi, vel resolvi ; nisi priùs sciatur, quid sit ens completum, perfectum, ens in actu, ens simpliciter, ens totale, ens permanens, ens per se, ens purum, ens absolutum, ens prius, ens immutabile, ens simplex, quæ omnia in solum DEUM perfectè cadunt. Ratio dictorum est clara, quia implicat terminum privativum, vel negativum perfectè concipi nisi concipiatur opposita forma : privata enim intelliguntur per positiva, ut tenebræ per lucem, cæcitas per visum, etc., tenebræ enim sunt essentialiter privatio lucis, cæcitas privatio visûs, etc., ergo et ens imperfectum erit privatio, seu negatio entis perfecti : et sic de cæteris, ens in potentia entis in actu, etc. Ut hæc faciliùs capias, lege, si lubet, in Theologia, qualiter DEUS cognoscat creaturas possibiles, entia negativa, entia rationis et peccata. Exinde enim intelliges, negativa, privativa et imperfecta non aliter definitivè cognosci posse, quàm in luce positivorum, et perfectorum.

62. Ex his concludit S. Doctor in favorem Solis intelligentiæ, non posse intellectum nostrum ullum ens creatum ens definire, aut perfectè apprehendere, ac ultimò resolvere, nisi juvetur à prævio conceptu DEI, seu *entis purissimi, actualissimi, completissimi, et absoluti : quod est simpliciter, et æternum ens ; in quo sunt rationes omnium in suâ puritate.* Ita S. Bonaventura : Ex cujus sensu habes, lucem men-

tium DEUM, nobis lucere (et sic docere) quoties aliquid certò ac definitivè apprehendimus, vel definimus.

Pergit Sanctus ad alteram operationem mentis, sive ad judicium. Nunquàm intellectus noster verè capiet aliquod judicium, seu aliquam propositionem, nisi sciat esse certitudinaliter veram, ac ita incommutabiliter, quòd non possit, ut jacet, falsa esse, nec aliter se habere : hæc autem immutabilitas non potest fundari in mente hominis (quæ mutabilis est) ergo ad hoc, ut nostra mens, in se mutabilis, illam propositionem, seu veritatem videre possit, ut immutabiliter radiantem ; indigebit aliquâ luce omnino incommutabiliter radiante, in quâ ista altera veritas inconcussa fundetur. Hæc autem immutabilis veritas non poterit esse creatura mutabilis, subjungit Sanctus, sed erit illa lux *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quæ est lux vera, et verbum in principio apud DEUM*. Ergo omne judicium præsupponit DEI notitiam, si vult esse certum, ac scientificum. Ergo DEUS, lux mentium, docet nos [ad mentem S. Bonaventuræ] non solùm res intellectualiter apprehendere, sed etiam judicare.

63. Ultimò transit Sanctus ad tertium mentis actum, seu illationem; et discursum ; quem etiam hanc naturalem DEI lucem, ac notitiam præsupponere tenet. Nam ut intellectus capiat vim consequentiæ, debet capere necessitatem conclusionis : quæ illationis necessitas semper requiritur (quin etiam terminis contingentibus, ac non entibus : V. g. *Si homo currit, movetur* : Hæc consequentia necessaria est etiam homine non existente) sed hæc necessitas illationis non potest provenire ab existentiâ rei in materiâ, (quia ut sic est potiùs contingens, non necessaria) nec ab existentiâ in anima, vel conceptu (sic esset mera fictio, non vera necessitas, nec in re). Ergò proveniet, concludit Doctor sanctus, *ab exemplaritate in arte æternâ, secundum quam res habent aptitudinem, et habitudinem ad invicem, ad illius æternæ artis repræsentationem. Omnis igitur, ut dicit Augustinus in Libro de vera Religione* [Tom. 1. Cap. 39] *verè ratiocinantis lumen accenditur ab illa veritate, et ad ipsam nititur pervenire*. Hæc Bonaventura. Ergò DEUS est, qui et illationem necessitat, et lumen accendit. etc. *Ex quo manifestè apparet* [ulteriùs loquitur Vir sanctus] *quòd conjunctus sit intellectus noster ipsi æternæ veritati, dum nisi per illam docentem nihil verum potest certitudinaliter capere*. An D. Seraphicus clariùs loqui posset ?

64. Verba D. Augustini cit. Cap. 39. sic sonant : *Ita per hanc* [Sapientiam] *ille artifex opera sua in unum finem decoris ordinata*

contexuit. Ita illa bonitas à summo usque ad extremum nulli pulchritudini, quæ ab ipso solo esse posset, invidit, ut nemo ab ipsâ veritate dejiciatur, qui non excipiatur ab aliquâ effigiè veritatis [et hoc fit quoties homo à veritate et bono incommutabili avertitur; et convertitur peccando ad bonum commutabile, unde statim subditur]: *Quære in corporis voluptate quid teneat* [ac delectet] *nihil aliud invenies, quàm convenientiam : nam si resistentia pariunt dolorem, convenientia* [sive ea, quæ conveniunt] *pariunt voluptatem. Recognosce ergò* [ex hâc veritatis modicâ effigie] *quæ sit summa convenientia : noli foras ire; in teipsum redi : in interiori homine habitat veritas, et si tuam naturam mutabilem inveneris, transcende et teipsum. Sed memento cum te transcendis, ratiocinantem animam te transcendere Illuc ergo tende, unde ipsum lumen rationis accenditur. Quò enim pervenit omnis bonus ratiocinator, nisi ad veritatem?* [Vides summam veritatem omne ratiocinium velut causam omnis ratiocinii, transcendere.] Addit in veritate esse supremam convenientiam, cum quâ homo convenire debet. Addit insuper supremam hanc veritatem, quæ lumen rationis accendit, non posse esse totaliter homini, rationis usum habenti, occultam; siquidem, etsi de hoc dubitaret, esset per eam certus se dubitare; ergo verum esset, quod dubitet. Unde sic arguit : *Si certum est te esse dubitantem, quære unde s t certum : non illic tibi omnino Solis hujus* [corporei] *lumen occurrat* [quæstioni satisfacturum] *sed lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; Quod his oculis* (corporeis) *videri non potest : nec illis quibus phantasmata cogitantur* (id est nec per sensus internos) — *sed illis quibus ipsis phantasmatibus dicitur : non estis vos, quod ego quæro : neque illud estis, unde ego vos ordino, et quod mihi inter vos fœdum occurrerit improbo, quod pulchrum approbo,* etc. En iterùm per Augustinum verus Sol intelligentiæ ! Redeo ad Doctorem Seraphicum.

65. Post intellectum accedit D. Bonaventura ad voluntatem, seu potentiam rationalem appetitivam, sive electivam : et, ut suprà, ostendit ex tribus actibus, ad perfectam electionem requisitis [id est consilio, judicio, et desiderio] lucere nobis ipsum DEUM naturaliter. Nam omni consilianti, et inquirenti de meliori eligibili, lucet ratio summi boni, sive summè eligibilis (meliùs enim dicitur, quod est vicinius summo) omni judicanti de consiliabilibus certitudinaliter, lucet æterna, ac justa lex, seu regula ad sic judicandum, quæ certa appareat, et indijudicabilis. Omni desideranti se beatum esse (quò naturaliter omne desiderium tendit) lucet ratio summi boni, à quo,

vel ejus imagine (quæ si pro re accipitur, fit idolum, erratur et peccatur) ultimò movetur quisquis desiderat. Sic ratiocinatur Doctor Seraphicus Cap. 3. Et bene notentur ipsius verba formalia : *Omni igitur consilianti necessariò est impressa notitia summi boni.* Et infrà. *Igitur in judicando deliberativa nostra pertingit ad Divinas leges, et plena resolutione dissolvat.* Et adhuc inferiùs : *Tanta est vis summi boni, ut nihil nisi per illius desiderium à creaturâ possit amari.* Et dein : *Vide ergò quomodo anima DEO est propinqua, et quomodo memoria in æternitatem, intelligentia in veritatem, electiva potentia ducit in bonitatem summam.* Hæc ille.

66. Idem lucis mysterium supponit Cap. 2. dum ex hoc, quod omnis dijudicatio habet fieri per rationem immutabilem, incircumscriptibilem, ac interminabilem, et æternam, concludit, DEUM esse Rationem omnium rerum, Regulam infallibilem, lucem veritatis, *in quâ cuncta relucent infallibiliter, indelebiliter, indubitanter, irrefragabiliter, indijudicabiliter, incommutabiliter, incoarctabiliter, interminabiliter, indivisibiliter, et intellectualiter. Et ideo leges illæ, per quas judicamus certitudinaliter, de omnibus sensibilibus in nostram consideratione venientibus ; cùm sint infallibiles, et indubitabiles intellectui apprehendentis ; sint indelebiles à memoriâ recolentis, tanquam semper præsentes ; sint irrefragabiles, et indijudicabiles intellectui judicantis : quia, ut dicit Augustinus, nullus de eis judicat, sed per illas : necesse est eas esse incommutabiles, et incorruptibiles, tanquam necessarias, incoarctabiles, et tanquam incircumscriptas, et interminabiles, tanquam æternas, ac per hoc indivisibiles, tanquam intellectuales, et incorporeas : non factas, sed increatas, æternaliter existentes in arte æternâ : à quâ, per quam, et secundum quam, formantur speciosa omnia, vel formosa : et ideo nec certitudinaliter dijudicari possunt, nisi per illam, quæ non tantùm fuit forma cuncta producens ; verum etiam cuncta conservans, et distinguens ; tanquam ens in omnibus formam tenens, et regula dirigens, et per quam dijudicat mens nostra cuncta, quæ per sensus intrant in ipsam.* Ita Vir planè cœlestis de increatâ luce mentium, DEO ; quæ immediatè menti conjuncta, eamdem docet, et ad omnes actus rationis movet : et per eamdem omnia, ut ait, quæ in sensus incurrunt judicamus. Et hoc totum aliud nihil, ego dico.

67. Et Cap. 5. et 6. ab hâc eâdem mentium luce edoctus, omnem ferme, tum essentialem, tum notionalem DEI notitiam edisserit (inquantùm videlicet possibile est) illam ex unico DEI prædicato *Qui est :* sive ex Esse Divino (quod est primum naturæ Divinæ prædi-

catum) hanc verò ex attributo bonitatis : quod emanationum considerandarum fundamentum est. Lege, si placet, et non pigebit. Denique Cap. 7. transcendit ad intellectus sabbatisimum et mentis excessum, ac supernaturalem DEI lucem, quò solâ gratiâ præeunte valemus pervenire.

68. An hæc, ex Seraphico Doctore prolata, conformia sint meo Soli intelligentiæ Tibi prudenti Lectori dijudicandum relinquo. Habes enim claram D. Bonaventuræ confessionem, et quod ipse scientiam didicerit à Crucifixo : *et quòd manifestè appareat, quod conjunctus sit intellectus noster ipsi æternæ veritati, dum nisi per illam docentem, nihil verum potest certitudinaliter capere :* Imò hominem *per se videre posse veritatem, quæ* ipsum *docet,* nisi illæ binæ nubes se interponant. Habes DEI Sapientiam esse rationem omnia cognoscendi. Habes nos nihil posse certò definire, judicare, concludere, desiderare, etc., nisi juvemur à prævio conceptu *entis purissimi, actualissimi, completissimi, et absoluti :* in quo cuncta reluceant *infallibiliter, indelebiliter, indubitanter, irrefragabiliter, indijudicabiliter, incommutabiliter, incoarctabiliter, interminabiliter, indivisibiliter, intellectualiter :* et uno verbo, incircumscriptibiliter, ac independenter ab omni loco, et omni tempore, et omni mutatione, seu variatione.

Ultimò, scias Lector, Doctorem Seraphicum hoc suum in DEUM mysticum iter summa diligentia composuisse, à seculi tumultu ex integro separatum, erectissimâ in DEUM mente, in apice montis Alverniæ, loco tam mirè devoto, ubi in hodiernum diem visitur ejus cellula, et dixerim cœlum, ex quo tam nobile nobis effulsit lumen : quam cellam et ipse præsens veneratus sum Anno 1678. die 21. Aprilis.

Pro Coronide.

69. Concludo hoc Caput 6. (in quo hujus incommutabilis Lucis arcanum, et à Doctoribus Scholasticis aio probari) per alia communia Philosophorum principia, ex quibus æstimo hoc idem lucis mysterium non obscurè derivari posse, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum : et hoc dogma firmum sit ex attestatione Christi, per Scripturam ; Moysis in Patribus, et Theologis ; et Eliæ in Magistris Philosophis.

Principia hæc Philosophorum sunt præcipuè ista tria. Primum, quia dicunt, de particularibus, et contingentibus non dari scientiam, sed de universalibus tantùm : ac solum de rebus abstractis, necessa-

riis, æternis, immutabilibus : respectivè ad intellectum videlicet. Secundum principium est, quia pro causis scientiæ, et pro demonstrationis [quâ scientiâ generatur] principiis, requirunt, propositiones æternæ, immutabilis, ac necessariæ veritatis. Tertium, quia ad legitimam demonstrationem exigunt, ut procedatur à medio distributo (hinc *dictum de omni, et dictum de nullo*). Et pro scientiâ sophisma, ac deceptionem induci, aiunt; si à medio non distributo procedatur Unde profluit deceptio à dicto secundum quid ad dictum simpliciter Hæc illi in Rationali Philosophia.

70. Modo sic arguo : Aut hæc vera sunt, aut falsa ? Hoc nemo dicet, ergò primum erit dicendum. Si vera sunt, aut per fictionem mentis primum incipiunt esse vera : aut vera sunt per seipsa, etiam nemine cogitante ? Prius dici non potest, quia veritas, quæ non fundatur in re, sed in conceptu, est potius falsitas, seu fictio, quàm veritas : Ergò erunt vera per seipsa. Ergò id, de quo (velut objecto et motivo formali) est scientia erit vera res necessaria, æterna, immutabilis ; ex se abstracta, non contingens : Ergò id, quod causat scientiam erit realiter veritas æterna, et necessaria ; res distributa pro omni, et universalis. Sed nihil datur realiter necessarium, æternum immutabile, non contingens ; realiter abstractum, et universale præter DEUM, ac rerum Ideas : Ergò DEUS, vel rerum Ideæ erunt id, de quo velut objecto formali ; et id, per quod habetur scientia. Ergò juxta Philosophiam DEUS solus causat scientiam ; Ergò juxta Philosophiam solus DEUS docet. Ergò et Philosophis est nota (saltem per rimas) LUX DOMINI INCOMMUTABILIS, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*.

71. Ergò Sol intelligentiæ Christus, quamvis ab hominibus ut talibus testimonium non accipiat (Joan. 5. v. 34.) accipit tamen ab operibus, quæ ipse facit ; et non solum ab operibus naturam excedentibus, quibus Lux rerum supernaturalium comprobatur : sed etiam ab operibus naturæ, à mentibus creatis videlicet, quæ cùm ad imaginem DEI factæ sint, non possunt non attestari Divinum exemplar, à quo processerunt : et illud ipsum velut naturalem intelligentiæ Solem proclamare, à quo sicut cætera entia solùm ut nuda DE vestigia, sic creatæ mentes honorificentiùs ut Ejusdem imagines procreantur.

CAPUT VII.

SOLIS INTELLIGENTIÆ LUMEN INDEFICIENS, SIVE DEI UT ENTIS SUMMMI INTERNUM MAGISTERIUM PROBATUR EX RATIONIBUS.

SUMMARIUM. — 1. Hic conglobantur rationes alibi sparsæ, pro quarum intelligentia refricantur Hypotheses. — 2. Ex rationibus pro parte intellectiva, facilè intelligitur et de parte affectivâ. — 3. Omnes rationes reducuntur ad unum Syllogismum.

1. Quamvis plurimæ rationes, et argumentorum ratiocinia in favorem unius solius intelligentiæ Solis fuerint in præcedentibus adducta; tum in expositione hypothesium; tum in allegatione testimoniorum Sacræ Scripturæ, SS. PP. et Doctorum Scholasticorum : lubet nihilominùs in hoc speciali, et separato Capite, omnia, aut præcipua hujusmodi argumenta, et solo lumine naturæ, vel ratione naturali deducta, ante oculos seorsim ponere : ut cuique compertum sit, hoc lucis æternæ mysterium non solùm auctoritate multiplici, sed etiam rationibus efficacibus comprobari. Ut autem hæ meliùs capiantur, oportet hypothesium, quas suprà Cap. 3. ut inconcussas supposuimus. meminisse : et inter alias etiam decimæ tertiæ, quâ probatum fuit, id verum internum docere, ac verum interni magisterii genus esse, quo verè in discipulo doctrina producitur : ita ut ille solus hoc sensu verus Magister sit, qui facit scire, qui transfert discipulum à statu ignorantiæ ad statum scientiæ ; qui verè tenebras ignorantiæ suâ actione expellit; qui facit, ut discipulus, cum suo oculo mentis, non solùm credat; sed etiam intellectualiter videat id, quod sibi à docente Magistro dicitur : sive dein apprehendendo, judicando, aut concludendo : prout nimirum scientia, quàm alter docet, aut fuerit apprehensiva (seu definitiva) aut judicativa, vel illativa, ac formalis.

2. Porrò cùm integra Operis quæstio sit de immediatâ mentis motione, non solùm quoad partem animæ intellectivam, sed etiam affectivam, tamen facilè ex dicendis de immediatâ motione intellectûs, ob paritatem rationis, colligere possumus etiam pro immediatâ motione voluntatis. Si enim solus DEUS potest intellectum nostrum intus docendo illuminare, etiam solus DEUS potest voluntatem nostram ad agendum efficaciter et sufficienter inclinare. Prout Doctor

Angelicus sapienter discurrit 1. p. q. 105. a. 4. Vide suprà Cap. Num. 28. Et Cap. 1. Num. 88 et 89.

3. Loquendo igitur de doctrinâ, seu mentis illuminatione, quai solo à DEO immediatè provenire demonstrare intendo, omnes hæ tiones, seu probationes, quæ ad hunc finem conglobantur, ad hı unum Syllogismum revocantur.

Si DEUS solus [appropriatè Christus] internè non doceret,
etiam homo, vel alia creatura internè docere posset :
Sed nec homo, nec alia creatura potest internè docere.
Ergò solus DEUS internè docet.

Major est certa ex sufficienti partium enumeratione : Nam pra DEUM, et creatum nihil datur, cui actus docendi valeat adscri Minor igitur demonstranda erit, et consequentia confirmanda. Et utroque inservient hæ binæ Sectiones cum suis Paragraphis.

SECTIO I.

NEC HOMO, NEC ALIA CREATURA INTELLECTUALITER, SEU INTERNÈ DOCER POTEST.

SUMMARIUM. 4. Ratio prima, quia sensibilia verba non possunt causare internam sc tiam : — 5. Aliàs signum ad placitum posset causare primum significatum concep rei. — 6. Cùm tamen nec suum proprium formalem possit. — 7. Quod ostenc exemplo D. Augustini. — 8. Et per experientiam Auctoris. — 9. Unde absque al rerum intuitu nec rerum, nec nominum scientia acquiritur. — 10. Discipulorum troversio. — 11. Verba solùm respiciunt auditum; non visum; ubi fit scientis 12. Omnis Scientia fit per mentalem visum, seu mentalem experientiam. — 1: homo posset intus docere, posset docere cæcum de coloribus. — 14. Non sola ob apprehensio, sed etiam judicium, et illatio debent causari per mentalem intuitum 15. Verba non eruunt res ex tenebris, sed solum lumen hoc facit. — 16. Verba tantùm monitoria signa. — 17. Solùm manuducunt ad verum Magistrum.—18. gister creatus causat scientiam, in discipulo audiente, sicut imago exemplaris causat amorem in vidente. — 19. Si homo posset mentem alienam docere, poss liberum arbitrium movere. Objectio ex D. Thomâ solvitur. — 20. Si intus dc posset secreta alieni cordis penetraret. — 21. Probatur denique per argumentun formâ, et quidem, ut puto, demonstrativum. — 22. Expenditur argumentum confirmatur.

4. Probatur specialiter de homine sic : Si homo posset intei docere, posset in mente discipuli scientiam, et doctrinam causa: sed consequens non potest, ergo nec antecedens. Probatur minoı

posset scientiam, et doctrinam in mente discipuli causare, causaret eam per vocem, per verba, et alia signa sensibilia; sed per hæc eam causare non potest, ergo, etc. Major per se constat, quia in his consistit totus exterior hominis concursus, quo nititur in discipulo doctrinam producere : nec aliud immediatè à discipulo percipitur, quam Magistri vox, verba, aliaque Magistri sensibilia signa. Probatur ergò minor. Juxta Hypothesim decimam quartam, decimam quintam, et decimam sextam, doctrina, vel scientia fit, et inest subjecto spirituali, ac interno, id est in ipsâ mente, non autem in corpore, aut aliquo subjecto corporeo. Et consequenter non potest attingi, produci, vel causari ab actione sensibili, quæ tota foris in corpore, ac corporeis organis, et sensibus terminatur : sed vox, verba, aliaque signa, in sensus incurrentia, sunt actio sensibilis : ergò non possunt attingere, producere, vel causare doctrinam, vel scientiam. Totum argumentum fuit in dictis 3. Hypothesibus sufficienter probatum, et demonstratum.

5. Confirmatur 1. Si homo posset in discipulo per sua verba scientiam, et doctrinam causare, tunc signum instrumentale ad placitum (quale inter alia et etiam signum verbale) haberet vim producendi, et ingenerandi in mente, cui objicitur primum conceptum rei significatæ : sed hoc convenit tantum signo formali et naturali (quæ habent vim audienti, aut videnti id objiciendi, ad quod significandum à naturâ instituta sunt : quæ signa etiam à bestiis percipiuntur) signa verò ad placitum non possunt illi, cui objiciuntur primum conceptum rei, ad quem significandum ordinata sunt ingenerare, sed illum supponunt jam inesse, de quo eumdem solum commonefaciunt, ut illius iterum recordetur : hædera v. g. (quæ est signum instrumentale ad placitum vini) in æternùm mihi non denotabit hic divendi vinum, nisi aliunde noverim, quid sit vinum. Et sic hædera objecta oculis solùm monet illius rei, quam aliunde jam cognitam habeo, ut refricatâ memoriâ vini, inducar ad credendum hîc divendi vinum. Nec enim signum exterius, sive instrumentale de internâ veritate me certificat; sed solùm facit, ut credam hîc divendi vinum : naturalem verò, seu primum conceptum vini supponit me jam aliunde habere.

6. Confirmatur 2. Signa instrumentalia ad placitum (qualia sunt omnia verba, quibus loquimur) non tantùm nequeunt, si per se nuda spectentur, scientificum rerum significatum menti audientis imprimere (sive nequeunt per se sola rerum scientiam docere) sed nec quidem seipsa, sive proprium suum conceptum, ac notitiam : id est nec quidem ipsorum signorum scientiam edocere valent : seu, ut

clariùs loquar, verba nec possunt me docere scientiam realem (v. g. Physicam, etc.) nec verbalem (v. gr. Grammaticam, aut peritiam novi idiomatis). Imò potiùs hanc signorum, seu verborum veram notitiam, ac intelligentiam tunc primùm acquirimus, cùm ad pronuntiationem signorum, seu verborum, ipsas res significatas oculo mentis, vel carnis intuemur. Patet manifestè in iis, qui in Regione peregrinâ novam, et priùs incognitam addiscunt linguam. Hi certè ad nudam loquentium pronuntiationem nullum omnino addiscunt verbum, cum omnia illis (ut suppono) sint æqualiter incognita. Unde ergo, quando, et ex quo, verborum peregrinorum scientiam, ac notitiam acquirunt? Nimirum tunc, cum unà cum pronuntiatione verborum res ipsæ demonstrantur, et digito, aut alio corporis gestu indicantur, et veluti eorumdem oculis inspiciendæ coram exhibentur : tunc primum ex inspectione rerum, verborum significationem addiscunt : id est incipiunt cognoscere tali verbo, cum istis syllabis sic et sic pronuntiato, talem, et talem rem ex hominum placito, vel condicto significari. Hoc eodem modo contingit infantes, ac pueros nativas linguas primitus edoceri, id est plùs ex inspectione rerum, sensibus exhibitarum ; quàm ex auditione verborum.

7. Loquatur Vir magnus Augustinus de se, ut puero prima verba addiscente : *Non enim docebant me majores homines, præbentes mihi verba certo aliquo ordine doctrinæ, sicut paulò post literas* : sunt verba ipsius Libro 1. Confess. Cap. 8. *sed ego ipse mente, quam dedisti mihi, DEUS meus, cum gemitibus, et vocibus variis, variisque membrorum motibus, edere vellem sensa cordis mei, ut voluntati pareretur nec valerem, quæ volebam omnia, nec quibus volebam omnibus : prensabam memoriâ, cùm ipsi appellabant rem aliquam, et cùm secundùm eam vocem corpus ad aliquid movebant, videbam, et tenebam hoc ab eis vocari rem illam, quod sonabant, cùm eam vellent ostendere. Hoc autem eos velle ex motu corporis aperiebatur, tanquam verbis naturalibus omnium Gentium, quæ sicut vultu, et nutu oculorum, cæterorumque membrorum actu, et sonitu vocis indicante affectionem animi in petendis, habendis, rejiciendis, fugiendisve rebus. Ita verba his variis sententiis, locis suis posita, et crebrò audita, quarum rerum signa essent ; paulatim colligebam, measque jam voluntates edomito in eis signis ore, per hæc enuntiabam.* Hæc de se Augustinus.

8. Sed meipsum quoque in exemplum hujus rei puerilis adduco. Undecimum agebam annum, et à parentibus in regionem non adeò longinquam missus fueram, ut ibi discerem alienum, quod ignorabam idioma. Unde nec numeros, nec alia regionis usualia verba

intelligebam, semel accidit, ut mater familias me coram stantem videret et suo idiomate alloqueretur, dicens : Sitze nider : ego verbum istud minimè capiebam : sed quia cum prolatione verbi à matrefamilias signum mihi sat notum adverteram indicari (nam indice scamnum monstrabat) protinus intellexi per illud mihi, peregrinum nomen : Sitze nider/ actum sessionis significari. Dum ibi quietus sedebam, cæpit præfata materfamilias, cum alio vase certam farinæ speciem mensurare, replicatis numeris proprii idiomatis : Eins/zwey/drey/ usque ad numerum quintum decimum. Ego sollicitus audiebam, et mox cogitare cæpi, hisce mihi ignotis vocibus, ex ore matrisfamilias prorumpentibus, significari res jam priùs mihi valde notas, id est numeros usque ad quintum decimum. Quos licet germanicè appellare nescirem, in re tamen sciebam quid essent. Et sic ex his naturalibus signis, et inspectione ipsarum rerum (non autem ex prolatione verborum, mihi tunc peregrinorum) didici numerare, et numeri germanici significationem usque ad quintum decimum Ergò verba, seu pronuntiatio verborum, quibus homines ad docendum utuntur, non tantùm non possunt ingenerare, aut rerum, aut suum proprium significatum, sed potiùs rebus jam visis, et scitis illorum significatio fit, et completur.

9. Ex his collige cùm verborum pronuntiatio nec quidem ipsorum verborum scientiam, absque rerum intuitu efficere possit, multò minùs absque eodem intuitu (corporali, aut mentali) scientiam rerum efficere, aut causare poterit. Consequenter, quoties cernimus, quòd ad pronuntiationem verborum Magistri in discipulo scientia, seu notitia exurgat; neutiquam cogitare debemus hoc fieri physicè causaliter ex vi verborum, sed solùm concomitanter, ob conjunctionem alterius veræ causæ, ad quam interim, ut discipulus oculos elevaret multùm profuerunt verba, quia monuerunt. Et hinc videmus sæpissimè, quòd discipulus, etiam post exteriùs prolata verba Magistri, necdum sciat, vel capiat; sed quod totus solicitus secum contempletur, et nitatur, conetur, ac satagat, et alium quemdam sibi intus loquentem audire, qui rei per Magistrum propositæ veritatem edoceat ac pandat, quàm exteriora verba edocere non potuerunt, sed solùm monuerunt, ut secum internè disquireret.

10. Et ob hanc eandem rem multoties experimur, quod Magistro in cathedrâ operosiùs explicante, discipuli cogitabundi oculos ab eodem tantisper avertant, et mente suâ introrsum veluti aliquid reperturi se intimiùs recolligant, indice frontem (ubi vis apprehensiva residet) quandoque tangendo, et apprehendendo. Quò putas illos tunc

abire, nisi ad consulendum alium verum Magistrum, qui testetur, vel neget ita rem se habere, ut exterior Magister locutus est? Et equidem tunc primum discunt, ac verè sciunt, si videlicet interioris Magistri, qui DEUS Veritas est, affirmativa responsio subsequatur : tunc veluti effosso thesauro, quem quærebant, et digitum à fronte, et abreptam mentem ab interiori officinà in palàm iterùm explicant, novam parturitionem ex Magistri novis verbis concepturi. Et nunquid non sic fit cum in scholà addiscimus?

11. Confirmatur 3. Is, qui tantum loquitur ad auditum discipuli, et non ad ejus mentalem visum; sive ad solas aures, et non ad oculos, scientiam intus edocere non potest, sed tantùm ad credendum inducere : Sed Magistri creati per suas verborum attestationes tantùm loquuntur ad auditum, et ad aures discipuli, non verò ad ejus visum, seu mentis oculos; ergò creati Magistri discipulum scientiam intus edocere non possunt. Major colligitur ex Rom. Cap. 10. v. 17. *Fides ex auditu* (id est evenit, seu fit) *auditus autem per verbum Christi.* Et quia scire est rem oculis (carnis, aut mentis) videre, et cernere. Unde S. Augustinus Cap. 11. de Magistro pulcherrimè inferet Verba Magistrorum solùm monere, *ut quæramus res,* non illas exhibere, *ut noverimus* : illum verò solum et unicum docere, *qui vel oculis vel ulli corporis sensui, aut ipsi etiam menti præbet ea, quæ cognoscere volumus.* Ita Augustinus. Minor constat ex suprà dictis : consequentia est legitima : sed adhuc magis constabit ex sequenti Confirmatione, quæ aliis verbis idem dicit.

12. Confirmatur 4. Omnis scientia generatur, et sit per mentalem intuitum, vel mentis experientiam, quâ mentalis oculus, aut ipsa rem scibilem, secundùm se, prout in se est, intuetur (si est scientia intuitiva) aut ejusdem rei formales causas, æternas rationes, ac immutabiles regulas (si est scientia abstractiva à priori) aut ejusdem veri effectus (si est scientia abstractiva à posteriori). Sed hunc intuitum vel mentalem experientiam nec homo, nec alia creatura potest aliena mente causare, ergò nec homo, nec alia creatura potest alienâ mente scientiam causare : consequenter nec propriè intus docere : quia ipsum verum, ac proprium internum docere importat doctrinæ, vel scientiæ productionem. Major habetur ex definitione scientiæ, quâ dicitur, quòd scientia non solùm sit *cognitio certa,* sed etiam *evidens rei per causam* : ergò sine mentali intuitu esse non potest. Probatur ergo minor. Nullus intuitus potest ab alio causari, quàm à suis propriis principiis, sed principia causativa sunt tantùm duo, scilicet effectivum (et est ipsa potentia

visiva, per generalem, aut specialem DEI concursum adjuta), et objectivum alterum, id est externum motivum (et est ipsum lumen, sive objectum, ut illuminatum) primum principium vocatur internum, seu conjunctum : alterum verò externum. Ergo ab his solis duobus principiis potest intuitus causari; non verò ab homine, vel alio Magistro creato : cùm nec sint potentia visiva, nec lumen. Poterit ergo intuitus scientificus objectivè, et motivè à solo DEO immediatè causari, qui est *Lux vera, quæ illuminat omnem hominem*, etc. ut in superioribus abunde monstratur, est illa communis ratio objectiva, non quâ ratiocinamur, sed quæ nos facit raciocinari, quam ratiocinando intuemur, et quæ, ut ratiocinemur, et scientificè aliquid cognoscamus, debet ante oculos mentis obversari.

13. Confirmatur 5. Si homo, vel alia creatura (quæ non est potentia visiva, nec lumen) posset in altero intuitum causare, vel scientiam edocere; posset etiam eumdem intuitum causare in cæco de coloribus : et consequenter posset cæcum docere de coloribus : sed hoc est impossibile (quia *cæcus non judicat de coloribus*, ut dicitur 2. Physic.) ergò et illud. Probatur sequela majoris. Quisquis verè, ac propriè docere potest, etiam potest in mente discipuli conceptum rei priùs incognitæ procreare : cur igitur non possit etiam in mente cæci conceptum, seu intuitum colorum nunquam visorum efficere, ac procreare? Dices : creatum Doctorem, vel hominem, illa solummodo edocere posse, quorum in nobis apprehensio sensitiva præcesserit. Quia pro statu isto *nihil est in intellectu, quod priùs non fuerit in sensu*. Et quia *intelligentem necesse est speculari phantasmata* : ut dicitur 3. de Animâ. Cùm autem in cæco ista sensitiva colorum apprehensio non præcesserit (ut suppono) sic de coloribus edoceri non poterit. Sed contrà. Qui non potest in altero causare id, quod minus est, nec quod majus est potest : sed homo non potest in altero causare primam, obscuram, et imperfectam notitiam; sive objecti apprehensionem (quæ quid minus est). Ergo nec poterit causare claram, distinctam, definitivam, judicativam, vel illativam, (quæ aliquid majus est) Adde : Ideo non potest cæcus apprehendere colores, quia illos nunquam vidit. Ergo à simili nec poterit definire colores, aut de coloribus aliquid judicare; vel de coloribus aliquid concludere, si videlicet objectivam colorum definitionem, vel judicium, et consequentiam, oculo suo mentali nunquam vidit, nec aspexit. Si autem oculo suo vidit, non jam per alterius doctrinam videbit, aut discet : sive ut loquitur D. Augustinus, talis *suâ contemplatione, non verbis* (Magistri) *novit*.

14. Et certè, si res bene perpenditur, advertemus ; quod sicut vera objecti apprehensio necessariò habet fieri, ac generari per intuitum, seu visionem . ita quoque alter actus mentis, seu judicium : et tertius, sive illatio, necessariò habeant fieri, et generari per intuitum, ac visionem, mentalem scilicet, ad quam producendam verba Magistri nec effectivè, nec objectivè, nec motivè influunt ; sed per se fidem magis, quàm intuitum, vel scientiam generant. Assentiri enim propter verba alterius est fides, non intuitus, aut scientia. Sicut ergo ad apprehendendum duo extrema requiritur mentalis experientia, seu mentis visio ; ita quoque ad percipiendum ipsorum copulam, seu quod unum afficiat alterum, et quod ex duobus talibus judiciis sequatur tertium, requiritur eadem mentalis experientia, seu mentis visio : Et sicut de coloribus non visis Magister creatus non potest in cæco causare apprehensionem, ita nec in aliis de judiciis, vel consequentiis, mente non visis : Consequenter nihil intus docere poterit. Et quid nuda verba mea prosint alteri ad intuitum ? Si ego, v. g. mente experior, hominem esse animal rationale, album esse disgregativum visûs, Petrum esse doctum, ex admirativo consequi risibile : et inde verbis coram inscio definio hominem esse animal rationale, et sic de cæteris. Num ista verba mea proderunt, ut hic inscius ista intelligat, et mente experiatur, ac videat ? credet mihi, sed non sciet.

15. Confirmatur 6. Qui vult in altero intuitum alicujus rei causare, et illum de illà re docere ; debet facere, quòd illa res ex tenebris eruatur, et ex abscondito in palàm veniat, et oculo discipuli pandatur, manifestetur, exhibeatur (quia nec oculus carnis, nec oculus mentis potest rem videre constitutam in tenebris, et in abscondito) sed hoc Magister creatus facere non potest : ergo nec prius. Probatur minor. Si posset facere, faceret per verba, quibus in docendo utitur, sed per hæc non potest ; ergo, etc. Probatur minor. Solum lumen formaliter, et sola lux (quæ est genitrix luminis) effectivè ac motivè potest rem eruere ex tenebris, ex absondito in palam facere, oculo videntis pandere, manifestare, exhibere (juxta illud Pauli Ephes. 5. *Omne enim, quod manifestatur lumen est)* ergo nec verba docentis. Probatur consequentia. Etsi millies per tua verba mihi attesteris, fluxum et refluxum maris ab hâc, vel illa causâ provenire, nisi tamen mihi fulgeat lumen veritatis, id quod tu totum asseruisti remanet adhuc mihi in tenebris, in abscondito, non manifestatum, non exhibitum. Consequenter non verba exteriùs loquentis sed potiùs ipsa lux et ipsum lumen (vel objectum illuminatum, p

se, vel per productam speciem, feriendo oculum mentalem) res omnes intus manifestat, et mentis intuitum causat, conformiter Hypothesi quartæ. Interim lubens concedo, quòd verba exterioris Magistri mentem discipuli ad lucem, rerum manifestativam, dirigant, ac manuducant : sed hoc non sufficit; et hinc.

16. Confirmatur 7. Sicut visio corporalis nullo modo, verè ac propriè loquendo, fit, aut procreatur ab eo, qui verbis suis me monet, ac dirigit, ut oculum carnis meæ projiciam in objectum coloratum, aut illuminatum [sed tantùm potest vocari causa moralis, aut conditio sine quâ non, aut ad meliùs esse, aut pura occasio] ita pariter visio spiritualis, seu intellectualis, vel scientia, nullo modo, verè ac propriè loquendo, fit, aut intus procreatur ab eo, qui verbis suis me monet ac dirigit, ut oculum mentis meæ (id est intellectum) projiciam, et convertam in objectum verum, sive ad lumen veritatis. Sicut enim ibi objectum illuminatum, seu lumen sensibile, est vera causa motiva : ita pariter et hîc, ipsum objectum verum, seu lumen veritatis erit vera interior causa, et interius motivum. Vel brevius sic : Solum lumen sensibile docet externum oculum carnis colores, et alia objecta sensibilia : ergo etiam solum lumen intelligibile, seu æterna veritas docet internum oculum mentis omnes veritates, et omnia intelligibilia. Et sicut radii solares oculum carnis illuminantes à solâ luce solari procedunt, ac producuntur ; non à monente, ut te convertas ad Solem : ita quoque radii veritatis, oculum mentis scientificè intus illuminantes, et res occultas patefacientes, procedunt, ac veluti gignuntur à solâ æternâ luce Solis intelligentiæ ; non ab eo, qui per sua multiplicata verba me monet, ut me convertam ad eumdem intelligentiæ Solem. Verba autem Magistri creati nihil aliud sunt quàm monitoria quædam, ut bene D. Augustinus observavit (vide suprà Cap. 5. Num. 74.) monentque discipulum, ut studiosè aspiciat ad æternam veritatem : quâ post admonitionis verba sibi necdum irradiante, manebit æquè ignorans sicut antea : si verò sibi veritas intus irradiaverit, et doctus evaserit, hoc totum referat interiùs acceptum æternæ veritati, et non verbis monentibus Magistri creati : quæ sicut interiùs docere non possunt aut irradiare; ita nec veritatem alteri intus manifestare. Vide quæ dixi suprà Cap. 2. Sect. 2. et 3.

17. Confirmatur 8. Per aliam duplicem similitudinem. Certum est, quod is, qui puerum, vel discipulum solummodo manuducit, ac ad verum Magistrum dirigendo comitatur, ut ibi ab eodem doceatur, non sit verus Magister ; nec eidem doctrina, vel scientia, quam discipulus addiscit, veluti auctori adscribenda sit : At potiùs famulus vocari

debet, et pura moralis conditio. Item is, qui candelam accensam, seu lumen infert in obscurum cubile, non ideo verè, ac propriè illuminat cubile : sed lumini tantùm verè ac propriè illuminatio adscribitur. At similiter verum est, dum Magister creatus alterum docere nititur, quod solum manuducat discipulum ad verum Magistrum ; quod solum veritatis lumen in cubile mentis inferat : seu potius digito solummodo, ac verbis, et admonitionibus ejusdem mentalem oculum in illud lumen dirigat : quod quidem lumen si discipulus non capiat, aut non assequatur ; frustanea quoque erunt omnia Doctoris verba : si autem capiat, et assequatur, hoc fiet per illud lumen, non autem per illa verba : per illud quippe lumen mens discipuli erudietur, ac illuminabitur. Et quis non advertit totum Magistri conatum in eo situm esse, ut discipulo persuadere possit, ut oculo mentis suæ aspiciat, videatque, quomodo una veritas emanet ab alterâ, et ex alterâ subsequatur. Quam emanationem, vel sequelam quisquis videt intelligit : qui non videt non intelligit. Et si intelligit, *suâ contemplatione, non verbis novit,* inquit Augustinus. Verba Doctoris creati solùm monent, aliud intus efficiunt nihil : exteriùs rigant, sed incrementum dat DEUS ; ad corporis aures clamant, sed intelligentiam menti dat Sol intelligentiæ Christus. Et hoc ipsum est quòd toties repetit Augustinus locis superiùs ex eodem citatis, Cap. 5. Sect. 4. et præsertim toto § 9.

18. Confirmatur 9. Magister creatus non aliter ad doctrinam in discipulo producendam concurrit, quàm pulchra quædam imago (rei, vel personæ multùm dilectæ) ad amorem producendum in corde amantis. Sed quis dixerit, ipsam imaginem, vel picturam infantuli JESU, Christi Crucifixi, ejusque Sanctissimæ Matris amorem producere in corde amantis JESUM, et Mariam : et non potius ipsum verum objectum, ipsum verum JESUM, verum Crucifixum, veramque beatam Virginem esse, quæ ad præfatæ imaginis sensibilem admonitionem, cor, seu mentem amantis objectivè attingant ; et ad amandum incitent, ac impellant : ipsâ imagine, et ejus coloribus officium monitoris, et manuductoris solummodo subeuntibus ; mediantibus quibus primò exterior oculus movetur, dein cor, et ipsa mens, vel oculus mentalis amantis, ad verum objectum, et verum amoris motivum manuducitur. A simili fit in Magistro creato quoad producendam in discipulo doctrinam, vel scientiam. Doctor enim exterior, sive creatus, est imago Doctoris interioris increati. Undè licèt solus Christus sit *Lux vera, quæ illuminat omnem hominem :* tamen etiam Apostolis dicitur : *Vos estis Lux mundi,* scilicet imagines veræ lucis

æternæ, et incommutabilis, id est Sapientiæ increatæ. Hæc sola docet, et movet; ad quam per colores verborum suorum oculum mentalem discipuli admonendo, manuducunt Apostoli et alii creati Magistri. Et sicut v. g. imago picta Salvatoris objecta exteriori oculo monet intellectum videntis de JESU, et de ipsius pulchritudine, et bonitate (quæ dein movent intellectum ad Christi contemplationem, et voluntatem ad amorem) ita verba exterioris Magistri, quibus discipulo veritates exponit, monent ejusdem intellectum de incommutabili luce, quæ taliter intellectui discipuli per Magistrum admota eumdem movet ad intelligendum, etc.

19. Confirmatur 10. Homo, vel Magister creatus nequit verè propriè, ac immediatè movere liberum hominis arbitrium. Ita communis Theologorum. Quia nimirum liberum arbitrium nemini subest, nisi soli DEO, ejusque solius potentiam coactivam agnoscit, et solus DEUS potest vim inferre libero arbitrio : non verò Angelus, aut dæmon, aut alia creatura possunt immediatè illud movere. Ergò homo, vel Magister creatus nec poterit immediatè alias potentias creatæ mentis (ut est intellectus, et memoria) permovere : ob paritatem rationis, quia tota mens creata soli DEO subest. Dices : S. Thomam de Veritate q. 11. a. 1. ad 16. negaturum paritatem, concedit enim ibi, solum DEUM posse imprimere aliquid in affectum creatum : sed in intellectum creatum etiam creaturam, scilicet intellectum agentem, qui in possibilem imprimit species. ℟ Me non loqui de principio intrinseco, quale est intellectus agens respectu possibilis, sed de principio et motivo extrinseco : sic enim inter voluntatem et intellectum est omnimoda paritas, quam et D. Angelicus agnoscit 1. 2. q. 9. a. 6. ubi cum ad 2. sic objecisset : *Præterea actus voluntatis sequitur actum intellectûs : sed intellectus hominis reducitur in suum actum non solum à DEO, sed etiam ab Angelo per illuminationes, ut Dionysius dicit. Ergò eâdem ratione et voluntas :* Sic objectionem solvit : *Ad secundum dicendum, quod intellectus hominis movetur ab Angelo ex parte objecti, quod sibi proponitur virtute Angelici luminis ad cognoscendum. Et sic* (id est ex parte objecti, vel exhibendo objectum) *etiam voluntas ab exteriori creatura potest moveri, ut dictum est.* Vides ergo quod juxta D. Angelicum per se ac immediatè utraque potentiâ possit à solo DEO moveri. Unde supposità utriusque potentiæ paritate sic habet citato articulo in Corpore. *Voluntatis autem causa* [exterior videlicet] *nihil aliud esse potest, quàm DEUS — primò quidem ex hoc, quod voluntas est potentia animæ rationalis, quæ à solo DEO causatur per creationem — secundò verò ex hoc, quod*

voluntas habet ordinem ad universale bonum. Unde nihil aliud potest esse voluntatis causa, nisi ipse DEUS, qui est universale bonum. Hæc ille. Tu applica ad DEUM (universale verum) etiam intellectum creantem.

20. Confirmatur 11. Si Magister creatus posset in alienâ mente, seu alieno corde aliquid producere, vel causare, v. g. scientiam ; posset alterius secretum cordis agnoscere : Omnis quippe artifex, ex ratione operans, potest videre opus suum. Sed cordis secreta solus DEUS novit, ac scire potest, juxta illud, quod dicitur 1. Reg. 16. v. 7. *Homo videt ea, quæ parent, Dominus autem intuetur cor :* Ergo, etc. Et bene observa, quòd argumentum negativum à negatâ cognitione ad negatum opus sit bonum. Plùs enim et faciliùs per rationem cognoscimus, quam facere possimus. Ergò si scientiam in alieno corde non possumus cognoscere minùs poterimus eam causare.

21. Confirmatur 12. ac ultimò, per hoc argumentum in forma, quod sicut est conforme Hypothesi 12. ita puto demonstrativum esse

Nullum verum, proprium, et strictum internum docere potest dari absque vero, proprio, et stricto interno doceri (*nam correlativa sunt necessariò conjuncta : et ubicumque datur actio debet correspondere proportionata passio*).

Sed omne humanum docere potest dari absque vero, proprio, et stricto interno doceri (*patet in eo, dum à Magistro creato, positâ eâdem diligentiâ doctrinali, unus discipulus docetur, ac intelligit, et alter non. Imò idem discipulus per similia verba unâ vice intelligit, aliâ vice non intelligit*).

Ergo nullum humanum docere est verum, proprium, et strictum internum docere.

22. Syllogismus est in *Cæsare*, ac legitimus : Quem sic reduco ad primam figuram :

Nullum docere separabile à doceri est verum internum docere,

Omne humanum docere est docere separabile à doceri :

Ergo nullum humanum docere est verum internum docere.

En habes argumentum in *Celarent*, secundo modo primæ figuræ, nec video, quid hîc in contrarium responderi possit : Major enim prioris

Syllogisimi videtur clara ex datâ ratione, quia correlativa sunt essentialiter connexa : sicut etiam actio, et passio. Implicat dari simile absque alio simili : implicat dari Patrem absque filio ; implicat dari Magistrum absque discipulo : implicat dari Magisterium absque doctrinâ : implicat facere, et non aliquid fieri. Sic et implicat docere, et nihil doceri. Nemo enim dicitur actu alterum docuisse, aut actu rem aliquam alteri loquendo indicâsse, vel significâsse : nisi alter rem illam, tali signo, vel locutione indicatam, et significatam actu intellexerit. Correlativum enim actualis significationis est cognitio. Nam si posset compleri significatio actualis absque cognitione rei significatæ, tunc loquens rustico germanico hebraica verba actu illi rem aliquam significâsset, et indicâsset : quod absurdum videtur, ut tenent Vasquez, Tannerus, et quotquot sentiunt vim significandi metiendam esse ex sola audientis cognitione. Minor patet ex clarâ et obviâ discipulorum nihil capientium experientiâ. Adde, humanum docere posse cadere sub præceptum, sed non potest cadere sub præceptum, ut discipulus actu doctus evadat : [nam finis legis non cadit sub legem : nisi is sit de legis substantiâ, ut in præcepto Charitatis] ergo distinguuntur ab invicem. Vide etiam suprà Cap. 3 Num. 79. ubi dictum fuit posse consistere, quòd D. Augustinus docuerit pluribus annis Rhetoricam, licet nullus inde Rhetor evasisset. Adde D. Jacobum in Hispaniâ plurimos docuisse fidem Christi, sed vix paucos ad fidem conversos. Non ideo D. Jacobus suo defuit exteriori officio. Conclusio est legitima. Ergo nullum humanum docere, est verum, proprium, et strictum internum docere. Ergo alius verus internus Magister erit quærendus. Et quis ille ?

SECTIO II.

SOLUS CHRISTUS, SIVE DEUS, INTELLECTUALITER, SIVE INTERNÈ DOCERE POTEST.

SUMMARIUM. — 23. Cùm creatura intus non doceat soli DEO hoc attribuendum erit.

23. Cum igitur nulla creatura propriè intus docere valeat, consequens erit, soli Creatori verum internum docendi munus attribuendum esse, juxta Conclusionem à principio Capitis ex Syllogisimo collectam : quam hâc secundâ Sectione iterùm, et ex professo demonstrandam aggredior ; ubi statim advertes, eadem fundamenta, quæ in Hypothesibus, ut inconcussa jacta sunt, hic aliis iterum ver-

bis, ut eò meliùs capiantur, replicatò redire : quævis enim bona, fundamentalis et non fucata ratio, debet immobiliter cum suo lucis radio ante mentis oculos splendescere : et hinc sæpiùs iterata redibit.

§ 1.

Ratio, seu Fundamentum primum à lumine.

SUMMARIUM. — 24. Ratio prima ducitur à lumine. — 25. Confirmatur hæc prima ratio

24. Juxta Hypothesim nonam, decimam, et undecimam ; et ad mentem omnium Philosophorum, ac Theologorum [ut dictum fuit Cap. 1. Num. 120. Et Cap. 4. Num 70.] omnis scientia dependet, ac gignitur ab aliquo lumine, supra locum, et supra tempus æternaliter, inextinguibiliter, indeficienter, et incircumscriptibiliter menti rutilante, ac radiante : quo menti operaturæ non irradiante, nihil omnino certò, ac evidenter scire poterit ; sed solùm vel credet, vel opinabitur, vel omnino errabit. Ergò ille solus propriè docere, ac scientiam intus gignere poterit, qui tale descriptum lumen parturire, et menti discentis communicare potest : sed hoc potest solus DEUS, ergò solus DEUS intus propriè docere, ac scientiam gignere valet. Hypotheses, et totus Syllogismus abunde probata sunt Cap. 3. et præsertim in Hypothesi undecimâ .

25. Confirmatur 1. Lumen, ad propriè intus docendum, et sciendum requisitum, radiat supra locum, et supra tempus (sive excedit omnem locum, et omne tempus) ergo, ut sit proportio inter principiatum, et principium, infert, ac denotat tale principium sui, quod sit lux excedens omnem locum, et omne tempus (lumen quippe est proles lucis) sed solus DEUS excedit omnem locum, et omne tempus : ergò is solus potest gignere lumen, ad propriè docendum, et sciendum prærequisitum : ergò is solus potest propriè intus docere.

Confirmatur 2. Ille solus intus docere potest, qui solus potest intellectum immediatè movere, mentem creatam immediatè immutare, transferendo eam à tenebris ad lucem, ab ignorantiâ ad scientiam [patet ex Hypothesi 13. Et quia is, qui docet verè discipuli mentem immutat, illuminat, movet] sed solus DEUS hoc potest, ergo solus DEUS potest intus docere. Minor constat ex jam dictis, quia spirituales potentiæ, sicut et liberum arbitrium, soli DEO subsunt, à solo DEO immediatè moveri possunt : solus DEUS est lux lucens supra locum,

t supra tempus : solus DEUS est lux mentium, *illuminans omnem ominem venientem in hunc mundum* : solus DEUS est radicale lumen ationis, ostendens nobis, ac manifestans omnia bona, quod *signatum st super nos*, et mentem nostram : et ideo appellatur *Lumen vultûs ui Domine* : quia nimirum hoc rationis, et scientiæ lumen à solo DEI ultu, et facie Domini, tanquam à suo unico principio, et vero intelgentiæ Sole emanare potest. Solus enim DEUS potest gignere lumen spirituale, expulsivum tenebrarum, ut sæpè probatum fuit præsertim Hypoth. 8.) Et si homo posset hoc spirituale lumen proucere, hoc faceret per verba materialia : et sic aliquid materiale roduceret aliquid spirituale, quod fieri non potest, ordinariâ potenià. Adde : sicut Sol corporeus producit radios corporeos, ad corpoaliter videndum ordinatos : ita quoque DEUS, qui vocatur Pater iminum, Sol intelligentiæ, et justitiæ, producet radios spirituales, d spiritualiter videndum, (id est ad intelligendum) ordinatos. Ergò olus DEUS potest creatam mentem movere, immutare, illuminare, ocere : alius nemo. Vide et D. Thomam 1. p. q. 105. a 3. et 4.

§ II.

Ratio, seu Fundamentum secundum à Veritate.

UMMARIUM. — 26. Ratio principalis secunda ducitur à veritate. — 27. Solam veritatem intus docere probatur ex principiis Dialecticorum. — 28. Solum DEUM esse veritatem probatur ex Scriptura. — 29. Probatur ex D. Augustino : qui etiam tenet nullam veritatem includere præteritum aut futurum. — 30. Probatur ex D. Thomâ. — 31. Probatur ex D Bonaventurâ. — 32 Probatur, quia veritati conveniunt Divina attributa. — 33. Ut æternitas. — 34. Immensitas. — 35. Immutabilitas. — 36. Et cætera omnia. — 37. Probatur ex impulsu naturæ, quo communi modo loquendi Soli veritati Divina attribuuntur epitheta. — 38. Objectio solvitur.

26. Pro secundâ principali ratione, ducitur argumentum à veritate. Jt autem vim argumenti meliùs capias, suppono [conformiter diaecticis principiis, et juxta Hypothesim nonam, decimam, undecinam] solam infallibilem, immutabilem, æternam veritatem posse ntellectum ad certum, et evidentem assensum permovere : conseuenter solam infallibilem, immutabilem, et æternam veritatem nentem creatam intus edocere posse (interiùs enim docere est intelectum ad scientificum, seu certum, et evidentem assensum perduere). Huic majori propositioni præsuppositæ, subnecto hanc inorem : Sed solus DEUS est infallibilis, immutabilis, ac æterna

veritas : Ergò solus DEUS est, qui potest intellectum ad certum, et evidentem assensum permovere, ac mentem creatam intus edocere.

27. Major, ut dictum est, fundatur in ipsis Dialecticis principiis. Nam, ut ex Logicâ notum est, ista à communi Dialecticorum, circa scientiæ demonstrationem asseruntur, et supponuntur. Primò, ut intellectus noster ad scientificam conclusionem, vel demonstrationem eliciendam necessitetur, indigere præmissis evidenter veris : per quod Syllogismus demonstrativus, inquiunt, differt à topico, sophistico : vel etiam Theologico : horum enim præmissæ aut non sunt veræ, aut non evidenter veræ. Secundò, aiunt, has præmissas, si non sint immediatæ, et indemonstrabiles actu, et simpliciter, debere saltem esse immediatas, et indemonstrabiles virtualiter, sive remotè, ut in verè immediatas, ac indemonstrabiles, seu in per se notas resolvi possint. Tertiò easdem præmissas debere esse notiores secundùm se, et quoad nos (scilicet viâ accuratæ doctrinæ, non viâ sensuum) id est magis independentes, et nobiliores. Quartò easdem debere causare conclusionem. Quintò : ac esse perfectè necessarias. Ad quod tria requiri, aiunt : 1. Ut sint de omni posterioristico, quarum prædicatum semper conveniat subjecto. 2. Ut sint per se : id est : ut vel prædicatum sit de essentia subjecti, vel subjectum sit de essentia prædicati : quod tunc fit, quando prædicatum est ipsius subjecti propria passio, seu proprietas quarto modo. 3. Ut saltem una sit *quatenus ipsum,* id est convertibilis ; ita ut subjecto, quâ tali prædicatum convertibiliter conveniat. Imò dicunt, in demonstratione potissimâ ambas debere esse convertibiles. Sextò, tenent, easdem præmissas debere esse proprias, non communes, aut alienas : si nimirum demonstratio potissima sit. Tandem ad rem nostram iidem unanimiter supponunt, præmissas sempiternæ veritatis esse debere, quam conditionem aiunt requiri in omni demonstratione. Imò etiam cùm res contingens demonstratur, saltem una præmissarum debet esse immutabiliter vera. Ergò juxta communem sensum Dialecticorum, omnis demonstratio, omnisque scientia procedit ex solâ infallibili, immutabili, et æternâ veritate.

Confirmatur hâc ratione : Omnis scientia actualis (sive accipiatur pro conclusione, vel alio judicio certo, et evidenti : sive pro evidenti, ac definitivo rei conceptu (semper nititur aliquâ immutabili, et æternâ objectiva veritate, tanquam fulcro, mensurâ, ulnâ, regulâ infallibili talis notitiæ scientificæ [vide Hypothesim decimam Num. 39. 42.] omnis enim ratione utens, si verè se recolligit, ac super suos actus scientificos reflectit, advertere potest, quod quoties aliquid

definitivè, evidenter apprehendit; aut evidenter, ac firmiter aliquid certò judicat; aut evidenter, et legitimè aliquid concludit, semper aliquo certo evidenti, et non errante principio nitatur, quod sit semper, et ubique verum, ad cujus lumen, et intuitum securè illud aliquid definire, judicare, et inferre possit. Igitur major propositio ipsius suppositi negari non potest.

28. Probatur ergo minor, videlicet quòd solus DEUS sit illa superiùs descripta veritas, objectiva videlicet. Et quamvis hoc ipsum jam suprà Cap. 1. à Num. 106. Et Cap. 3. à Num. 45. Et Cap. 4. totâ Sect. 5. et sæpiùs ostensum fuerit, volo nihilominus idipsum denuo refricare, cùm multùm intersit pro intelligentia hujus rei.

DEUS EST VERITAS.

Primò, non obscurè favent illa Sacræ Scripturæ testimonia, superiùs Cap. 4. à Num. 61. multipliciter adducta : quibus asseritur, DEUM esse veritatem. Et quod *omnis homo sit mendax* Et alibi. *Universa vanitas* (id est mera, aut perfecta vanitas) *omnis homo vivens*. Et in alio loco de omni re mundanâ hoc fertur judicium, quòd videlicet sit *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas*. Nihil stabile, *nihil permanere sub Sole*, etc. Ergò nulla veritas erit in mundo, præter DEUM, strictè loquendo : Veritas enim debet esse aliquid firmum, aliquid permanens, aliquid stabile, aliquid immutabile : quod enim semel est verum, sub illis circumstantiis, quibus implexum est [et non debet, nec potest res aliter verè intelligi, aut considerari, quam ut sic implexa] semper est verum. Cùm igitur nulla creatura sit in mundo, quæ semper, et immutabiliter in eodem statu permaneat cùm etiam Angeli, *qui serviunt DEO non sint stabiles*, etc. Job. Cap. 4. v. 18) solus æternus, et immutabilis DEUS erit illa rerum omnium veritas : de quâ dicitur Psal. 116. v. 2. *Veritas Domini manet in æternum*.

29. Secundò, non tam favet, quam manifestis verbis hoc ipsum approbat Divus Augustinus, per decursum suorum Operum, variis in locis : Ex quo habetur, quod Veritas, interno, ac mentali oculo objecta, et super mentem creatam lucens, sit ipsemet DEUS : Notentur illa Sancti verba Lib. 1. Soliloq. Cap. 1. *Te invoco DEUS Veritas, in quo, et à quo, et per quem vera sunt, quæ vera sunt omnia*. Notentur et illa, quæ Lib. 7. Confess. Cap. 10. habet (vide suprà Cap. 5. à Num. 86.) ubi expressè tenet, lucem Domini incommutabilem esse veritatem, quam novimus : et hanc non diffundi per finita, aut infi-

nita spatia : et hanc esse ipsum DEUM, ad quem die, noctùque pirat : et sibi de illâ et ab illâ de longinquo inclamari audit *sum qui sum* : et se potiùs dubitare posse, an vivat, quam veri non esse, etc. Lubet hic tantisper D. Augustini sensum intueri, mentem credo fuisse, quòd nulla veritas objectiva realis, form loquendo, includat tempus præteritum, aut futurum, sed o unicum nunc præsens : etiam cùm dico, *mundus creatus fuit mundus judicabitur* : nam utraque hæc veritas, ut talis, nihil essentialiter dicit. quàm æternaliter esse verum quòd creatio m et mundi judicium cum suâ differentiâ durationis et cæteris cir stantiis connectantur : ita ut tota illa præteritio et futuritio, hodie in duabus illis veritatibus concipimus, non tam verit ipsis, quàm nostræ intentioni et conceptui adscribenda sit. Qu explicat D. Augustinus Lib. 11. Confess. Cap. 28. Ubi sentit te præteritum ac futurum, ut tale, non dari, aut reperiri form absque intentione hominis numerantis : ita ut longum futuru longa mentis, seu memoriæ expectatio : longum præteritum esse longam memoriam præteriti. Unde juxta illum, tempus p riens relinquit in memoria sui vestigium, quod eò plùs augetur plùs temporis præterit. Expectatio verò futuri (seu tempus fut eò plùs minuitur, quò plùs temporis advenit. Hæc autem n nostræ dilanians extensio cessabit, cùm in DEUM confluemus, gati et liquidi igne amoris Divini, ubi stabimus et solidabim DEO, etc. Vide eumdem cit, Lib. 11. Cap. 29.

30. Tertiò, nec dissentit Doctor Seraphicus, aut Angelicus. F rior 1. Parte, q. 16. art. 5 per totum, ostendit DEUM esse verit sic enim loquitur : *Veritas invenitur in intellectu, secundùm apprehendit rem ut est : et in re, secundùm quod habet esse conf bile intellectui. Hoc autem maximè invenitur in DEO. Nam esse non solùm est conforme suo intellectui, sed etiam est ipsum suum ligere : et suum intelligere est mensura, et causa omnis alterius et omnis alterius intellectûs : et ipse est suum esse, et intelligere. sequitur, quod non solùm in ipso sit veritas, sed ipse sit ipsa su et prima veritas* Et Articulo 6. *Utrum sit una sola veritas, secu quam omnia sunt vera?* sic quæsito respondet : *Dicendum, quoa dammodo una est veritas, quà omnia sunt vera, et quodammodo* Dein resolvit esse quidem plures veritates formales (quia nin dantur plures Intellectiones, vel judicia mentis creatæ, quibu tinctæ veritates formales insunt : nam veritas formalis est conf tas intellectionis cum re, ergo realiter multiplicatis intellectio

realiter multiplicantur conformitates, et veritas formales, cum distinctis intellectionibus identificatæ) sed unicam realem, et objectivam (de quâ solâ quærimus) et hanc esse DEUM. Quod hæc sit mens S. Doctoris colligitur ex ipsius propriis verbis : *Si verò loquamur* [sic inquit Vir sanctus] *de veritate secundùm quod est in rebus, sic omnes sunt veræ unà primâ veritate, cui unumquodque assimilatur secundùm suam entitatem. Et sic licèt plures sint essentiæ, vel formæ rerum, tamen una est veritas Divini intellectûs, secundùm quam omnes res denominantur veræ.* Ergò tenet Doctor Angelicus unam tantùm dari objectivam veritatem, et hanc esse DEUM : Ergò DEUS est veritas, quæ movet intellectum creatum ad assensum, et ad exprimendam veritatem formalem : nemo quippe potest dicere verum formaliter, nisi sibi priùs luceat verum objectivum.

Sed adhuc clariùs loquitur D. Thomas Q. 1. de Veritate a. 4. *Alio modo dicitur* (veritas) *prout exprimit se in intellectu, prout definit eam Hilarius, Verum est declarativum esse : et hoc modo cùm nihil possit aliquid manifestare intellectui, nisi secundùm virtutem primæ veritatis, quodammodo sunt unum* [omnes veritates] *in movendo intellectum, sicut omnes colores sunt unum in movendo visum, inquantùm movent ipsum in ratione unius, scilicet luminis.* Et ad 5. *Dicendum, quòd veritas secundùm quam anima de omnibus judicat est veritas prima. Sicut enim à veritate intellectûs Divini effluunt in intellectum Angelicum species rerum innatæ, secundùm quas omnia cognoscit ; ita à veritate intellectûs Divini exemplariter procedit in intellectum nostrum veritas primorum principiorum secundùm quam de omnibus judicamus. Et quia per eam judicare non possumus, nisi secundùm quod est similitudo primæ veritatis, ideò secundùm primam veritatem de omnibus dicimur judicare.* Hæc D. Angelicus ad meum scopum convenientissimè.

31. Quòd etiam Doctor Seraphicus idem sentiat, nullus dubitabit quisquis legerit (inter alia) divinissimum illud suum Itinerarium mentis in DEUM : præsertim Cap. 2. ubi dicit, DEUM esse *rationem omnium rerum, et regulam infallibilem, et lucem veritatis, in quâ cuncta relucent infallibiliter, indelebiliter, indubitanter,* etc. Vide suprà Cap. 6. Num. 56. et 66.

32. Quartò probatur, ac demonstratur hoc evidenti argumento. Omne quod est æternum, immutabile. ac incircumscriptum (et quidem non per fictionem intellectûs, sed realiter) est necessariò ipse DEUS, vel aliquid DEI. At omnis veritas, ad parturitionem scientiæ prærequisita, est talis ; ergò necessariò est ipse DEUS, vel aliquid

DEI. Probatur major, quia fides Catholica docet, dari unicum ens æternum, immutabile, incircumscriptum, necessarium, et infallibile: et hoc esse DEUM. Sed transeo à thesi ad hypothesim, ab universali ad particulare; Et ut melius in praxi res intelligatur, pono ante oculos unam quamcumque propositionem seu veritatem complexam, tamen intelligo realem, et objectivam, non formalem v. gr.

OMNE TOTUM MAJUS EST SUA PARTE.

Jam sic arguo : Id,cui attributa Divina conveniunt, est DEUS : sed huic veritati, objectivè acceptæ, conveniunt Divina attributa, ergo est DEUS. Probo minorem. Divina attributa, inter alia, sunt æternitas (sive duratio sine principio, et fine, et absque omni variatione) immensitas (sive excedere omnem locum, et coexistere omni loco) immutabilitas (sive negatio cujuscumque actualis , vel possibilis mutationis) sed hæc conveniunt præfatæ veritati objectivè acceptæ. Ergò etc. Probo minorem à partium enumeratione.

33. Incipio ab æternitate. Dic quæso quàm antiqua sit hæc veritas (quod videlicet omne totum sit majus, vel excedat quamlibet suî partem) et quot annos ætatis habeat, et quando cæperit esse vera? Respondebis esse antiquissimam, et sicut est DEUS esse antiquam dierum : imò esse infinitæ ætatis, ac durationis : eamque complecti omnes differentias temporis, præteriti, præsentis, ac futuri, per unicum immutabile nunc æternitatis ; quod nunc æternitatis est possessio tota simul , cui per fluxum ullius diuturnæ durationis nihil accrescit, et nihil decrescit. Veritas enim quæcumque juxta superiùs dicta ex D. Augustino essentialiter importat unum immutabile nunc præsens, si nimirum consideratur prout est in se (aliud est, si consideratur prout à nobis concipitur : quasi flueret, ac successivè mutaretur) nulla autem essentialiter importat præteritum aut futurum. Hinc etiam quævis veritas contingens : Ut *Antichristus erit,* essentialiter importat æternam veritatem de præsenti ; seu non fluentem ; nam Antichristum connecti cum suâ differentiâ temporis, hoc est semper de præsenti verum : licèt Antichristi, et illius suæ differentiæ temporis existentia, modo sit futura, quæ postea erit præsens, denique erit præterita. Itaque solæ res fluunt (ut modo sint futuræ, modo præsentes, modo præteritæ) non autem ipsæ rerum veritates : quæ sunt aliquod nunc permanens, sicut et ipse DEUS : consequenter erunt idem cum DEO, cum quo in attributo æternitatis conveniunt.

34. Probo et de immensitate, quâ DEUS omnibus coëxistit locis,

et infinitis posset coëxistere, si darentur, et tamen omnia hæc loca excedit, et à nullo loco, quantumvis magno, claudi, vel includi, aut circumscribi potest. Hoc totum verè, ac realiter convenit præfatæ veritati. Veritas quippe (quod videlicet omne totum majus sit, vel excedat quamlibet suî partem) est tam ampla, magna, et extensa, quod simul, et semel in omnibus locis, quæ de facto sunt reperiatur, et illis omnibus realiter coëxistat; et infinitis aliis coëxistere posset, si darentur; et tamen à nullo illorum, quantumvis magno, claudi, includi, aut circumscribi potest : Non minùs, quàm ipse DEUS; est ubique præsens, et simul immensa, manens tamen in se simplicissima, et indivisibilis, sicut et ipse DEUS : Quia de hâc veritate (quod totum excedat partem) non plùs occupant centum milliaria loci, quàm sola distantia unius palmi : et sic non minùs, quàm DEUS est tota (ac perfecta) in toto, et tota (ac perfecta) in quâlibet parte loci. Est enim ita integrè, ac perfectè verum, totam muscam, vel totum pulicem, esse majorem suâ quâvis parte : quàm totum Orbem suâ quâlibet. *Veritas* enim *consistit indivisibili*, aiunt Metaphysici.

35. Probo et de immutabilitate, quâ DEUS nulli mutationi actu, vel potentiâ obnoxius est. Idem convenit dictæ veritati : est quippe immutabiliter verum, omne totum excedere quamlibet suî partem : nec DEUS per suam omnipotentiam potest in eâ quidquam immutare : quia implicaret in terminis. Ergò quia præfatæ veritati conveniunt attributa Divina (ut esse æternam, immensam, immutabilem) erit idem cum DEO. Ergò de præfatâ veritate, non minùs, quàm de DEO, possumus omnia illa enuntiare, quæ Theologi cum S. Bonaventurâ de DEO enuntiant : Videlicet, quod sit quid *æternum*, et tamen semper *præsentissimum* : quid *simplicissimum*, et tamen (quoad præsentiam loci, seu in coëxistendo ad loca) *maximum et immensum*. Et consequenter, sicut DEUS (utor verbis Seraphicis ex Cap 5. Itinerarii) *omnes durationes ambit, et intrat*, ut eorum *centrum*, *et circumferentia* : Et est totus *intra omnia*, *totus extra omnia*, *sphæra intelligibilis, cujus centrum est ubique, et circumferentia nusquam*, etc. sic et præfata veritas est tota intra omnia *(non tamen inclusa)* extra omnia *(non tamen exclusa)* supra omnia *(non tamen clata)* infra omnia *(non tamen prostrata)*. Sic refero ad veritatem, quæ de DEO enuntiat Doctor Seraphicus.

36. Et quidni! si præfata veritas habet ista DEI attributa, cur non et cætera in se habebit : Consequenter hæc eadem veritas, si intelligatur, ut intelliganda est, erit ipsum ens *primum*, à quo omnia : *et novissimum*, propter quod omnia : *actualissimum*, omnia producens;

et omnia immutans, et tamen in se *immutabilissimum*, et æqualiter semper manens : *perfectissimum*, omnes perfectiones includens, et tamen *summè unum*, ac *omnimodum* ; et omnia in omnibus. *Non sicut omnium essentia* (sunt verba Divi Bonaventuræ de DEO) *sed sicut cunctarum essentiarum super excellentissima, et universalissima, et sufficientissima causa.* In summa, quòd hæc eadem æterna veritas sit ipsemet DEUS noster, quem invocamus Patrem, Filium, et Spiritum sanctum, qui sicut est via, et vita ; ita quoque est ipsa Veritas, imò omnis veritas et essentia veritatis : seu Pater luminum, et Sol justitiæ, ac intelligentiæ, à quo radii æternaliter descendentes sunt omnes veritates, quarum et una est : *Omne totum est majus suâ parte.* Consequenter ipsus DEUS est, qui ab intellectu creato assensum extorquet, et per hoc omnem scientiam docet. DEUS ipsus est, quem S. Augustinus in suâ memoriâ se invenisse lætatur, dum in eâ veritatem invenit (Lib. 10 Confess. Cap. 24.) quam veritatem suppliciter invocat Lib. 1. Sol. Cap. 1. *Te invoco DEUS Veritas*, etc.

Et quæso, differentia et causa assignetur. Arbores, campi, rupes, et montium saxa, cum omni, quod ambulat mare et aridam de die solùm videntur, de nocte verò oculum latent. Sed hæc veritas hujus propositionis (quod videlicet omne totam suam partem excedat) ab oculo mentis videtur die noctuque. Cur hæc diversitas? Nimirum ibi est lucis ac tenebrarum objectiva vicissitudo, et mutabilitas : hic verò adest objectiva lux, quæ in vertice meridiano animæ nunquam occidit.

37. Quintò probatur ac demonstratur ex ipso pondere, ac impulsu naturæ : quæ videtur omnibus internè acclamare, quòd rerum veritas sit aliquid Divinum, aliquid æternum, aliquid immutabile, et increatum. Hæc naturæ interna attestatio fideliùs à nemine colligi poterit, quàm ab iis, qui non tam ex arte, quàm ex solo naturæ instinctu, et documento loqui consueverunt : à plebeis, inquam, et inexpertis : qui dum rem aliquam firmiùs, ac certiùs affirmare, vel attestari satagunt, vel ipsâ naturâ interiùs movente, veritatem, quam loquuntur, Divinis prædicatis corroborare solent : Diß ist einmahl wahr ; Diß ist die Wahrheit selbsten ; Diß ist die Göttliche, gründliche, unveränderliche Wahrheit, etc. Sic Germanorum simplicitas, quò simpliciùs, eò veriùs loqui consuevit. Itali, nec ipsi aliter observant : *E vero : è la stessa verità, la verità di Dio ; è, e sarà sempre vero ; è infallibilmente vero*, etc. Ergò naturâ dictante, et eâ instigante, docemur, veritatem quamcumque esse idem cum essentiali primâ veritate : esse quid Divinum, radicale, fundamentale, immutabile, infallibile. Ergò natura, cujus

naturalia pronuntiata non errant, docet, veritatem quamcumque esse ipsum DEUM, cum implicet alicui enti attributa, seu prædicata divina convenire, et non esse DEUM.

Et notetur simplicis locutionis diversitas. Præfata DEI attributa, seu prædicata vix aliis rebus à veritate assignari solent : Nunquam dicere solemus, aut sic affirmare, etiam quantumcumque altero contradicente : *Hoc est æternum, Divinum, infallibile, immutabile pomum, lapis, leo*, etc., *hoc est pomum ipsum*, etc. Ein ewiger Göttlicher, gründlicher, unfehlbarer, unveränderlicher Apffel, der Apffel selbsten, etc. sed dicimus : *Hoc est verum pomum, verus lapis, verus leo*, etc. Ein wahrer Apffel, etc. [id est non ipsa veritas, sed per æternam veritatem, quæ omnia verificat, verum, seu verus.] Ratio disparitatis locutionis hæc est : Cùm enim à naturâ menti humanæ ingenitum sit, res omnes naturales mutationi obnoxias esse, non verò rerum veritates : hoc et ipsi plebei, et cæteroquin inexperti, intelligentes ; (Etsi hujus rei rationem reddere non valentes) eâdem naturâ impellente, discernunt cum epithetis inter veritates, et alias naturales res : illis æternitatem, infallibilitatem, immutabilitatem attribuunt, non verò his, quia illæ sunt idem cum DEO, cujus attributa participant, non autem hæ.

38. Volo hîc breviter unam objectionem solvere. Dices ergo cum R. P. Martino de Esparza de DEO Uno et Trino Q. 1. ad 3. et 4. Esse *plures auctores, qui negent veritatem, et necessitatem objectivam, quibus nititur veritas formalis earum propositionum, esse identificatas realiter cum DEO, aut fundari in divina essendi necessitate, ac veritate : et dicunt utramque constitui adæquatè per prædicata quædam in se intrinsecè, ac essentialiter talia, impropriè tantùm et secundùm quid existentia, nec dependentia à DEO ullo pacto. Quando autem DEUS dicit se esse veritatem, non prædicat de se essentiam veritatis sumptæ logicè, et secundum dici, sed primam veritatem in essendo. Eadem est ratio de necesse esse juxta distinctionem datam.* Hæc ille : addens tamen argumentum hoc à veritate, et necessitate ductum assumere *principia sufficientia ad* alterius *quæstionis scopum : Utrum existentia DEI sit certa ex fide, atque evidens.* Ita Esparza, Vir cæteroquin solidi subtilis, et acuti ingenii.

Respondetur, quamvis non desint Auctores, qui negent, omnem veritatem objectivam realiter in veritate ac essendi necessitate divinâ fundari, ac cum DEO identificari : plurimi tamen et doctissimi et simul sanctissimi (ut SS. Patres, præsertim Augustinus ubique hoc supponens, tenent contrarium : quibus eò lubentiùs subscriberem, quòd credam, SS. Patres, ob notam sanctitatem doctrinæ conjunc-

tam, in iis, quæ res divinas concernunt, majori luminis cœlestis copiâ præditos fuisse. Nec video, qualiter hæc conciliare possim : 1. Datur unicum ens æternum, et illud est DEUS. 2. Verum est æternaliter (et non per mentis fictionem, sed in re) quod omne totum excedat suam partem, quòd tria sint plura quàm duo. 3. Quòd hæc realis et non ficta æterna veritas non sit DEUS, vel aliquid DEI, nec fundetur essentialiter in ipso DEO. Quia credo involvere manifestam contradictionem Quòd autem putet citatus Auctor non colligi ex quâlibet veritate objectivâ, veritatem secundùm esse, sed tantùm veritatem secundùm dici. Sed contrà. Omnis æterna veritas secundùm dici, quoties vult effugere notam mendacii, supponit æternam veritatem secundùm esse, nam *ab inesse sequitur denominari. Et sicut se res habet a l esse ita et ad cognosci*. Et illud judicium falsum est, quod non est rei conforme. Quòd D. Augustinus passim contrarium teneat, patet ex pluribus locis, præsertim ex Libris Confessionum, ubi sæpissimè eò respicit. Et expressiùs Tomo 1. de verâ Religione cap 39. *Illationis necessitas* (idem est de veritate) sunt verba D. Bonaventuræ Cap. 3. Itinerarii, *non venit ab existentia rei in materia, quia est contingens, nec ab existentiâ rei in animâ, quia tunc esset fictio, si non esset in re : venit igitur ab exemplaritate in arte æternâ, secundùm quam res habent aptitudinem et habitudinem ad invicem ad illius æternæ artis repræsentationem.*

§ III

Ratio. seu Fundamentum tertium à Scientiæ definitione.

SUMMARIUM. — 39. Ratio principalis tertia ducitur à definitione scientiæ : quæ non solùm certa, sed et evidens esse debet. — 40. Explicatur per exemplum genealogiæ Christi. — 41. Et per Discursum S. Bonaventuræ. — 42. Concluditur Discursus S. Bonaventuræ, quod videlicet omnis scientia ultimò in DEUM resolvatur. — 43. Declaratur per analogiam Solis continentis in se primam et fontalem sensibilem lucem. — 44. Omne agens secundum agit in virtute primi agentis, cui subordinatur? — 45. Quomodo prima veritas ordinatè parturiat cæteras? — 46. Parturit immediatè et omnes, etiam ultimam. — 47. Ulteriùs hoc ipsum ostenditur. — 48. Quibus gradibus contingat mentem creatam doceri, moveri, illuminari?

39. Pro tertiâ principali ratione ducitur argumentum à definitione scientiæ, cujus immediatum Auctorem in decursu totius Opusculi satagimus inquirere. Scientia igitur definitur à Philosophis et ipso Philosophorum Antesignano Aristotele [primo Physicorum] *Cognitio*

certa, el evidens, rei per causam : [id est per causam veram, quæ nec actu, nec potentia hic et nunc erronea esse possit] sed talis causa est solus DEUS; ergo per solum DEUM potest haberi scientia. Ut argumentum, et ejus vim meliùs intelligas, advertere debes, quod cognitio certa et evidens, debeat esse intuitus, qui non solum sit incapax erroris [nam etiam fides Divina hoc habet] sed etiam ut is, qui intuitum istum elicit, advertat [sive dein per reflexionem formalem, vel virtualem : id est vel actu se reflectere posset] se hîc et nunc cum tali intuitu errare non posse : ideòque ad scientiam non sufficit simpliciter rem veram scire se scire, sed debet aliquis scire, ac posse sui sciti, vel scientiæ rationes, et causas assignare usque ad ultimam; sive posse suam scientiam resolvere in sua principia usque ad ipsum radicale, et fontale principium, ex quo, et à quo cætera viciniora per legitimam consequentiam ordinatè fluunt, et emanant : quo radicali principio menti non radiante, impossibile est quidquam inferiorum definitivè ac scientificè cognoscere. Quomodo enim intelliges secundùm, tertium , quartum, aut quintum radium veritatis, si primum ignoraveris, à quo velut fonte cæteri omnes originem suam accipiunt.

40. Ut enim, exempli gratia, certò sciam, et intelligam Christum per lineam rectam non interruptam à Salomone, ejusque Parente Davide, oriundum esse, minimè ad hujusmodi certam evidentiam sufficiet unum alterumve gradum ascendentium novisse, ex quibus progenitus sit : sed ut me de non interrupto descensu à David evidenter certificem, debeo posse totam Christi genealogiam resolvere de gradu in gradum usque ad personas Salomonis et Davidis : aliàs ortum Christi, nativitatemque ex Regio Davidis sanguine non tam sciam, vel intelligam, quàm solummodo credam.

41. Ad propositum loquitur Doctor Seraphicus Cap. 3. Itinerarii mentis in DEUM. *Definitio habet fieri per superiora : et illa per superiora definiri habent, usquequò veniatur ad suprema et generalissima, quibus ignoratis non possunt intelligi definitivè inferiora.* Et infrà. *Non venit intellectus noster, ut plenè resolvens intellectum alicujus entium creatorum, nisi juvetur ab intellectu* Entis *purissimi, actualissimi, completissimi, et absoluti, quod est simpliciter, et æternum ens, in quo sunt rationes omnium in suâ puritate.* Et infrà. *Tunc intellectus noster dicitur veraciter comprehendere* (propositiones) *cùm certitudinaliter scit illas veras esse, et hoc scire est scire, quoniam non potest falli in illâ comprehensione, scit enim, quòd veritas illa non potest aliter se habere. Scit igitur veritatem illam esse incommutabilem.*

42. Sed inquies, quid rei sit ista incommutabilis veritas, illud fundamentale principium, seu ratio rationum, in quâ res immutabiliter cognoscuntur, an sit ipsa mens creata, vel aliquid aliud? Doctor Seraphicus respondet his verbis, immediatè ad priora sequentibus: *Sed cùm ipsa mens nostra sit commutabilis, illam* (veritatem) *sic immutabiliter relucentem non potest videre, nisi per aliam aliquam lucem omnino incommutabiliter radiantem quàm impossibile est esse creaturam mutabilem. Scit igitur in illâ luce, quæ illuminat omnem hominem*, etc. Et infrà. *Omnis igitur* (*ut dicit Augustinus in Libro de vera Religione*) *verè ratiocinantis lumen accenditur ab illâ veritate, et ad ipsam nititur pervenire*. Dein Vir sanctus concludit, et ego cum ipso. *Videre igitur per te potes veritatem, quæ te docet, si te concupiscentiæ, et phantasmata non impediant: et se tanquam nubes inter te, et veritatis radium non interponant*. Ita Vir sanctus meæ tertiæ fundamentali rationi adstipulatur, quòd videlicet omnis scientia habeat tandem resolvi in primam, et incommutabilem veritatem, quæ DEUS est, naturaliter nos docens omnem scientiam.

Tamen ut guttulam aquæ integro mari, parvulum lucis radium ipsi Soli, ac fonti omnis lucis adjiciam; lubet pro rei intelligentia subsequentem instituere similitudinem de Sole, ac luce sensibili, quâ indigemus ad sensibilia sensibiliter dignoscenda, sicut luce mentali indigemus ad intelligibilia mentaliter cognoscenda: spero enim analogiam hanc, toties propositam, serviturum non solùm pro quæstionis intelligentiâ sed et pro ejusdem confirmatione.

43. Sol itaque corporeus continet in se primam, ac fontalem sensibilem lucem, à quâ proinde effectivè procedunt omnia reliqua lumina, vel omnes sensibiles radii, primò quidem recti, dein ex rectis fracti, mox ex fractis refracti, et tandem reflexi. Sic et DEUS noster, quem adoramus, est Sol spiritualis, Sol intelligentiæ, et justitiæ; et continet in se primam et fontalem lucem, spiritualem nimirum, sive intellectualem: Et hæc aliud non est, quàm prima, et æterna Veritas: quæ velut fœcundissima lux omnes alias luces, et veritates ex se per emanationem parturit, quas omnes in se eminenter continet: Cùm enim prima et fontalis veritas, primum, et summum ens: sive potius ens, quâ ens, vel Oceanum omnis entitatis (qui DEUS est) consequatur: sic necessariò omnes veritates in suâ puritate (sicut summum ens omnes entitates) sub se continebit, et æternaliter per emanationem (non realem, sed consequentiæ) ex se parturiet; non confusè, sed ordinatè, prout nimirum secundariæ veritates magis, vel minùs ad primam, seu fontalem veritatem

appropinquant, et se invicem prioritate, aut posterioritate rationis consequuntur : quæ tamen omnes, (sive sint proximiores, aut remotiores) à prima et fontali veritate generantur, ac vim illativam accipiunt : non minùs quàm radii recti, fracti, refracti, et reflexi à fontali luce Solis gignuntur, et vim illuminativam inde hauriunt.

44. Vis hujus ordinatæ emanationis clariùs intelligetur per practicum exemplum unius particularis resolutæ propositionis : quâ v. g. quæritur, *an Calixtus Præco Lutheranus, extra fidem Catholicam, et Silvius pupillorum, et viduarum expilator absque restitutione possint salvari?* Si hæc duplex propositio veluti ab ovo, et ex principiis suis resolvenda est, debet per varios causarum gradus pertransire. Porrò observandum est ex D. Thomà 1. p q. 105. a. 5. Quoties circa eumdem effectum reperiuntur *multa agentia ad invicem ordinata* [ac subordinata] *semper secundum agens agere in virtute primi agentis*, ita ut *primum agens moveat secundum ad agendum*. Et ideò *omnia agere in virtute DEI*. Hæc ille. Quod ob paritatem rationis etiam de causis finalibus, et principiis conclusionem inferentibus, seu causantibus dicendum est. juxta illud 2. Physic. *Sicut se habent principia in speculativis, ita se habet finis in rebus agendis*. Et expressè idem Doctor Angelicus q. 1. de Veritate a. 4. ad causas illationis extendit, verbis superiùs Sect. 2. § 2. n. 30. citatis, ubi dicit, quòd *nihil possit aliquid manifestare intellectui, nisi secundùm virtutem primæ veritatis* : eo modo [sic exemplificat] quo colores omnes sunt visibiles in virtute unius luminis. Sed nunc procedamus ad resolutionem propositi dubii, quam resolutionem, ut evidentiùs ex analogia præfatâ capias sic eam ante oculos pono, per imaginem Solis corporei eam adumbrando.

Sicut corporeus Sol et fons lucis sensibilis, et primam lucem sensibilem in se continet, ita Sol intelligentiæ DEUS est fons luminis intelligibilis, et proinde primigeniam ac fontalem intelligibilem lucem in se habet, et omnes cæteras intelligibiles luces ac veritatis radios ex se ordinatè quodammodo parturit ac generat

45. Scias ergò, DEUM ter optimum maximum esse ipsam fontalem ac primam veritatem, consequenter et ipsam fontalem ac primam bonitatem : sive DEUM essentialiter esse summè verum et summè bonum ; Consequenter, juxta superiùs dicta ex Doctore Angelico, ex hâc unâ primariâ veritate, velut ex lucis fonte, omnes aliæ tanquam ex virtute illativâ promanare debent (sed, juxta nostrum modum concipiendi, qui non totum simul concipere possumus, ordinare, una citiùs altera). Sic ergò sequitur.

Primò : Ergo DEUS est commune principium omnia intellectualiter cognoscendi, et amandi. Hic est veluti primus radius rectus, sive prima veritas, quæ ordine consequentiæ primò ab ipsâ fontali luce æternæ veritatis emanat, et descendit. Ratio enim statim dictat, nihil posse intelligi, nisi in virtute summi veri; et nihil posse amari, nisi in virtute summi boni.

Secundò : Ergò vana et falsa est scientia, quam non dirigit, nec regulat DEUS : qui est unicum et summum verum; ergo mala, et impura est actio, quæ non ordinatur in DEUM : qui est unicum et summum bonum. Hoc est veluti secundus radius, sive fractus, ex priori collectus per legitimam sequelam.

Tertiò. Ergò falsa scientia, vel opinio est in luce summi veri, quod DEUS est, corrigenda : ergo mala et impura, seu injusta voluntatis actio, est in luce, seu regulâ summi boni rectificanda. Hic est veluti tertius veritatis radius ex priori collectus : possetque appellari radius ex fracto refractus.

Quartò. Ergò hæresis, sive falsa fidei opinio est in veram fidem commutanda : ergò injuria DEO, vel proximo illata est resarcienda. En quartus veritatis radius, sive reflexus, ex præcedenti conclusus !

Quintò : Ergò Lutherani, cùm foveant opiniones fidei falsas debent redire ad fidem Catholicam, quæ vera fides est : ergo fures, quia proximo injuriam damnosam intulerunt debent restituere. Hic est quintus radius ex suo præcedenti immediatè collectus.

Sextò : Ergò Calixtus Præco Lutheranus, si salvari cupit, debet fieri Catholicus. Ergò Silvius pupillorum, et viduarum expilator, si ad vitam ingredi desiderat, necessarium est, ut juxta septimum Decalogi præceptum damnum illatum rependat. En sextus, et ultimus veritatis radius, immediatè quidem ex proximè præcedenti, remotè verò ex omnibus antecedentibus collectus.

46. En habes ipsam Quæstionem resolutam, quâ quærebatur an Calixtus Præco Lutheranus extra fidem Catholicam, et Silvius pupillorum, et viduarum expilator absque restitutione, possint salvari. Quæ conclusio vim suam ultimatò accipit à primâ, et fontali luce, quæ DEUS est, summè verus, et summè bonus : in cujus virtute omnia cætera existunt vera, et bona : consequenter omnia per DEUM fiunt intelligibilia, et appetibilia; actu intelliguntur et appetuntur : *quod enim est causa causæ, est etiam causa causati.* Cùm ergo DEUM fontalis lux parturiat primum veritatis radium [ex quo alii, et alii emanant] parturiet, et causabit etiam secundum, tertium, quartum;

et sic deinceps usque ad ultimum. Et sic ipsemet DEUS, ut fontalis lux, erit verissima causa, et formalis prima ratio, vel primum veritatis, et notitiæ intellectualis principium omnium dictarum veritatum; etiam quòd Calixtus Lutheranus extra fidem Catholicam, et Silvius expilator absque restitutione salvari nequeant. Nam in iis, quæ ab uno summo principio ordinatè pendent, non solùm pendent immediatè ab eo fluentia; sed etiam, quæ mediatè ab eo descendunt. Et casu quo, mediatè et immediatè fluentia solùm ratione, et non realiter ab invicem distinguantur (sicut hîc fit, et in omnibus cæteris gradibus metaphysicis) tunc realiter loquendo dicere debemus, omnia immediatè ab illo principio emanare, fluere, et causari, ac parturiri: quia videlicet causa realiter distincta nulla intercedit. Sicut etiam non solus radius rectus, sed etiam fractus, refractus, ac reflexus sunt immediatè à Sole: et hinc videmus omnes simul ac eodem instanti propagari, ac diffundi, ergò per unicam et eamdem actionem, ergò per unicam et non per intermedias, seu mediatas causas. A simili contingit propagatio veritatum (si nimirum, loquamur de re ipsâ, et non de imperfecto ac misero nostro modo concipiendi) omnes enim, etiam remotiores ac remotissimæ, et ultimæ immediatè, imò æternaliter à DEO fontali luce propagantur, objectivè videlicet. Et est per accidens, quod nos homines (qui videmus ac intelligimus ad instar vespertilionum, successivè ac per tot gradus (vulgò mit so vilen Abſätz/ con tanti distaccamenti) res intelligamus, et ex veritatibus objectivis formales efficiamus. Hoc enim totum provenit ex tarditate ac imbecillitate oculi nostri mentalis, qui per eam, quam habet à corporea phantasia dependentiam, non omnia simul ac semel, sed successivè ac per partes; et discurrendo intueri valet: quamvis interim ipse Divinus lucis fons, simul ac semel et semper ac æternaliter, veritates omnes, etiam remotissimas ac infimas, parturiat. Feliciores nobis Angeli sunt, qui simul et semel et principia et conclusionem intueri valent, imò juxta alios etiam debent: sine tot gradibus (ohne so vil Abſätz/ senza distacchi).

47. Ex his collige omnes præfatas veritates usque ad ultimam, realiter loquendo immediatè verificari, aperiri, manifestari, concludi ac doceri per SOLEM INTELLIGENTIÆ, sive fontalem Lucem *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* DEUS enim est verus intelligentiæ, et justitiæ Sol; vera lux mentium, lumen indeficiens, ac inextinguibile; verus Pater luminum, qui suâ virtute, ac splendore, omnia reliqua lumina, veritatisque radios ad ultimos usque, parturit, et accendit: et per lumen rationis omnia in se re-

ducit. Unde quàm verissimè sanctus Leo Papa, Serm. 1. de jejun. 10. mensis et Collectis, dixit : DEUM nos reformare ad imaginem suam, accendendo, scilicet, *mentium nostrarum lucerna et igne nos charitatis* suæ inflammando, *ut non solum ipsum, sed etiam quidquid diligit diligamus*. De quo et Psalmi 17. v. 29 intelligendus est : *Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine*, [id est mentem accendis, et facis, ut intelligendo, et amando operetur, ac luceat] et Psal. 4, v. 6 et 7. *Multi dicunt, quis ostendit nobis bona?* Mox respondetur, ostendi, ac manifestari nobis per lumen vultûs Domini. *Signatum est super nos lumen vultûs tui Domine*. Omnis igitur veritas, omnis ratio et omne participatum lumen ultimatè resolvitur in Divinam lucem, in primam veritatem, et summam bonitatem, quæ DEUS est. Ergò DEUS solus est, qui certam, et evidentem cognitionem rerum intus tribuere; voluntatem humanam seu creatam intus movere, et attrahere potest : nemo alius, sive in cœlo, sive infrà cœlum : verè, immediatè, ac propriè loquendo.

48. Observa his actuum gradibus creatam mentem intus moveri, trahi, doceri et illuminari. Primò enim creatus Magister, vel aliud exterius movens, per sua verba, aliaque exteriora signa, ad externum sensum prolata, suscitat in phantasiâ, ac sensu interiori sensibilem rei speciem, seu phantasma. Secundò, species ac phantasma objiciendo rem sensibilem, et sic in conspectum imaginantis prodiens, mediante hâc sensibili imagine, et operatione, non quidem movet intellectum ; sed tamen est causa, ut et ipse circa idem operetur [videlicet ob naturalem potentiarum in eodem subjecto subordinatarum sympathiam, quâ à naturâ inditum est, ut si una circa aliquid operetur, mox et altera circa idem agat; absque eo quòd se invicem physicè strictè moveant] ac proinde moraliter suscitat intellectum agentem, ut efficiat speciem rei intelligibilem. Tertiò hæc producta species intelligibilis in conspectum exiens objicit intellectui passibili rem intelligibilem, seu intelligibiliter quidem, sed adhùc fallibiliter, et cum periculo errandi. Unde quartò intellectus patiens, ut se extricet ab omni periculo errandi manuducitur ad certam et infallibilem cognoscendi mensuram, id est ad lumen æternæ, incircumscriptæque veritatis, sive actûs puri, entis perfectissimi, entis quâ ens est, in quo virtualiter omnes veritates, et intelligibilitates continentur, quæ nullum erroris tolerant præjudicium. Quintò : Proinde lumen hoc æternæ veritatis intellectui objectum, movet intellectum ad actum certum et infallibilem, sive intelligendo, sive amando : illud quippe æternum lumen sicut est summum verum, ita

et est summum bonum, vi cujus omnia rationabiliter intelliguntur et amantur. Hic est processus, et ordo mentis creatæ per intellectum, et voluntatem operantis : sive dein ab ipso operante reflexè observetur, sive non observetur. Ex quibus etiam intelliges, quid ad rerum intellectionem conferat phantasma, quid species intelligibilis, et quid lumen æternæ lucis. Primò enim communiter in statu præsentis vitæ *intelligentem necesse est speculari phantasmata*, ut dicitur 3, de Animâ. Et ideò phantasma, dum objicit signum sensibile rei intelligibilis, agit vicem interioris monitoris (ad distinctionem exteriorum adminiculorum, v g. Magistri creati, verborum, Scripturæ, quæ sunt monitoria extrinseca) species intelligibilis verò objicit menti non signum sensibile, sed ipsam rem intelligibilem, tamen apprehensione necdum certâ et evidenti, sed adhuc fallibili, et erroribus obnoxiâ). Denique lumen æternæ veritatis, sive quod idem est, Sol intelligentiæ, menti objectus tum certam ac evidentem apprehensionem (sive quod idem est definitivam) tum evidens judicium, tum necessariam intellectûs consequentiam efficit. Vide suprà, Cap. 1. Num. 101.

§ IV.

Ratio, seu Fundamentum quartum, ex ratione imaginis.

SUMMARIUM. — 49. Qualiter ex ratione imaginis argumentum pro Sole intelligentiæ formetur? — 50. Probatur ratione, quod mens sit imago DEI. — 51. Essentialis imago DEI est à solo DEO mobilis : probatur per argumentum. — 52. Confirmatur per similitudinem speciei impressæ et expressæ. — 53. Confirmatur secundò. — 54. Quomodo differat imago creationis ab imagine recreationis? — 55. Qualiter imago recreationis superinducatur? — 56. Ulteriùs explicatur per verba D. Bernardi. — 57. Est ad hoc necessaria gratia, quâ denuo nascamur, et in novam creaturam transmutemur. — 58. Breviter explicatur perfecta regeneratio.

49. Pro quarta principali ratione ducitur argumentum ex hoc, quòd mens creata sit imago DEI : et sic formatur. Quod essentialiter, et non purè ex accidenti est alterius imago, non potest interiùs objectivè ab alio immediatè moveri, nisi ab eo solo, cuius est imago : sed mens creata est essentialiter, et non purè ex accidenti imago DEI (intellige de imagine in actu primo, quam alii imaginem creationis appellant; non de imagine consistente in actibus, vel aliqua gratia superaddita, quam imaginem reparationis, aut recreationis cum iisdem nominare possemus) ergò mens creata non potest interiùs objectivè ab alio immediatè moveri, nisi à DEO : ergò nec

doceri. Consequentia est legitima, quia forma est legitima. Ergò si negandа est, debet aut major, aut minor esse falsa. Sed contrà. Minoris veritatem colligo ex Sacro Textu Gen. 1. v. 26. Et Cap 9. v. 6. Sapient. 2. v. 23. Eccli. 17. v. 1. 1. Cor. 11. v. 7. in his locis clarè asseritur, hominem ad imaginem, et similitudimen DEI factum esse. Quod Theologi et Expositores ratione ipsius mentis humanæ, non verò corporis unanimiter interpretantur : quia nimirum ipse DEUS Spiritus est, et totaliter incorporeus, consequenter similitudo imaginis debet juxta mentem, seu juxta spiritum hominis spectari.

50. Sed quia Scriptura terminum *essentialiter* non addit, probo eamdem minorem hoc ratiocinio. Illud est rei essentiale, secundùm quod illa res æternaliter creanda concipitur, et actu à DEO creatur (DEO quippe, tanquam primæ ac universali mensuræ mensuranti, competit rebus omnibus modum, ordinem, ac speciem ; et unicuique rei suam propriam naturam, et essentiam deputare) sed mens et æternaliter sic creanda à DEO concipitur et actu creatur ad, et secundùm imaginem DEI, ergò esse ad imaginem DEI erit illi essentiale.

Confirmatur. Si mens creata non esset imago DEI per se, et per suam essentiam, tunc esset imago DEI, ac DEUM repræsentaret per accidens, sive per aliquid sibi superadditum (ad instar quando mens per receptas et superadditas species intelligibiles, v. g. montis, cœli, stellæ, leonis, ficulneæ, etc. fit per accidens imago repræsentativa montis, cœli, stellæ, leonis, ficulneæ, etc, juxta quod dicunt Philosophi *intellectum intelligendo fieri omnia*, scilicet non realiter, sed intellectualiter, seu repræsentativè) sed mens creata non est imago DEI, nec illum repræsentat per accidens, sive per aliquid superadditum, ergò erit imago DEI, et illum repræsentabit per se, ac per suam essentiam. Probatur hæc minor. Si esset imago repræsentativa DEI per accidens, sive per aliquid sibi superadditum, et superproductum, posset mens creata non esse imago DEI [posset enim illud superadditum ab eâ separari] sed consequens est absurdum (quia esset et non esset imago DEI : esset propter suas 3. potentias rationales, quibus mediantibus DEUM repræsentaret ; non esset ob ablatum illud superadditum) ergò et antecedens. Ergò ratio imaginis, quâ sumus certo modo similes DEO, et per quam eumdem repræsentamus non est aliquid nobis præexistentibus superadditum, vel à DEO, tanquam ipsomet essentiali exemplari, in nobis, jam quoad essentiam nostram perfectis, superproductum (sicut v. g. Sol corporeus mittens sui speciem in speculum, secundum suum esse jam præexistens, idem spe-

culum facit imaginem Solis per aliquid essentiæ speculi superadditum, et superproductum) sed nos ipsi sumus viventes, ac subsistentes imagines, ac similitudines ipsius Solis intelligentiæ, sive DEI viventis. Et hoc ipsum est nostra essentia, quidditas, et natura. Quam naturam et essentiam cum nobis ipsis nos ipsi dare non potuerimus; cùm nemo seipsum facere possit, alias esset antequam esset, sic eò ipso clarè intelligimus, nos esse hoc quod sumus (nempe imago DEI) non à nobis ipsis, sed alio Factore, qui liberè voluit nos esse ac fieri ad imaginem suam. Ergò minor primi Syllogismi, quòd mens creata sit essentialiter imago DEI, manet probata. Sed major est probanda, quod videlicet essentialis imago interiùs objectivè immediatè à solo suo exemplari moveri possit. Sic ergò discurro.

Quæ essentialiter ut potentia et objectum, ut principiatum et principium, ut mobile ac motivum, ut perfectibile ac perfectivum se respiciunt non possunt nisi ab invicem principiari, actuari, moveri, perfici, et in actum reduci : sed essentialis imago [et bene observa terminum *essentialis*] et ipsum suum exemplar sic se respiciunt : ergò non possunt nisi ab invicem principiari, actuari, moveri, perfici, et in actum reduci. Major certa supponitur ex necessariâ conditione relativorum. Minor quoque clara est : quia essentialis imago essentialiter respicit suum exemplar, et quidem si est imago cognitionis et appetitionis capax, respicit suum exemplar velut potentia suum objectum, ut quid principiatum illud à quo principiatur, ut mobile suum motivum, ut perfectibile suum perfectivum, etc. Et hinc mentis creatæ objectum beatificum, et expletivum est unicus DEUS. Unde D. Bonaventura post S. Augustinum et Venerabilem Bedam sic ait : 2. d. 8. q. 2. *Imaginem DEI nihil minus DEO implere potest, sicut dicit Augustinus et Beda*. Et D. Thomas 1. p. q. 106. à 1. ad. 3. *Dicendum, quod rationalis mens formatur immediatè à DEO : vel sicut imago ab exemplari, quia non est facta ad alterius imaginem, quàm DEI : vel sicut subjectum ab ultimâ formâ completivâ, quia semper mens creata reputatur informis, nisi ipsi primæ veritati inhæreat*. Et de spiritualibus creaturis a. 10. in Corp. sic dicit : *Quia si homo participaret lumen intelligibile ab Angelo, sequeretur quod homo secundùm mentem non esset ad imaginem ipsius DEI : sed ad imaginem Angelorum*. Hæc Doctor Angelicus Vides ergo juxta Doctorem Angelicum et Seraphicum mentem creatam respicere DEUM ut suum unicum immediatum impletivum, ultimum formativum, et completivum.

52. Confirmatur à simili. Species intelligibilis tum impressa (quæ

est virtualis objecti similitudo, seu imago) tum expressa (seu verbum mentis, quod est actualis ac formalis objecti similitudo, vitaliter per intellectum informatum specie impressâ, elicita) agnoscit pro suo objecto, principio, motivo ac perfectivo ipsam rem, cujus est imago. Et hinc sicut lumen essentialiter est effectus lucis, ita quoque species impressæ et expressæ sunt effectus rerum cognoscibilium, quibus DEUS hanc concessit virtutem, ut suas imagines in potentiis cognoscitivis producere valeant, et easdem potentias ad hoc excitare, ut species expressas producant, et ut sic eædem potentiæ in vitales imagines rerum intelligibilium transformentur : quo sensu dicitur, *intellectum intelligendo fieri omnia*. Ergo etiam mens creata (quæ considerata cum nudis, ac otiosis potentiis est veluti imago et species DEI virtualis ; considerata verò ut actu operans est veluti imago et species actualis et formalis) à nemine immediatè formari, actuari, et excitari poterit, nisi ab eo cujus est imago, id est à DEO.

53. Confirmatur 2. Mens creata, ut est essentialiter imago DEI, est essentialiter repræsentativa DEI : est essentialiter capax Divinorum, ac æternorum, infinitorum, et incircumscriptorum : ergo implicat hanc relativam capacitatem immediatè compleri, moveri, actuari, et in actum reduci, nisi per rem Divinam, æternam, infinitam, incircumscriptam, quæ solus DEUS est. Nec convenit naturalem DEI imaginem, cùm infrà DEUM supra se nullum superius agnoscat, ab alio quàm à DEO moveri : quia, ut ait D. Thomas 1. p. q. 105. a. 4. *Non enim sufficienter aliquid potest movere aliquod mobile, nisi virtus activa moventis, excedat vel saltem adæquet virtutem passivam mobilis.* Nec Angelus in ratione mentis est quid superius mente humanâ.

DE IMAGINE CREATIONIS, RECREATIONIS ET SIMILITUDINIS.

54. Cum de ratione imaginis hîc agatur, juxta quam ad DEI similitudinem, unà cum Angelis creati sumus, quæsierit aliquis, quo discrimine imago creationis, recreationis, et similitudinis ab invicem distinguatur ? D. Thomas 1. p. q 93. a. 4. Respondet, primam imitari DEUM *secundùm quod homo habet aptitudinem naturalem ad intelligendum et amandum DEUM*. Alteram verò *secundùm quod homo actu vel habitu DEUM cognoscit et amat, sed tamen imperfectè*. Tertiam denique *secundùm quod homo DEUM actu cognoscit, et amat perfectè*. Et hanc solùm in Beatis dari ait. Hæc Doctor Angelicus. Ego rem sic explico. DEUS summum bonum, cujus natura est se diffundere, creando hominem (vel etiam Angelum) ad suam imaginem et similitudinem (etiam perfectionem, sive tertiam habendam) faciem vultûs

ac naturæ suæ eidem veluti ceræ sigillando impressit, et inspirando insufflavit : quâ sigillatione effectum est, ut inde naturam divinorum capacem receperimus, per quam et à bestiis distingueremur, et DEUM saltem à longè sequeremur, et imitaremur. Hinc licèt per hanc primam sigillationem ac naturæ capacitatem aliqualem ad DEUM similitudinem assequuti fuerimus, non tamen eatenus plenam, ut per eam etiam Divinorum actu participes essemus. Per quam equidem à bestiis distinguimur (quæ licèt totum id, quod sunt à DEO habeant, non tamen factorem suum aut cognoscere, aut amare, aut eo frui possunt) et sic DEUM nostrum saltem à longè imitamur ac sequimur. Hæc tamen similitudo, vel naturæ sigillatio non eatenus plena est, ut DEUS à nobis exigit, nec per eam Divinorum actu participes efficimur, sed solùm capaces. Licèt enim per eam vires naturæ receperimus, ut radius vultûs Divini, seu divinæ veritatis ac bonitatis in nobis imprimi et exprimi valeat, non tamen actu imprimitur, aut exprimitur. *Nec* per eam *revelatâ facie gloriam Domini* speculamur, nec *in eamdem imaginem transformamur à claritate in claritatem tanquam à Domini spiritu*, ut loquitur D. Paulus de Judæo jam ad Dominum converso, 2. Cor. 3 v. 18. Et hinc evenit, quòd hæc prior mentis similitudo, et imago etiam in peccatoribus, etiam obduratis; quin et damnatis, ac dæmonibus perseveret.

55. Quid ergò agendum, ut perfectior imago recreationis nobis superinducatur, et ut *anima* nostra *perfectæ rationis incipiat esse non tantùm capax, sed et particeps*, prout loquitur D. Bernardus de Vita solitaria post medium. Vide suprà Cap. 1. Num. 30. Respondeo primò cum eodem D. Bernardo, cit. loc. *Fit autem bonus et rationalis animus* (et consequenter perfectiorem DEI similitudinem, et imaginem assequitur) *diligens Dominum suum in toto corde suo, et in totâ animâ suâ, et in totâ mente suâ, et in omnibus viribus suis, et non nisi in ipso seipsum, et proximum suum sicut seipsum*. Et infrà. *Et per hoc, quod imago DEI est, intelligibile ei fit, et se posse, et debere inhærere ei, cujus est imago*, etc. Ita Bernardus.

56. Vides, quòd non satis fuerit, nos ad imaginem DEI creatos esse, nos Divinorum capacitatem per creationem obtinuisse : sed ulteriùs progrediendum est, potentia ad opus applicari debet, aliàs *frustra est potentia, quæ non reducitur ad actum*; Non satis est DEI nos capaces esse, etiam actu illius participes fieri debemus, et cum sola DEI imagine velut potentiali non contenti esse, sed æmulari charismata meliora, videlicet ut in actualem DEI similitudinem et imaginem transformemur, in quo nostrum verum consistit bonum.

Possumus enim *intelligere*, sunt verba Cardinalis Bellarmini in v. 7 Psalmi 4, *adjuti gratia DEI, nostrum verum bonum consistere in assimilatione ad DEUM. Bonum enim imaginis est quam simillimam esse exemplari.* Sed qualiter, et quibus viribus ad tam magnum quis venerit bonum ? et hæc in DEUM contigerit transformatio actualis ?

57. Respondeo ad hoc naturam minùs potentem inveniri, et DEI gratiam necessariam esse. Quò D. Seraphici seraphica respiciunt verba in Prologo Itinerarii toties citati : *Igitur* (cùm natura non sufficiat) *ad gemitum orationis per Christum Crucifixum, per cujus sanguinem purgamur à sordibus vitiorum, primùm quidem Lectorem invito, ne fortè credat, quòd sibi sufficiat lectio sine unctione, speculatio sine devotione, investigatio sine admiratione, circumspectio sine exultatione, industria sine pietate, scientia sine charitate, intelligentia sine humilitate, studium absque Divina gratia, speculum absque sapientiâ divinitùs inspiratâ.* Ut ergo in novam mutemur imaginem, in novam oportet nos transformari creaturam : et exinde *oportet* nos *nasci denuo :* non eo sensu, quem apprehendebat Nicodemus : quia is ipse est, qui mutatione indiget : nam *quod natum est ex carne caro est* (Joan. 3. v. 6.) Sed *caro et sanguis regnum DEI possidere non possunt.* (1. Corinth. 15. v. 51.) Oportet ergò denuo nasci ex DEO, et Spiritu sancto. Et eò dirigit radios suos Divinus intelligentiæ Sol, seu *Lux* illa *vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Si tamen (cùm cogere nolit, et quia creando nos sine nobis, non vult salvare nos sine nobis) oblatos radios liberè voluerimus intromittere quia dantur lucifugæ, qui malè agunt, et lucem non receperunt, seu oderunt. Feliciores sunt *quotquot receperunt eum* : nam *dedit eis potestatem Filios DEI fieri, his, qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex DEO nati sunt.*

58. Quin imò si Divinus intelligentiæ Sol nanciscatur animam sibi plenissimè consentientem regenerat eamdem suâ vivificâ luce et calore (supernaturali præsertim) in perfectam DEI similitudinem, et imaginem sanctitatis : ita ut talis anima eòusque DEO similis evadat quantùm patitur conditio creaturæ Et quia filii non solùm naturam parentum, sed actiones quoque æmulantur, sic et anima illa Divinæ consors naturæ effecta (2. Pet. 1. v. 4.) quam DEI Spiritus sibi plenè consentientem effecit, non amplius suas priores, sed nunc modò DEI formes actiones operatur. Unde talis anima non tam agit quàm agitur. Agitur autem non à carne, nec à mundo, nec à seipsâ, sed Spiritu DEI, et ideò filia, seu filius DEI nominatur. *Quicumque enim*

Spiritu DEI aguntur ii sunt filii DEI. (Rom. 8. v. 14.) Ex quâ mentis filiatione ingens cordi exoritur pax : *Beati pacifici, quoniam filii DEI vocabuntur.* [Matth. 5. v. 9.] Ut enim ait Augustinus de Sermone Domini in monte : *In pace perfectio est, ubi nihil repugnat : et ideo filii DEI pacifici, quoniam nihil in his resistit DEO ; et utique filii similitudinem Patris habere debent. Pacifici autem in semetipsis sunt, qui omnes animi sui motus componentes, et subjicientes rationi, id est menti et spiritui, carnalesque concupiscentias habentes edomitas fiunt regnum DEI. In quo ita sunt ordinata omnia, ut id, quod est in homine præcipuum, et excellens, hoc imperet cœteris non reluctantibus, quæ sunt nobis, bestiisque communia : atque idipsum, quod excellit in homine, id est mens et ratio subjiciatur potiori, quod est ipsa Veritas Unigenitus Filius DEI.* Hæc Augustinus. Et proinde in tali pacifica animâ, velut Sapientiæ sede ac throno DEI effecta, DEUS velut in suo loco inhabitat. Et quia *DEUS charitas est* (1. Joan. 4. v. 16.) inde fit, quod, *qui manet in charitate in DEO manet, et DEUS in eo :* actiones DEI-formes in eo efficiendo, videlicet *fructus spiritûs*, qui sunt *charitas*, *gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.* Sic ad Galatas 5. v. 22. Quibus velut coloribus imago recreationis pingitur et absolvitur. Cui ultimum complementum Divinus Pictor adjungit, cùm eo dante imaginem similitudinis accipiemus, quâ similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. 1. Joan. 3. v. 2.

§ V.

Ratio, seu Fundamentum quintum per Synopsim argumentorum D. Augustini.

SUMMARIUM. — 59. Synopsis mentis Augustinianæ. — 60. Verba formalia S. Augustini. — 61. Confirmatur ejus mens per discursum. — 62. Synopticè colligitur ex ejus mente. — 63. Non reperitur ullum exterius verbum, quod implicet esse falsum.

59. Quintò probatur per omnes rationes S. Augustini, Cap. 4. relatas, et fusiùs expositas, quas hîc pro memoriæ fulcimento synopticè repeto. Mens ergo, et scopus S. Doctoris, per omnes illas rationes, aliò non collimat, quam ad oculum repræsentare insufficientiam Magistrorum creatorum. Quòd videlicet, nec Libri, nec verba, aut scripta, aut alia signa ; quibus homines utuntur, cùm docere satagunt : ullo modo per se accepta intus in mente discipuli aliquid

efficiant : aut præter speciem sensibilem soni, ac vocis, quàm sensibus ingerunt, aliquid aliud mentem verè intus edoceant : sed quod tantummodò ad aures et oculos forinsecùs perstrepant, ac operentur; non aliter, quàm fieret per alia signa naturalia ad placitum nihil significantia. Suppositâ tamen verborum significatione ad placitum, et ejusdem significationis intelligentiâ, monent hujusmodi exteriora signa, vel verba ipsum discipulum, ut oculum mentis ad verum Doctorem convertat : id est ad lucem Domini incommutabilem, seu ad ipsum lumen æternæ veritatis, quod solùm docere potest. Et inde fit, quòd verba plurimum nobis prosint, quia monent, ut veritates intueamur. Ergò nec verba, nec scripta, habent vim propriè intus docendi, aut doctrinam, scientiam vel sapientiam producendi : sed quilibet quodlibet docetur aliunde, ab alio videlicet magis interno Magistro. Et quidem si de sensibilibus loquamur, ab ipsâ sensibili experientiâ quisque docetur, quâ res præsentes in se, aut in suâ vicariâ specie per sensum attingit : Si verò de intelligibilibus sermo fuerit, ab ipsâ mentali experientiâ; quâ per oculum, vel sensum mentis, rei intelligibilis æterna veritas; seu ejusdem rei concordantia cum suis æternis regulis, et ideis perspicitur (in hoc enim consistit rerum transcendentalis veritas).

60. Sed audiamus ipsummet S. Doctorem, et ejusdem sæpiùs jam citata verba formalia. Sic enim Lib. de Magistro Cap. 11. loquitur: *Hactenus verba valuerunt, quibus ut plurimum tribuam admonent tantùm, ut quæramus res, non exhibent, ut noverimus. Is me autem aliquid docet, qui vel oculis, vel ulli corporis sensui, vel ipsi etiam menti præbet ea, quæ cognoscere volo. Verbis igitur, nisi verba non discimus ; imò sonitum , strepitumque verborum.* Hæc ille citato Capite 11. Et prudentissimè loquitur. Verbum enim, per se acceptum, aliud nihil est, quàm mutus sonus (sicut alius quivis non articulatus sonus). Scriptura aliud nihil est, quàm mutæ, ac nigræ lineæ : consequenter per se nec conceptum rerum, nec notitiam significationis ad placitum (quæ supponitur priùs jam sciri, non verò per verba addiscitur) ingenerant menti ; aut docent, vel docere possunt. Nam cognitio rerum imo et ipsa nominum, seu verborum (quibus ad loquendum vel docendum utimur) *significatio, non auditione vocum emissarum, sed rerum significatarum cognitione* [et inspectione] *perficitur,* et intelligitur : ut bene dicit idem Augustinus. Si enim solâ emissâ voce, aut rei notitiam, aut vocis significationem ad placitum discere possemus, posset ignarus hebraicæ linguæ per verba hebraica, et doceri Philosophiam, et linguam hebraicam (ut

suprà dictum fuit) quod tamen absurdum est : Ergò verum est, quod ait Augustinus : *Verbis* verò auditis, nec *verba discimus*, sed *sonitum, strepitumque verborum* tantùm : hunc enim vox verbalis naturaliter significat, non minùs quàm mugitus boum sonum suum.

61. Confirmatur hæc verborum insufficientia ad mentem S. Doctoris hoc modo. Verbum, seu locutio, quâ niteris docere, aut est simplex terminus, seu dictio; vel propositio; vel illatio, seu consequentia : nullum ex his discipulum docere potest, ergò etc. probatur minor : aut discipulus scit priùs, quid hæc verba significent (sic non discet, cùm priùs sciverit id, quod verba intendunt, et discipulo notum facere volunt : id est significatum) aut non scit (ut sic nec verba intelligit, ut suprà dictum est, minùs res ipsas) sed ponamus, quòd discipulus intelligat significatum simplicium terminorum, sed ignoret inexistentias ad invicem, vel illationes, seu deductiones ex invicem ; iterùm nihil discet. Licèt enim millies ad aures meas inclames, dicendo : *Homini convenit risibilitas, et ex hac risibilitate infertur à posteriori esse rationalem*. Si tamen hanc inexistentiam, et illationem mente non capiam, pura verba certè nihil efficient : illis enim purè auditis, et non intellectis, aut solùm credam asserenti, aut hærebo dubius ; aut judicium, et omnem actum suspendam : aut tantum probabiliter opinabor ; aut contradicam : minimè verò aut discam, aut sciam. Uno verbo : Si ad discipulum loquaris res à te scitas, tibi cognitas, experimentatas, ac menti tuæ (aut in se, aut per vicariam speciem) præsentes ; tunc si discipulo tuo quoque sic fuerint, hoc aliunde habebit non ex tuis verbis. Si verò hoc aliunde non habuerit, verba tua in æternum nihil efficient. Sed per hoc nihil derogo verbis, quæ dico esse in hoc utilissima, quia nos manuducunt ad veram scientiæ causam.

62. Ex his collige : Si discipulus ignoret significatum simplicium terminorum, dum coram ipso vocaliter experimuntur, tunc nihil plùs discet, quàm si audiret bovem mugientem : res enim significatas nec sibi imaginari, nec apprehendere poterit. Si autem ipsos simplices terminos quidem intelligat, ignoret verò inexistentiam unius in altero, ut sic nullo modo poterit judicare. Si denique et simplices terminos, et illorum inexistentias, ad invicem capiat, sed ignoret vim consequentiæ, ut sic nullatenus poterit cum suo intellectu aliquid inferre : sed asserenti tantùm credet inferri, aut hærebit dubius etc., ut suprà dictum fuit. Si verò cuncta recensita scit, ac intelligit, hoc propriè loquendo habebit ex suo interno aspectu, non ex alterius verbis.

63. Si enim verba creata tam pretiosa forent, quòd per se sola aut scientias, aut veritates edocere possent, ut sic deberent esse signa infallibilia veritatis, ita ut is, qui ea loquitur mentiri non possit; ac contraria falsitas iisdem prolatis coëxistere nequeat: sed nullum tale verbum in Orbe reperitur, cui falsum subesse non possit: Ergò per nullum verbum certificaris, quod homo (qui naturâ mendax est) tibi veritatem dicat (Ecclesia in suis decisionibus errare non potest ob assistentiam Spiritûs sancti eidem largiter promissam, Joan. 16. v. 13.) Ergò nullum verum unquam disces: Si verò contingat prolatis verbis te discere, hoc fiet solùm concomitanter, non ex vi verborum, sed ex alia virtute, tibi aliunde influente. Et hic est scopus totius ratiocinationis Augustinianæ. Cui concordant et alii SS. Patres, superiùs Capite 5. citati, dum volunt, et urgent, ut sibi causa assignetur, cur contingat, positâ eâdem æquali voce ipsius Magistri, vel Concionatoris, ad omnes auditores æqualiter loquentis, unum rem dictam intelligere, et alium non intelligere, unum doceri, et alterum non doceri, unum fieri doctum, et alterum manere indoctum Certè si verba ex se docere possent, tunc omnes discipuli, habentes bonum auditum, deberent intelligere, doceri, et fieri docti: positâ enim sufficienti causâ ponitur effectus.

§ VI.

Ratio, seu Fundamentum VI, per Synopsim argumentorum D. Bonaventuræ.

SUMMARIUM. — 64. Compendium rationum D. Bonaventuræ. — 65. Exponitur, quid sit definire. — 66. Ulteriùs declaratur. — 67. Qualiter judicium, illatio, consilium, etc. dependeant à Sole intelligentiæ? — 68 Colligitur ad mentem Seraphici Doctoris.

64. Sextò probatur per compendium rationum, quas suprà Capite quinto ex Doctore Seraphico, præsertim ex Cap. 3. Itinerarii mentis in DEUM, attulimus. Ubi ad oculum demonstrat, mentem humanam, seu creatam, quoties ex ratione operatur, immediatè unitam esse æternæ veritati (quæ DEUS est) ut se immediatè moventi, ac docenti. Nam, ut ibi probatur: Omni homini rem quamcumque definituro (id est percepturo, quod quid esse rei alicujus termini) ab eodem præsupponitur ens perfectum, purissimum, actualissimum, completissimum, absolutum, simplex et æternum præintelligi; in quo reperiantur rerum omnium rationes in suâ puritate: in cujus videlicet

entis perfecti luce intelligatur, et capiatur, quid illa res definienda ex tali entitatum Oceano in se habeat ; et quid non habeat.

65. Definire enim (sicut jam toties dictum fuit) est ita rem quamcumque definitè cognoscere, ut intelligatur et capiatur, quid et quantùm illa res de suâ perfectionis mensurâ in se contineat, et quid de illâ ei desit, et non contineat. Et hinc fit, quòd quævis definitio ex duplici conceptu coalescat, uno determinabili, et quasi infinito, et altero determinante, seu finito, seu finiente ac limitante. Et ob hanc eamdem causam evenit, quòd sola entia creata et limitata, quibus aliquid deest, propriè ac strictè definiri possint, non autem DEUS, cui nulla vera convenit limitatio : sed potiùs est ipsa perfectionis mensura, quâ omnia mensurantur, ac definiuntur. Exemplo res fiet clarior. DEUS, v. g. est ipse actus purus, ipsa perfectio, ipsa illimitàta ratio, forma non formata ; sed creatura est actus impuritati, ac imperfectioni permixtus, limitatus, formatus, sive creatus. DEUS est ipsa ratio, Angelus est ratio creata incorporea, sive purè spiritualis : homo sive mens hominis est ratio creata incorporea, non purè spiritualis. Ex quo colliges Angelum, de DEO, mensurâ suâ, participare et rationem, et esse purum spiritum ; sed illi deest esse increatum, illimitatum, independens. E contra mens hominis, etsi quoque participet tum rationem, tum esse spiritum, non tamen participat esse incorporeum, seu non esse quid unibile corpori. Unde mens hominis recedit à DEO non solùm, quia est quid creatum, limitatum, sed etiam quia potest cum ente corporeo ac sensibili uniri ad componendum unum totum.

66. Quod ut meliùs capias (et plurimùm interest ad notitiam Solis intelligentiæ) volo ut advertas, maximam esse differentiam inter externam definitionis pronuntiationem (quam et psittacus exprimere posset) et inter ipsam mentis definitionem, quo sensu is solus definit, qui intelligit id, quod dicit. Porrò, ut dicatur quis rem aliquam definire non satis est concipere aliquem characterem, seu attributum rei, licèt proprium rei, et cum eàdem convertibile, sed oportet totam essentiam, seu naturam rei capere. Si enim sufficeret convertibilis character, tunc et DEUM possem definire dicendo, quòd sit ens infinitum, infinitas enim convenit semper uni et soli DEO convertibiliter. Interim cùm aio, DEUS est ens infinitum, non illum definio, quia mens mea non capit totam DEI naturam, imò nec mens beati definit DEUM, quia illum non comprehendit, et quia DEUS non est definitè, id est limitatè cognoscibilis, nec habet altiorem mensuram, per cujus accessum, et recessum mensurari, ac definiri valeat. Et conditio

essentialis ad esse definibile, est habere suprà se mensuram : respectu cujus intelligere possim, quid res habeat, et quid non habeat. Et si definitio debet esse omnino perfecta, deberem omnia et singula scire ac intelligere, quæ res definibilis de suâ mensurâ in se habet, et omnia et singula, quæ illi desunt. Unde fit, quòd solus DEUS possit modo perfectissimo res definire. Quia ipse solus sicut numerat omnes capillos capitis nostri, ita omne *imperfectum* nostrum *videt runt oculi* ipsius.

67. Redeo ad Seraphicum Doctorem, qui ulteriùs probat, quò omni homini firmiter judicanti, seu quamcumque propositionem intelligenti, lucere debeat infallibilis quædam lux, veritas, ratio, seu regula, quæ menti radiet inextinguibiliter, et immutabiliter. Sic omni legitimè, ac scientificè, certò, ac evidenter, ac securè aliquid inferenti necessariò splendeat lux quædam immutabiliter ac necessariò radians, et talem consequentiam semper et ubique urgens : quæ necessitas cùm non sit ficta, sed realis ; non creata, sed increata et æterna ; non aliquid contingens, sed necessarium ; debebit utique fundari non in re creatâ, aut in solâ mente, vel in solo conceptu : sed in re, vel ente reali, increato, necessario, æterno, id est in ipso DEO. Sic et omni concilianti de meliori eligibili lucere debeat ratio Optimi, cui illud melius magis vicinum sit. Omni judicanti de consiliabilibus lucere debeat regula certa. et imprædjudicabilis, immutabilis, incircumscriptibilis, interminabilis : abstrahens à loco, tempore, mutabilitate, dimensione, successione (ut habet Cap. 2.) Sic et omni desideranti lucere debeat id, quod maximè movet, scilicet finis ultimus, vel summum bonum, à quo, vel ab ejus imagine (quam si quis pro re teneat, ac æstimet, facit eam idolum, et peccat) movetur quotus quis desiderat.

68. Ex his collige ad mentem Seraphici Doctoris, quòd ratio lucens operanti, et ad operandum impellens, ac movens, sit aliquid DEI, vel DEUS : et quòd verus Magister nos docens, et ad omnem actum rationalem nos permovens, sit idem DEUS. Cùm enim omnes recensiti actus sint essentialiter penduli à regulâ quâdam æterna (sicut sensibiles quoque radii à Sole pendent, à quò verè exeunt, et in oculo recipiuntur ; et per illos visio actualis perficitur) sic non potest hæc regula aliud esse, quàm DEUS : cui enim conveniunt attributa DEI, est DEUS. Qui, ut ait Vir Seraphicus, *est ratio omnium rerum, regula infallibilis, lux veritatis : in quâ cuncta relucent infallibiliter, indelebiliter, indubitanter, irrefragabiliter, indijudicabiliter, incommutabiliter, incoarctabiliter, interminabiliter, indivisibiliter,*

intellectualiter : Et ideò leges illæ, per quas judicamus certitudinaliter de omnibus sensibilibus, in nostram considerationem venientibus, cùm sint infallibiles, et indubitabiles intellectui apprehendentis : sint indelebiles à memoriâ recolentis, tanquam semper præsentes : sint irrefragabiles, et indijudicabiles intellectui judicantis (quia, ut dicit Augustinus, nullus de eis judicat, sed per illas) necesse est, eas esse incommutabiles, et incorruptibiles, tanquam necessarias, incoarctabiles, et tanquam incircumscriptas, et interminabiles, tanquam æternas, ac per hoc indivisibiles, tanquam intellectuales, et incorporeas ; non factas, sed increatas, æternaliter existentes in arte æternâ, à quâ, per quam, et secundùm quam formantur speciosa omnia vel formosa : et ideò nec certitudinaliter judicari possunt, nisi per illam, quæ non tantùm fuit forma cuncta producens, verum etiam cuncta conservans, et distinguens ; tanquam ens in omnibus formam tenens, et regula diriens : et per quam dijudicat mens nostra cuncta, quæ per sensus intrant in ipsam. Ita Seraphicus Doctor, *qui movendo docet*, verissimè (at subtiliter) Cap. 2. Itinerarii mentis in DEUM, ad meum scopum, et in favorem Solis intelligentiæ, et incommutabilis Divinæ lucis.

§ VII.

Conclusio rationum per tres Observationes.

SUMMARIUM. — 69. Lux in tenebris lucens cur non comprehensa? — 70. Datur et lux mentis (quidquid tandem illa sit) et cur non ab omnibus percipiatur? — 71. Numerantur causæ, quæ impediunt. — 72. Ut peccata, et passionum affectus; — 73. Et turba phantasmatum : — 74. Mentis torpor et aspectûs negligentia. — 75. Moralitas. — 76. In quovis actu rationali DEUS sine discursu cognosi potest, sed non sine prævia cognitione creaturæ. — 77. Qualiter in actu rationis DEUS videatur? — 78. Cur difficulter videamus id, per quod omnia videmus? — 79. Verba D. Bonaventuræ

69. Tandem pro Conclusione totius Capitis, et omnium rationum quibus conatus sum, cuilibet advertere volenti, admonitione meâ demonstrare, quòd Sol intelligentiæ, seu lux mentium DEUS, omni rationaliter operanti fulgeat, et fulgendo intus doceat) annecto has observationes, bene ac maturè perpendendas : quas potissimum ex mente, et verbis D. D. Augustini et Bonaventuræ contuli et collegi.

Primò certissimum est, negari minimè potest id, quod ait Joannes : *Lux lucet in tenebris, et tenebræ eam non comprehenderunt.* Per verba priora asseritur, absque ullo dubio, quædam vera, realis, et commu-

nis lux, radians omni homini venienti in hunc mundum. Per verba posteriora verò indicatur, hâc communi, et obviâ luce non obstante, quosdam reperiri, qui illam, etsi rutilantem, minimè advertant, à tenebris videlicet impeditos. Qui sunt illi, et quæ sunt hujusmodi densiores tenebræ? A simili rem explicatam accipe. Lux nostri corporei, et omnibus expositi Solis totum percurrit Orbem, cuncta in eo suo splendore illuminat : *gyrat per Meridiem, et flectitur Ad Aquilonem, lustrans universa,* etc. Ut Divinus eloquitur Textus Eccles. 1. v. 6. Et tamen Sidus hoc tam expositum, Lux hæc tam ampla, omnibusque communis, minimè discernitur, nec advertitur ab eo, cujus sunt oculi vel clausi, aut læsi, vel aliter ab actu visionis impediti : vel quia hujus tam nobilis objecti pertæsus, dedignatur sua lumina in illud conjicere. Hæ nimirum causæ sunt, quod ipsa Lux mundi, naturaliter omnia perlustrans ad quorumdam intuitum non pertingat. Applicetur, et fiat proportionatus sermo.

70. Verum est, imò verissimum, nec ab ullo æstimo rationabiliter posse negari (spero hucusque sufficienter fuisse probatum) quod et incorporei mundi sua quædam Lux detur, omni menti incorporeæ æquè exposita, sicut illa prior corporeis sensibus, et quòd aliquod Solis intelligentiæ lumen indeficiens, ac inextinguibile, illuminans, ac docens omnem hominem venientem in hunc mundum, negari haud possit, quidquid tandem illud sit. Utrumque verum, et verissimum est : at simul etiam verum est in Orbe Viros ac mulieres non defuturos, qui isthanc tam communem, et obviam lucem, se minimè advertere, aut negabunt, aut simulabunt. Fateor ego primus, nubilum tenebrarum mearum : et ego unus talis fui longissimo tempore. Quia reperio et illuminatissimum Augustinum 9. integris annis inter has tenebras involutum fuisse, Lib. 7. Confess. Cap. 1. ubi sic ait : *Ego itaque incrassatus corde nec mihimet ipsi vel ipse conspicuus, quidquid non per aliquanta spatia tenderetur, vel diffunderetur, vel conglobaretur, vel tumeret, vel tale aliquid caperet, aut capere posset, nihil prorsus esse arbitrabar.* Dat causam suæ illusionis. *Per quales enim formas ire solent oculi mei, per tales imagines ibat et cor meum.* Hæc ille. Nec ego melior diu fui, ita ut si quisquam dixisset, dari res non diffusas, non extensas, et in specie dari incircumscriptam, quamdam incommutabilemque mentis lucem, à quâ nos illuminari, ac doceri mente experiri possemus, hunc ego insanire credidissem. Quid hujus rei causa, quæ ratio harum tenebrarum mearum; unde cæcitas isthæc mea originem sumpsit? Ne judicer à Domino, memettipsum arguam, et judicabo.

71. Reperio plures hujus meæ tam deplorandæ miseriæ causas intercurrisse, quæ mentis aciem deturparunt, et à consortio lucis æternæ separarunt. Reperio peccata mea (quæ multiplicata super arenam maris, et *sicut onus grave gravata sunt super me*) reperio infinitas animi inordinati passiones [quibus, sicut necdum ex integro vacuus existo, ita me nimium commutabili luci immersum tenentes, à liberiori extensione in lucem infinitam retardant] reperio turbam phantasmatum [quibus et nolentes prægravamur] reperio mentis torporem, et negligentiam (ob quam formicam adire jubemur, ut diligentiam, et assiduitatem ab eâ addiscamus.) Hæc nimirum fiunt quæ coinquinant hominem, et speculum mentis, rationisque meæ oculum plurimùm inficiunt, obfuscant, impediunt, ac ineptum reddunt.

72. An non peccata mentem excæcant, et hanc limpidam DEI imaginem turbidam faciunt, et in cacodæmonis vertunt figuram? Ut bene dixerit ille: *Omnis ignorans malus*. Et Isaias 59. v. 2. *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos, et DEUM vestrum*. Et Sap. 1. v. 3. dicitur: *Perversæ enim cogitationes separant à DEO*. An non passionum affectus, si inordinati sunt, judicium pervertunt? Invoco testem Scripturam 1. Reg. 8. v. 3. *Declinaverunt post avaritiam, acceperuntque munera, et perverterunt judicium*. Invoco ubique obviam mentis, et conditionis humanæ satis exploratam consuetudinem: an non sicut è vitris diversorum colorum, et diversa apparent objecta; sic etiam, diversis in animo dominantibus affectionibus, in variam judiciorum efformationem ut plurimùm inclinamur? (ob connaturalem potentiarum sympathiam ad simul operandum: et propter originalis peccati infectionem, inquiunt Theologi) Et sic: *Quisquis amat ranam, ranam putat esse Dianam*: sed errat. Hinc et Germanis tritum est illud: Einem jeden nach seinem selbst eignen Elen-Stab abmessen: Es sucht keiner den andern hinter dem Ofen, er sey dann selbst darhinter gewesen. An non idem proximus amicitiæ vinculo alteri addictus longè favorabiliorem habebit censorem: sed eversâ tantùm amicitiâ rigidum experietur Catonem? Et: *Donec eris felix multos numerabis amicos, tempora cùm fuerint nubila nullus erit.*

73. Et phantasmatum turba huic inadvertentiæ tam obviæ lucis, causam præbet: Mille, et mille Viri, ac mulieres, perambulant Urbes, et Orbes; campos, et prata; nemora, et sylvas: inibi infinita propemodùm offendunt objecta: vident illa, inspiciunt, attendunt, et tamen vix pauci illorum advertunt, hæc omnia, quæ vident, visibilia fieri per lucem, quâ et ipsi circumcirca, et ex integro cinguntur, et

illuminantur : ac in eâdem quasi *vivunt, et moventur, et sunt* : sic illius obliviscuntur, quod præ cæteris omnibus maximè obvium ac visibile est. Quæ sit, obsecro, tam crassæ oblivionis origo, et principium? Phantasmatum confusa turba, hæc nimirum causa ex præcipuis una est : dum enim curiosiùs quæque, mediante luce, intuentur ; innumeras quoque rerum imagines (quas aut chariùs diligunt, aut odio firmiori execrantur ; aut appetunt efficaciùs, aut certiùs effugere volunt) imprimunt memoriæ tenacissimè ; quibus totaliter, et ex integro immersi, communis lucis, quæ assiduitate viluerat, obliviscuntur : Nam *pluribus intentus minor est ad singula sensus*. Et : *Anima veriùs est ubi amat, quam ubi animat*. Et : *Ubi thesaurus tuus, ibi et cor tum*. Transfer argumentum ab inadvertentiâ lucis sensibilis ad inadvertentiam Solis intelligentiæ.

74. Tandem et mentis torporem, et aspectûs negligentiam incuso. Quis enim (stando in priori lucis solaris analogiâ) idem Solis lumen, omnibus expositum, intueatur, qui dedignatur aut fenestram aperire, aut oculos sursum tollere? Non sufficit, inquit D. Augustinus Libr. 1. Soliloq. c. 6. ad actualem visionem, seu intuitum, ut oculus aspicientis à peccatis, et passionibus sanus sit, at etiam requiritur ut aspiciat, et oculum ad rem visibilem studiosè convertat. Multi cum Augustino necdum converso (Lib. Conf. 7. Cap. 1.) nequeunt rei spiritualis conceptum formare, nequeunt aliam lucem, nisi tempore ac loco diffusam intueri : et inde nec mentis internum radium, aut intelligentiæ Solem advertunt : quia nimirum cum eodem Augustino aut interioris oculi aciem læsam gerunt, (ut dictum est) aut obnescio quale laboris abstrahentis fastidium, et purioris contemplationis neglectum, renuunt nec dignantur sursum aspicere, aut actus suos rationales, et modum, quo mens sua operatur, cum debitâ reflexione discutere ac observare. Si enim hoc cum sapientiore Augustino peragerent, certum credo, et existentiam rei spiritualis intelligerent, et æternam veritatem quæ se omnia intus docet, id est Solem intelligentiæ, viderent. Sic enim loquitur Vir sanctus Cap. 10. Lib. 7. Conf. *Et inde admonitus redire ad memetipsum — intravi, et vidi qualicumque oculo animæ meæ supra eumdem oculum animæ meæ supra mentem meam, lucem Domini incommutabilem : non hanc vulgarem et conspicuam omni carni*, etc. En paucis plurima dixi et mihi et tibi quisquis ista perlegeris!

75. Deponamus ergò veterem hominem cum actibus suis quantum valemus; rejiciamus mentis torporem in contemplandâ nudâ veritate : fixiùs hunc Divinum intelligentiæ Solem, occasum nescientem,

intueamur; observemus in actibus mentis nostræ ejusdem Solis inextinguibile, ac indeficiens lumen, radium videlicet æternæ, ac incommutabilis veritatis : quæ omnes intus docet sine strepitu verborum ; quæ est illud æternum principium, quod et loquitur nobis; Christus nimirum, DEUS ipse ter optimus maximus; qui est Via, Veritas, et Vita; vera, et essentialis Lux mentium, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Ut sic enim continget, quòd non solùm eumdem nobis radiantem advertemus, sed pariter in ejusdem æternâ luce veluti in nitidissimo speculo, cæteras veritates (naturaliter scibiles) depictas, ac resplendentes reperiemus, ac intueri valebimus; et sic Divinâ luce mediante faciliùs addiscemus. DEUS quippe omnia in se continet, formaliter quidem sua attributa, et personas : eminenter verò creaturas (imò etiam privationes, et negationes; non quidem per se, sed ratione suorum oppositorum) ergo si fixè inspiciatur poterit esse sufficiens principium omnia cognoscendi. Inspicies autem DEUM (et ejus Divinam lucem, te omnia docentem) in quovis rationali actu mentis tuæ, quem si bene intuitus fueris, statim advertes eumdem immediatè pendulum esse à re æternâ, id est DEO, et ejusdem æternâ luce; tanquam à præsupositâ suâ formali, et essentiali ratione objectivâ, et motivâ : sed implicat videre aliquid ab alio dependere, et non simul aliquo tandem modo videre illud alterum : sicut videre Petrum esse alligatum Paulo, nisi et Paulus videatur, impossibile est.

76. Secundò advertas velim, quòd sentiam quidem, ipsum DEUM (ejusque æternam lucem, nos omnia docentem) in quovis actu rationali creato naturaliter, ac immediatè, et sine vero discursu, seu absque interveniente illatione unius ex altero, posse à nobis reperiri, sciri, adverti, ac intelligi (scilicet quoad an est, non quoad plenum quid est) si videlicet idem actus rationalis fixiùs, et fixiùs inspiciatur : Nam hæc fixior, ac sæpiùs repetita intuitio non est discursus : sicut nec ille discurrit, qui eamdem imaginem sæpiùs, et fixiùs intuetur ; licèt in secundo fixiori intuitu quædam in eâ imagine observet, ac videat, quæ in priori remissiori intuitu nec observabat, nec videbat. Ad discursum enim efformandum non sufficit actuum multiplicatio, sed requiritur mutua actuum dependentia, quòd unus actus fiat, et sequatur vi alterius. Minimè tamen intendo asserere, quod ipsum DEUM, ejusque Divinam existentiam immediatè cernere, ac invenire possimus absque ullâ prævià cognitione creaturæ : sed tantùm absque prævià cognitione creaturæ ut causæ hujus immediatæ cognitionis Divinæ : Non enim sequitur : iste actus præsupponitur alteri, ergò

est ejus causa : nam multa multis aliquo modo præsupponunt[illegible]r, quæ se invicem non causant. Potest enim aliquid ab altero præsu[illegible]p-ponI non ut causâ, sed tantùm ut conditio sine quâ non.

77. Et sic lubens concedo, quod pro statu isto non possimus DE[illegible]M cognoscere, (etiam solùm quoad quæsitum *an est*) nisi intervenie[illegible]te cognitione creaturæ. Hinc Rom. 1. v. 20. dicitur : *Invisibilia en[illegible]im ipsius à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspici[illegible]n-tur : sempiterna quoque ejus virtus, et Divinitas, ita ut sint inexcu[illegible]a-biles.* Concordant SS. PP. qui sic præfatum S. Pauli Textum interp[illegible]e-tantur, quod videlicet per cognitionem creaturarum in DEI notiti[illegible]m deveniamus. Et S. Augustinus rem suo exemplo confirmat, dum in Libris Confessionum enarrat, quo tandem ordine DEUM reperer[illegible]it. Videlicet procedendo à rebus corporeis ad animam sentientem : et inde ad imaginativam (quòusque et bestiæ ascendere possunt) et [illegible]ab hâc ad potentiam ratiocinantem : in cujus actu (non quidem discu[illegible]r-rendo , sed fixiùs eumdem intuendo) hanc communem menti[illegible]m lucem, quæ DEUS est, invenit : quâ luce se aspergi advertebat, qu[illegible]o-ties de rebus commutabilibus aliquid rationabiliter judicaret : v. g. Quòd res immutabilis præponenda sit rei mutabili. Certè hoc jud[illegible]i-cium nemo intelligendo exprimere poterit, nisi per radium lu[illegible]is æternæ, et incommutabilis : Quis enim rem unam (v. g. immutal[illegible]bi-lem) alteri (id est rei mutabili) mente præponat, nisi illa menti s[illegible]æ aliquo modo visibilis radiet, ac luceat ?

78. Tertiò denique observandam, aut potius deplorandam objic[illegible]io miserandam cæcitatem, non solùm mundi, vel amatorum mund[illegible]i ; aut Ethnicorum : sed et intellectûs nostri, qui fideles, et à DEO mag[illegible]is illuminati videri cupimus : Quod videlicet aut nullatenus, aut n[illegible]on nisi difficulter illud entis per reflexionem advertamus, quod tame[illegible]n, velut clarissimus Sol, et unica mentis Lux, omnibus obvium lucet[illegible]t : et quod aliquid rationaliter intellecturi semper ratione videre, a[illegible]ac intelligere debemus : et quod ratio est cætera omnia videndi ; et si[illegible]ne quo videre, seu intelligere nihil possumus. Unde tam enormis, a[illegible]ac plurimùm nociva mentis cæcitas ? Seraphicus Doctor hujus origine[illegible]m nobis detegit in suo mentis Itinerario C. 5. Et ait, conformiter a[illegible]d superiùs dicta, sic nobis contingere, sicut oculo carnis in varias col[illegible]o-rum differentias immerso, et iisdem ex integro adhærenti, qui idcirc[illegible]ò pulcherrimam Solis lucem (quâ tamen omnes præfati colores et visi[illegible]i-biles fiunt ; et quam priùs, quisquis colores cernere desiderat, i[illegible]n-tueri necessariò debet) minimè per reflexam cognitionem advertit [illegible]: eò quod suâ cogitatione unicè recordetur, et distrahatur ad eosde[illegible]m

colores, et alias res mediante luce visas (ut sunt personæ, palatia, turres, campi, horti, flores, comœdiæ, etc.) ut vacuum illi ampliùs non sit, pulcherrimam cœli lucem, mente sic aliis occupatâ, contemplari. Sic omnino contingit amatoribus hujus mundi, quotquot tales sumus. Ubi enim thesaurus tuus est, ibi et cor, et cogitatio tua.

79. Sed dulciùs occinant formalia D. Bonaventuræ. Postquam enim demonstrâsset contemplationem ipsius *esse* clarè manuducere in esse Divinum, sic statim subjungit : *Mira igitur est cæcitas intellectûs, qui non considerat illud, quod prius videt, et sine quo nihil potest cognoscere : sed sicuti oculus intentus in varias colorum differentias, lucem, per quam videt cætera, non videt; et si videt, non tamen advertit : sic oculus mentis nostræ intentus in ista entia particularia, et universalia, ipsum esse extra omne genus, licèt primò occurrat menti, et per ipsum alia, tamen non advertit. Unde verissimè apparet, quòd sicut oculus vespertilionis se habet ad lucem : ita se habet oculus mentis nostræ ad manifestissima naturæ.* Ita Vir Seraphicus miseriis nostris condolens seraphicè.

CAPUT VIII.

DIVERSA COROLLARIA, EX SOLIS INTELLIGENTIÆ, SEU DEI UT ENTIS SUMMI INTERNO MAGISTERIO ELICIUNTUR.

SUMMARIUM. — 1. Arcanum lucis incommutabilis multas parturit consequentias.

1. Secretum arcanum hoc incommutabilis Lucis Divinæ crediderim non parum luminis afferret rebus et Philosophicis ac Theologicis, si quis illud uberiùs, ac feliciùs, et ad hominum captum evolveret diligentiùs. Puto enim esse principium multorum fœtuum, et consequentiarum fœcundissimum. Hæc mihi videntur Corollaria per legitimam consequentiam inde concludi posse : salvo tamen meliori judicio.

SECTIO I.

Quatuor prima Corollaria ex Sole intelligentiæ collecta.

§ I.

COROLLARIUM I.

DEUS est homini, et cuilibet menti creatæ per se notus, notitiâ directâ, non reflexâ, etiam ante omnem Discursum.

SUMMARIUM. — 2. Sequitur enim primò DEUM esse homini per se notum, notitiâ directâ non reflexâ. — 3. Quâ limitatione conciliantur Doctores affirmantes et negantes, DEUM esse per se homini notum. — 4. Mens D. Thomæ expenditur. — 5. Probatur Corollarium primò à necessite et æternitate principiorum. — 6. Probatur Corollarium secundò à causâ formali ratiocinandi. — 7. Solvitur objectio prima. — 8. Solvitur objectio secunda. — 9. Objectionis solutio confirmatur per verba D. Augustini. — 10. Quid impediat jucunditatem Divinæ contemplationis.

2. Existimo igitur, quòd ex probato internæ, incircumscriptæ, ac omnibus interiùs radiantis lucis Divinæ Mysterio, legitimè consequatur, DEUM ter Optimum maximum esse omni homini ratione utenti per se ac immediatè ante omnem illationem, demonstrationem, vel argumentum aliquo modo notum : non quidem notitia reflexâ, sed directâ tantùm. Explico me. Non aio, quòd omnis homo ratione utens sine argumento sic noverit DEUM, ut actualiter hanc suam DEI notitiam reflexè advertat : aut, quòd DEUS quoad suam propriam integram naturam et essentiam sit homini immediatè ac per se absque prævio discursu notus. Sed dico, quod supposita veritate præcedentium, quâ probatum fuit, lumen indeficiens ac inextinguibile, quod menti objectum eam omnia docet, ac rationabiliter operari facit, esse ipsum DEUM : necessariò ante omnem actum rationis ipse DEUS velut æternum, immutabile et incircumscriptum motivum eidem menti naturaliter lucere debeat, ac notus esse : ita tamen, quòd plurimi, imò major hominum pars hanc immediatam radiationem et DEI notitiam reflexè non advertant : nec proinde se reflectendo videant sibi taliter immediatè DEUM esse notum.

3. Quâ distinctione puto Doctorem Angelicum et communem eidem in hoc consentientem (quod videlicet DEUS sit equidem notus quoad se, non tamen quoad nos) posse conciliari cum illis Auctoribus, qui affirmant DEUM esse homini notum etiam quoad nos immediatè. Pro quâ sententiâ varios reperio citari. Tannerus Som. 1. d. 2

dub. 2. hos citat, vel ab aliis citatos refert. S. Damascenum 1. fid. Orthod. Cap 1. D. Anselmum in Prosolog. Cap. 2 D. Bo- ıt. 1. d. 8. a. 1. q. 2. Alensem 1. p. q. 3. m. 2. et 3. Altisiodo- m Lib. 1. Sum. Cap. 1. Aureolum 1. d. 2. part. 2. q. 1. a. 6. 'tum in Sum. Tract. 3. q. 57. Ægidium 1. d. 3. q. 2. Argen- ı d. 3. q. 1. a. 3. Abulensem in Cap. 5. Exodi q. 2. Lyranum Et ex recentioribus Michaëlem de Palatio sic expressè dicentem Prolog. *Ideo rectiùs senserunt, qui DEUM esse non solum per se unt notum, quin et quoad nos. Est quippe nobis hoc inditum a à, Divinitatis scilicet cognitio.* Ubi citat et Damascenum et Cice- ı Lib. 1. de naturâ Deorum, et Platonem de Legibus Lib. 10. *olunt,* inquit, *Divinitatis notionem in nobis esse, ante omnem em et prolepsin, ut verbo Ciceronis utar ex Democr.ti sententia.* bi.

Quin et S. Thomas Opusc 72. Concord. 11. sic concedit : *Sa- bus de DEO esse per se notum : non autem simpliciter ex ipsâ ione nominis, ideo ipse nomen suum omnibus manifestavit, ut um est.* Et 1. p. q. 2. a. 1. D. Damasceni verba hæc : (Omnibus io existendi DEUM naturaliter est inserta) sic exponit : *Ad pri- ergo dicendum, quòd cognoscere DEUM esse in aliquo communi, uadam confusione est nobis naturaliter insertum, inquantùm t, DEUS est hominis beatitudo. Homo enim naturaliter desiderat ıdinem, et quod naturaliter desideratur ab homine, naturaliter citur ab eodem.* Hæc ille, qui tamen addit, *hoc non esse simpli- ognoscere DEUM esse, sicut cognoscere venientem non est cog- e Petrum, quamvis sit Petrus veniens.* Quæ verba non videntur dare à meo sensu, dum aio, omni ratione utenti DEUM esse ı directè, sed non reflexè, sive vident DEUM à longè, sed non noverunt id esse DEVM, et proinde intelligentes DEUM ıtelligunt se intelligere. Quod qualiter fieri possit, vide suprà . Num. 73. His suppositis accedo ad demonstrationem Corol-

'robatur ergò primò. Ante omnem demonstrationem requirun- præsupponuntur esse cognita necessaria et æterna principia secundùm Aristotelem, omnis doctrina ac disciplina, scientia nonstratio fit ex præexistente cognitione) ergò ante omnem ıstrationem supponitur homini notum esse ens necessarium, æternum : ergò et ipse DEUS, qui solus est ens necessarium rnum. Vel sic : menti creatæ rationabiliter operanti est imme- nota æternitas, ergo et divinitas, quæ est realiter idem cum

æternitate. Nec valet, si dicatur illa principia esse tantùm necessaria et æterna secundùm dici, non secundùm esse : quia non datur verum necessarium et verum æternum secundùm dici, nisi innitatur vero necessario, et vero æterno secundùm esse.

6. Probatur 2. Quod est universalis lux mentium ; ratio, et regula omnia intelligendi, probandi, dicendi, judicandi, inferendi ; imò et volendi, seu quomodolibet rationabiliter agendi, et vivendi, debet esse notum ante omnem probationem, dictionem, judicium, illationem [nam *propter quod unumquodque tale, et illud magis tale*] sed DEUS est hæc universalis lux mentium, ratio, et regula. Ergò, etc. Probatur minor ex decursu totius Libelli, DEUS enim est universalis veritas, universalis bonitas *illuminans* et accendens *omnem hominem venientem in hunc mundum,* omnem hominis mentalem, et rationalem actum per modum rationis formalis antecedens. Confirmatur, si fixiùs tuum actum intelligendi, et amandi intuitus fueris, statim, absque consequentia, advertes hanc tuam cognitionem, et amorem, ab aliquâ veritate æternâ, et æternâ bonitate, tanquam à ratione cognoscendi, et amandi, pendere, quæ ratio te actu ad intelligendum, et amandum movere non posset, nisi directè fuerit à te priùs cognita : quæ ratio DEUS est (quia nihil est æternum nisi DEUS) qui nobis existit Sol intelligentiæ, et Lux mentium. Et eò puto respicere Elihu, dum Job 36. v. 25. ait : *Omnes homines vident eum :* DEUM scilicet. Quem locum S. Gregorius Lib. 27. moralium Cap. 3. sic exponit : *Omnis homo eò ipso, quod rationalis est conditus, debet ex ratione colligere eum, qui se condidit DEUM.* Hæc ille Et S. Augustinus in Psalmum 74. post medium, sic ait : *DEUS ubique secretus est, ubique publicus ; quem nulli licet, ut est cognoscere ; et quem nemo permittitur ignorare.* Hæc ille.

7. Dices, si ex inspectâ ratione colligitur esse DEUM, ergo colligitur per discursum, ergo non immediatè. Respondeo, discursum et consequentiam nunquam fieri, nisi adsint plures intellectiones, quarum una vi alterius inferatur : ubi verò sunt tantùm plures actus ejusdem rei, qui eamdem rem fixiùs, et fixiùs intuentur, nulla invenitur consequentia. E. gr. Aliquis intuetur rem à longè, et in illà multa non videt. Deinde illam viciniùs, aut fixiùs intuetur, et incipit quædam videre, quæ priùs non viderat. Talis nullam facit consequentiam, quia secunda visio non fluit ex priori. A simili : tuam intellectionem obiter intueris (idem dic de amore tuo) nec advertis illam ab aliquâ re æterna pendere ; postea hanc eamdem intellectionem (seu amorem) fixiùs intueris, ac mente firmiùs inspicis, et

a lvertis eamdem pendere ab aliquâ ratione æternâ, quæ facit te intelligere, et amare, seu quæ te movet ad intelligendum, et amandum. Hîc tibi innotescit Deus per solum fixiorem intuitum absque consequentiâ. Porrò licèt DEUS veluti Sol intelligentiæ, et communis Lux mentium, naturæ viribus possit immediatè à nobis intelligi, tamen etiam certum est, quòd absque gratiæ supernaturalis subsidio (quo animus intelligentis à peccatorum sordibus detergatur, et abstergatur) talis DEI cognitio nunquam perfectè animum cognoscentis, suâ vitali, et divinâ jucunditate mulcebit, quâ talis immediata DEI cognitio mirum in modum mulcere solet animum bene affectum. Et hinc dicitur : *Beati mundo corde, quoniam ipsi DEUM videbunt* : visu nimirum animum ad bonum exhilarante.

8. Dices 2. Ut quis immediatè, et non per discursum intueatur DEUM, requiritur, ut ab omni phantasmate abstrahat, sed hoc naturæ viribus fieri non potest. Nam secundùm Aristotelem, *intelligentem necesse est speculari phantasmata*. Respondetur, ad talem immediatum intuitum non requiri, ut secundùm sensum fiat phantasmatum omnimoda abstractio, quasi nec concomitanter phantasiæ cooperanti, et intellectui à phantasia moto, objici non debeant : sed requiritur, ac sufficit ea abstractio, quâ eadem phantasmata, licèt sensibiliter menti occurrant, tamen simul appareant ut distinctum quid à DEO Sole intelligentiæ, ac Luce mentium, et sic ut distincta rejiciantur. Et hoc etiam naturaliter fieri potest, nam anima ab immediato radio Solis intelligentiæ percussa (vel, ut loquitur Augustinus, aspersa) perfectissimè, et evidentissimè (etiam absque discursu) distinguit ipsam lucem mentium à circumvolitante phantasmate, à quo phantasmate aspectus suus in DEUM Solem, ac Lucem mentium non obscuratur. Explico rem : S. Augustinus v. g. Lib. 7 Confess. Cap. 1. perfectissimè agnoscebat, et capiebat, DEUM esse infinitum (en ! immediatus aspectus in lucem mentium) nec tamen per locos finitos, infinitosque diffundi. En correctio circumvolitantium phantasmatum, id est locabilitatis, extensionis, etc. quæ se menti Augustinianæ cùm DEUM intelligeret esse infinitum, incorruptibilem, inviolabilem, et incommutabilem, licèt non vocata se ingerebant, et objiciebant, quæ tamen velut distinctas muscas abigebat : Unde nec intuitum infinitatis ac immutabilitatis Divinæ obscurabant aut inficiebant, secundùm æstimationem videlicet, licèt non secundùm sensum.

9. Sed audiamus propria S. verba : *Et conabar cogitare Te* [DEUM] *homo et talis homo, summum et solum, et verum DEUM : et te incorruptibilem, et inviolabilem, et incommutabilem totis medullis credebam,*

Quia nesciens unde et quomodo : planè tamen videbam, et certus era[illegible]m, id quod corrumpi potest deterius esse quàm id quod non potest :[illegible] et quod violari non potest incunctanter præponebam violabili : et q[illegible]od nullam patitur mutationem, melius esse quàm id, quod mutari pot[illegible]st, clamabat violenter cor meum adversùs omnia phantasmata Et hoc [illegible]no ictu conabar abigere circumvolitantem turbam immunditiæ ab a[illegible]cie mentis meæ : et vix dimota in actu oculi, ecce conglobata rursus ac[illegible]le-rat, et irruebat in aspectum meum, et obnubilabat eum (secund[illegible]m internum sensum videlicet, non juxta radium æstimationis ac judi[illegible]ii) *ut quamvis non forma humani corporis corporeum tamen aliq[illegible]id cogitare cogerer per spatia locorum, sive infusum mundo, sive eti[illegible]am extra mundum per infinita diffusum,* etc. Sed S. Vir has mus[illegible]cas abigebat. Unde Cap. 10. addit : *Numquid nihil est veritas, quoni[illegible]am neque per finita, neque per infinita locorum spatia diffusa est? et clamâsti de longinquo, imò vero : Ego sum, qui sum,* etc. Hæc ille.

10. Porrò ad mores nostros ex eodem D. Augustino, et aliis SS. [illegible]Pa-tribus, ubique hoc habentibus ac supponentibus, adverto, jucun[illegible]di-tatem Divinæ contemplationis ac Divinæ lucis aspectûs plùs impe[illegible]liri per peccata, seu affectus curvos, quàm per involuntaria phant[illegible]as-mata : Et præ cæteris typhum superbiæ tenebras offundere, et hor[illegible]ni-nem ad hunc Divinæ contemplationis radium incapacem redde[illegible]re. Lege Augustinum, passim confitentem damna tumoris ac typ[illegible]hi. Idcircò Christus dicebat : *Confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæ[illegible]c à sapientibus, et prudentibus ; et revelasti ea parvulis.* Intelligebat, [illegible] su-perbis abscondi mysteria lucis Evangelicæ.

§ II.

COROLLARIUM II.

DEUS est immediatè etiam à viatoribus intelligibilis, non purè abstr[illegible]ac-tivè, et ut ex alio, sed etiam aliquo modo intuitivè ut in alio, [illegible]non autem ut in se.

SUMMARIUM. — 11. Cognitio intuitiva, et abstractiva, quid sit ? — Qualiter Sc[illegible]otu utramque explicet ? et qualiter DEUS in anima, et ejus actu aliquo modo cernat[illegible]tur — 13. An anima se et actum suum videat et intelligat.

11. Ut Corollarii hujus sensum capias, volo ut memineris, cog[illegible]ni tionem aliam dici intuitivam [quâ res in se immediatè absque alteri[illegible]iù rei speculo præsens cernitur. Vel juxta Alios, quâ simul attingit [illegible]tu

existentia et præsentia rei, in se, non verò aliunde comprobata] aliam abstractivam (quâ res non ut in se præsens, sed interveniente alterius rei speculo videtur). Porrò dupliciter potest aliqua res beneficio alieni speculi dignosci Primò purè ut ex speculo, discurrendo nimirum à speculo, tanquam illativo principio, ad illud, quod ex speculo cognoscitur (ut si ex effectu intelligam dari causam, quam aliunde nisi ex effectu non videam : ex fumo, quem video per caminum ascendere, colligam latere ignem in domo, etc.) Secundò, ut in speculo, quatenus res illa non solùm ex speculo per discursum elucet, sed etiam quatenus in ipso speculo aliquo modo ut inclusa existit, et in eo lucet ; v. g. cùm in speculo ante me posito cerno ea, quæ mihi a dorso sunt (interim scio Auctores dicere, quod et hic immediatè ipsæ res in seipsis videantur, licèt in alio loco sitæ). Exemplum magis proportionatum ad meam mentem est, cùm duo sunt essentialiter ad invicem (per relationem mutuam, vel non mutuam) connexa [ut v. g. esset, si concedatur creaturam dicere relationem transcendentalem ac essentialem ad DEUM] tunc si videtur unum, etiam alterum cui illud connectitur, dicimur aliquo modo videre, id est non in se, sed ut terminum rei visæ. A simili, cùm DEUM posuerim esse rationem objectivam essentialem omnis actûs rationalis, sic non potest aspici actus rationalis, quin imperfectè aspiciamus ejus terminum, sive DEUM, à quo essentialiter pendulus est. Hæc posterior abstractiva cognitio posset etiam appellari notitia intuitiva imperfecta.

12. Sequor autem in hâc nominis quæstione subtilem Scotum (quem et sequitur noster Utinensis Tractatu 2. de DEO uno et Trino q. 6. a. 4.) nam et ipse duplicem ponit scientiam intuitivam, aliam perfectam (quâ res in seipsâ actu videtur) aliam imperfectam (per quam res non in seipsâ, sed in aliquo sui repræsentativo cognoscitur). Et inde fit cùm mens creata sit essentialiter imago DEI, juxta superius dicta, et seipsam tanquam sibi præsentem intuitivè videat, (sic tenent non contemnendi Theologi. Cur enim animus se non videat, cùm nihil illi seipso præsentiùs sit?) sic quoque DEUM, in se aliquo modo velut exemplar et rationem operandi inclusum, imperfecto aliquo intuitu cognoscet : id est tanquam in speculo.

13. Verba D. Bonaventuræ 2. d. 39. a. 1. q. 2. sunt ista : *Dicendum est, quod non* [id est, non omnem cognitionem esse à sensu]. *Necessariò enim oportet ponere quòd anima novit DEUM, et seipsam, et quæ sunt in seipsâ, sine adminiculo sensuum exteriorum.* Et Cap. 3. Itin. sic ait : *Conari debemus per speculum videre DEUM.* Et inferiùs.

Considera igitur harum 3. *potentiarum operationes et habitudines,* et *videre poteris DEUM per te tanquam per imaginem, quod est vide*re *per speculum, et in ænigmate.* Et iterùm. *Ipsa anima est imago DEI,* et tc. Imò et ipse D. Angelicus, quamvis 1. p. q. 87. a. 1. neget animam intellectivam seipsam cognoscere per suam essentiam, tamen art. 3 et 4. consentit D. Augustino 10. de Trinitate, quòd actus intellectûs et voluntatis intelligat anima et cognoscat. Ut enim loquitur citatus Augustinus : *Intelligo me intelligere, intelligo me velle.* Et a. 1. ad 1 sic verba D. Augustini 9. de Trinitate *(Mens seipsam novit per seipsam, quoniam est incorporea)* exponit : *Ad primum ergo dicendum quòd mens seipsam per se novit, quia tandem in sui ipsius cognitione pervenit, licèt per suum actum. Ipsa enim est, quæ cognoscitur, qui seipsam amat, ut ibidem subditur.* Ergò etiam secundùm D. Thomam mens nostra, si non seipsam, saltem actum suum immediatè cernit ac intuetur, omnis autem actus rationalis juxta probata essentialiter includit DEUM ut rationem operandi, ergo mens nostra dum intelligit ac intuetur se, vel actum suum, etiam simul modo aliquo imperfecto DEUM ipsum immediatè intuebitur. Et inde fit, quòd *videamus nunc* DEUM *per speculum in ænigmate* (id est intuitione, seu cognitione intuitiva imperfecta) *tunc autem facie ad faciem* (id est intuitione perfecta). Et sicut *nunc* cognoscimus *ex parte, tunc autem* cognoscemus, *sicut et* cogniti sumus. Ita habet D. Paulus. 1. Cor 13. v. 13.

§ III.

COROLLARIUM III.

DEUS inter omnia intelligibilia et amabilia est primum cognitum, et primum amatum : sive id quòd primò cognoscitur et primò amatur.

SUMMARIUM. — 14. Probatur Corollarium per axioma. — 15. Confirmatur ex jam dictis. — 16. De primo cognito infra DEUM.

14. Ex probatâ Solis intelligentiæ incircumscriptâ luce, singulos ad rationaliter operandum permovente, sequitur ordine naturali modi intelligendi et amandi, DEUM inter omnia, quæ cognoscuntur et amantur esse primum cognitum, et primum amatum : sive id quòd primò omnium cognoscitur, et primò amatur. Corollarii veritas

ındatur super illud principium : *Propter quod unumquodque tale, et llud magis tale*. Ergo, quia DEUS, ex probatis, est ratio omnia cog- oscendi et amandi, propter quam, omnia cognoscuntur et amantur, c ipse DEUS ante omnia erit magis et priùs cognitus et amatus : on ut in se est, nec amore supernaturali amicitiæ, sed ut ratio mnia naturaliter cognoscendi et amandi. Et hinc illud D. Augustini fatum Lib. 1 Solil. Cap. 1. *DEUS, quem amat omne, quod potest mare, sive sciens, sive nesciens.*

15. Confirmatur : Ostensum fuit, quòd nemo possit aut definitè iquid apprehendere, vel certò ac securè aliquid judicare, vel evi- enter aliquid inferre, vel etiam rationabiliter aliquid amare, deside- ıre, nisi in virtute primi veri, et primi boni ; sive rationis æternæ, incircumscriptæ lucis, lucentis ac radiantis supra locum et supra mpus, quæ eò ipso quòd sit ratio cognoscendi et amandi, ipsa priùs aturâ erit cognita et amata, sicut quævis causa est prior naturâ suo fectu. Adde à simili, nihil potest videri absque luce sensibili priùs erceptâ : ergò nec quidquam intelligi sine percepto DEO, luce ıentis.

16. Quòd verò aut quale sit primum cognitum post hanc æternam erandi rationem, si nimirum sermo sit de intrinsecis gradibus etaphysicis alicujus entis, Varii variè respondent : Alii enim aiunt rimum cognitum cognitione distinctâ esse gradum universalissi- ıum, cognitione confusâ verò singulare signatum, id est involutum ım omnibus suis accidentibus : hoc enim volunt priùs confusè ıenti occurrere. Sed Alii negant, dicentes rationem entis primò oncipi (sic Thomistæ). Scotus dicit esse speciem specialissimam, uæ prior menti confusè objiciatur. Ego nolo esse judex, sufficit ıihi dixisse, quòd ipse DEUS sit primum cognitum et primum matum.

§ IV.

COROLLARIUM IV.

DEUS est cuilibet menti rationaliter operanti experimentaliter conjunctus.

SUMMARIUM. — 17. Quid sit experimentalis notitia magis vel minus stricta. — 18. Probatur veritas Corollarii.

17. Ut sensum Corollarii capias, scire debes experimentalem noti- ıa strictè acceptam esse illam, quæ fit ad sensum, sive quæ per

sensus comprobatur. Et hinc dicebat Beatus Laurentius D. Xisto: *Experire utrum idoneum ministrum elegeris.* , id est proba ex facto et vide etc. Et hoc sensu D. Seraphicus 3 d. 14. a. 3. q. 2. ait: *Habuit* [Christus] *cognitionem simplicis notitiæ in intellectu, et cognitionem experientiæ in sensu.* Latiùs sumitur prout ad solum intellectum refertur, ut videlicet non obscurum actum intellectualem fidei, sed evidentem rei notitiam designat. Quo sensu mentalis experientia opponitur fidei et opinioni. Et eò perfectior fit talis experientia, cùm per actum reflexum advertit mens se non credere aut opinari, sed intelligere. Ratio est, quia et mens habet suos sensus, spirituales videlicet, ut tenet Augustinus Lib 1. Retract. Cap. 4. Et Lib. 2. de libero arbitrio Cap. 7 et sæpiùs.

18. Probatur veritas Corollarii. Quia, ex dictis, DEUS est ratio mentaliter et rationaliter operandi, ergò per mentem videre et experiri possumus hanc rationem esse menti conjunctam, sicut et ratio videndi colores, id est lumen sensibile, debet cum oculo corporali sensibiliter experimentaliter conjungi. Ergò cùm rationaliter operamur, velimus nolimus, necessarium est nos mentis oculos sursum aliquo modo ad DEUM tollere, aut erimus bestiæ absque intuitu ad rationem operantes. Huc respiciunt Verba D. Angelici q. unica de animâ a. 5. ad 9. *Ad 9. dicendum, quòd intellectus agens non sufficit per se ad reducendum intellectum possibilem perfectè in actum : cùm non sint in eo determinatæ rationes rerum, ut dictum est. Et ideo requiritur ad ultimam perfectionem intellectûs possibilis, quod uniatur aliqualiter illi agenti, in quo sunt rationes omnium rerum, scilicet DEO.* Hæc D. Angelicus.

SECTIO II.

ALIA QUATUOR COROLLARIA EX SOLE INTELLIGENTIÆ CONSEQUENTIA.

§ I.

COROLLARIUM V.

DEUS velut regula et ratio operandi ingreditur, (implicitè saltem) omnem definitionem, quodcumque evidens judicium, et quamlibet conclusionem legitimam.

SUMMARIUM. — 19. Probatur Corollarium quoad omnes tres partes. — 20. Confirmatur: In DEO omnes rationes sunt una ratio realis. — 21. DEUS est ratio rationum, in quo omnes rationes fundantur. — 22. Nemo peccat rationaliter operando. — 23. Quid sit animam esse rationalem.

19. Ex hoc eodem lucis arcano consequitur, DEUM (sive ipsum ens entium, actum purum, seu quod idem est ens perfectissimum) velut regulam et rationem operandi, saltem implicitè, omnem perfectam definitionem ingredi, et omne judicium evidens, et quamlibet conclusionem, vel discursum legitimum. Patet ex dictis, et probatis; si enim verum est, quòd DEUS actus purus, et ens perfectissimum sit cujuslibet creati entis idea et mensura; et quod definire sit idem ac declarare, quid res de suâ mensurâ participet, et quid non participet: utique consequitur, nihil posse definiri, aut definitè cognosci, nisi per adhibitam hanc ulnam et mensuram. Secundò, si verum est, quòd DEUS solus sit prima, et impræjudicabilis, et communis omnium judicandorum sedes, lex, norma, et regula; et quod sine tali certo ac evidenti mentis fulcro, nequeat firmiter mens nostra judicare, sed potiùs velut navis anchorâ destituta fluctuet: utique consequens est, nihil absque hâc sede, lege, normâ, ac regula, certò ac evidenter judicari, affirmari, aut negari posse. Denique si verum est quòd omnis discursus, et quælibet legitima illatio, seu consequentia præexigat principia necessaria et æternæ veritatis [et hoc non per fictionem mentis, sed verè ac nemine cogitante] et quod unicum detur ens verè necessarium et æternum, id est DEUS; utique sequitur DEUM esse illud entis, in quo fundatur quæcumque bona consequentia. Subsumo : sed hæc tria antecedentia per decursum Libelli probata fuerunt, ergò et consequentia.

20 Confirmatur : Omnis ratio, quam assignas [sive sit simplex, seu definitio ; aut complexa, id est judicium, ac discursus] aut nititur, fulcitur, ac pendet à ratione actûs puri, aut ab æternâ veritate, ac æternâ bonitate : aliàs erit ratio vana et falsa : sed solus DEUS est actus purus, æterna veritas, et æterna bonitas, ergò etc. Ergò in omni definitione, in omni judicio, consequentia, et discursu DEUS includitur, ac velut imbibitur (implicitè saltem) velut ratio et regula operandi.

21. Ex quo habetur primò, DEUM esse illud ultimum pricipium, ac velut radicem, ac rationem rationum, in quâ omnes aliæ rationes ad mentaliter operandum ordinatæ ultimò fundantur, ac illi essentialiter innituntur. Ac proinde omnes excogitabiles mentis objectivæ rationes radicaliter, et prout sunt in DEO acceptæ sunt realiter unica ratio : quæ objectivè multiplicari videtur cùm applicatur ad realiter distinctas res definiendas, distinguendas, judicandas, inferendas. quamvis ipsa in se realiter una et indistincta maneat, est enim ipsemet DEUS æternaliter et immutabiliter definiens objectivè, ac deter-

minans omnes quæstiones de vero aut falso, de justo aut injusto, de possibili aut impossibili, existens incommutabilis lex essendi, lux intelligendi, regula volendi : proinde sola dat nobis ratiocinari ac intellectualiter vivere. Vide Cap. 1. Num. 18.

22. Collige 2. Neminem peccare rationaliter operando (tunc enim sequitur Rationem, id est DEUM. Sed *qui sequitur me*, id est Christum, *non ambulat in tenebris*, nec peccat) sed is tantùm, qui contra rationem (naturaliter vel supernaturaliter applicatam) operatur. Hinc si Rationem sequutus dico, hoc vel illud implicare, nec DEUM posse facere (v. gr. montem sine valle) non pecco, nec DEO injuriam facio, quia idem dico, quòd DEUS, sive æterna Ratio, exprimit. Nec sensus est, quasi DEO vera impossibilitas inesset, ob aliquam supra DEUM altiorem Legem, DEO necessitatem et impossibilitatem imponentem. Sed ipse DEUS est sibi sufficiens lex ad nihil faciendum, quod sit irrationale, et contra rationem : quo æternæ rationis radio et mihi lucente, securè dico, DEUS licèt Omnipotens non potest facere montem sine valle.

23. Collige 3. Animam nostram esse rationalem nihil aliud esse, quàm animam nostram vivere ex illâ æternâ ac immutabili luce ac ratione, quæ est lex essendi, et lux intelligendi. Ac proinde : *Signatum est super nos lumen vultûs tui Domine*. Te enim Creatorem, et simul vitam mentium nostrarum confitemur. Sed de hoc plura Corollario 16.

§ II.

Corollarium VI.

DEUS est omnium rerum activa, seu motiva intelligibilitas, et amabilitas.

SUMMARIUM. — 24. DEUS est cunctarum rerum motiva intelligibilitas et amabilitas. — 25. Quâ re assertâ crediderim plures difficultates Theologicas intelligibiliores reddi. — 26. Modus, quo DEUS omnia cognoscit indicatur. — 27. Tria sufficiant, ut DEUS omnia intelligat.

24. Ex omnibus dictis sequitur, DEUM Optimum Maximum, ac ejusdem essentiam, esse universalem, seu communem, unicamque motivam intelligibilitatem, et amabilitatem omnium rerum; id est tùm sui ipsius, tùm creaturarum omnium : sive sint res necessariæ, sive contingentes : præteritæ, præsentes, aut futuræ : sive absolutè futuræ, vel conditionatè. Observa quod dico. Non aio, quòd DEUS sit

omnium rerum unica intelligibilitas, et amabilitas terminativa, aut quasi passiva, [quia ut sic et cætera entia habent suam intelligibilitatem et amabilitatem terminativam, et passivam : intelliguntur enim et amantur :] sed aio, motiva ; id est quasi activa, ac determinativa. Patet ex dictis, si enim DEUS, veluti Sol intelligentiæ, et lux mentium : summa veritas, et summa bonitas : est unica ac formalis ratio omnia intelligendi, et omnia volendi [ut jam probatum est] utique erit unica, ac formalis, communis, motiva, seu activa intelligibilitas, et amabilitas omnium rerum ; Ratio enim objectiva intelligendi et amandi coincidit cum motivo intelligendi et amandi : et hoc cum motivâ intelligibilitate et amabilitate. Ab hâc meâ opinione non videtur dissentire R. P. Rosmerus Soc. JESU, Professor Theologiæ in Academiâ Græzensi : ubi agit de Scientiâ DEI. Vide suprà Cap. 6. Num. 18. Per hoc tamen non intendo asserere, frustraneas esse species intelligibiles creatas. De quo plura suo loco. Vide etiam suprà Cap. 1. Num. 53. Et Num. 101. et seq.

25. Conformiter huic Corollario, faciliùs crediderim explicari illas difficiles quæstiones, v. g. qualiter DEUS cognoscat, et ab æterno potuerit cognoscere omnes creaturas, et omnia futura contingentia ; tùm absoluta, tùm conditionata. Qualiter Beati in DEO, veluti speculo, possint intueri, non solùm tres Divinas personas, et omnia essentialia DEI attribua ; sed etiam ipsas creaturas. Semel enim concesso, quòd DEUS ter Optimus Maximus sit formalis motiva, activa, et determinativa intelligibilitas omnium rerum, eò ipso sequitur, ipsum DEUM alicui intellectui (sive Divino, sive creato) præsentialiter conjunctum, posse eumdem permovere ad omnia intelligenda, quorum videlicet DEUS est formalis, motiva, activa, et determinativa intelligibilitas, id est tam sui ipsius, quam creaturarum omnium. Et eò respicit S. Thomas q. unicâ de animâ a. 5. ad 9. *Et ideo requiritur ad ultimam perfectionem intellectûs possibilis, quòd uniatur aliqualiter illi agenti, in quo sunt rationes omnium rerum, scilicet DEO.* Hæc D. Thomas.

26. Unde olim cùm SS. Theologiam prælegerem, hunc unicum universalem modum admisi, quo DEUS omnia cognoscat (qui etiam suo modo, et cognitioni Beatorum, et quoad notitiam rerum abstractivam etiam cujuslibet creatæ mentis adaptari poterit, si ritè explicetur) videlicet in se, ac per suam essentiam ; veluti per formale speculum, speciem intelligibilem, seu rationem motivam, et determinativam ad intelligendum omne intelligibile, sive omnem veritatem : et per suum divinum intellectum, habentem infinitam capa-

tem, et virtutem ad omnia intelligenda : cæteris omnib
ellectionem Divinam solùm terminantibus. Et licèt etiam ip
sentia Divina sit objectum terminativum, scilicet principale,
imarium : est tamen simul, ut dixi, unicum objectum motivu
etera omnia sunt objecta purè terminativa. Nec aliud ad hoc
artè intellectûs Divini requiritur, nisi fortè ex parte objecti, ad ca
andam ejus veritatem : quæ tamen etiam, ut ex antecedentibus
quet, à solo DEO formaliter causatur, qui formaliter omnia verifi
tum seipsum, tum creaturas; tum existentia, tum merè possibil
tum res necessarias, tum contingentes : hæc verificantur per DEU
ut est agens liberum : illa verò, ut est agens, seu ens neces sa
rium.

27. Ergo tria hæc sufficiunt, ut DEUS omnia intelligat. 1. Infin ta
intellectûs, sive infinita vis intellectiva ad intelligendum omne in-
telligibile. 2. Eminentia infinita essentiæ, sive infinita illius vis per
modum speculi, vel speciei intelligibilis, repræsentativæ, et prim rió
terminativæ omnis veritatis. 3. Ipsa objectiva veritas omnium int lli-
gibilium : quæ radicaliter et essentialiter loquendo, est idem ipse
DEUS. Et hinc colliges, esse unicum primum principium, tum es-
sendi, tum cognoscendi, videlicet DEUM.

§ III.

Corollarium VII.

DEUS nihilominus, prædictis non obstantibus, est viatoribus proprio, ac distincto conceptu ineffabilis, seu indefinibilis, indijudicabilis, ininferibilis.

SUMMARIUM. — 28. DEUS ut Sol intelligentiæ est distinctè ineffabilis, seu indefinibilis, indijudicabilis, ininferibilis. — 29. Confirmatur, quia est prima regula, mensura, sedes omnium dicendorum, definiendorum, etc. — 30. Concipitur tamen ac intelligitur, quia est id, quod dat cætera dicere, definire, judicare, inferre, intelligere et amare. — 31. Explicatur per similitudinem. — 32. Applicatur similitudo. — 33. Corollarium ostenditur ad mentem D. Augustini.

28. Ulterius sequitur, DEUM, quatenus est Sol intelligentiæ, et lu
mentium; rerum intelligibilitas, et amabilitas; primum veru
primum lumen, seu ratio omnia intelligendi; primum bon
ratio omnia volendi, et amandi : non solùm esse quid æterne
immutabile; sed etiam per distinctum et proprium conceptum, i.
fabile, indicibile, indijudicabile, ininferibile. Probatur sequela

rmiter jam dictis et probatis : Quidquid per proprium distinctum nceptum effabile est, sive quidquid evidenter, ac definitivè dicitur, dicatur, infertur : dicitur, judicatur, infertur ex vi alicujus prælu-ntis rationis æternæ ac incircumscriptæ, quæ DEUS est (patet ex ctis) ergò si et illa prima prælucens ratio æterna et incircumscripta, r proprium distinctum conceptum diceretur, judicaretur, inferre-, fieret ex vi alterius rationis æternæ prælucentis : et sic deinceps. nsequenter daretur processus in infinitum, aut deveniendum esset aliquam æternam rationem, quæ sit ratio omnia dicendi, judi-ndi, inferendi : illâ vicissìm per proprium distinctum, conceptum, licibili, injudicabili, ininferibili : nec seorsim accepta ampliùs atur, judicetur, inferatur. Sed processus in infinitum implicat, ;ò alterum erit dicendum.

29. Confirmatur 1. *Primum in unoquoque genere mensura est cæle-um*, non sui ipsius : omnia quidem mensurat, sed ipsum non ipliùs mensuratur. 2. Prima sedes à nemine judicatur. Cùm ergo :US, ut Sol intelligentiæ, sit communis rerum omnium dicendorum, finiendorum, judicandorum, inferendorum regula, mensura, et ima sedes : sic nec per propriam distinctam dictionem, judicium, l illationem ampliùs mensuratur, dicitur, definitur, judicatur, aut fertur : aliâs eòipso non esset prima sedes, aut prima mensura, m aliquid supra se et prius se haberet, respectu cujus (nimirum l illud accedendo vel recedendo) dici, definiri, judicari, et inferri osset.

30. Sed dices, quomodo ergò intelligitur DEUS, ut est lux men-um, si speciali proprio conceptu nec dici, nec judicari, nec inferri otest ? Resp. Hoc, et non alio modo concipi, et intelligi debere, quòd delicet sit id, quod dat alia intelligere, et amare. Per quem tamen nceptum eamdem lucem mentium seorsim acceptam, nec dicis, nec primis ; nec eamdem aut judicas, aut infers : quia nimirum per se, seorsim accepta est indicibilis, injudicabilis, ininferibilis, et uno rbo ineffabilis : intelligis autem eam in, et per tuum mentis ac-m : sive quod idem est in mente tuà, rationaliter per DEUM ut ra-nem motivam, operante.

31. Explicatur hâc similitudine : Casu quo lumen, omnia tibi visi-lia reddens, à tuis oculis tantùm emaneret, et radiaret ; ita ut prin-pium hujus luminis, seu lux luminis productiva, in solo tuo oculo sideret : tunc beneficio ejusdem lucis cætera videres ; ipsam oculi cem verò, seorsim acceptam non videres : apprehenderes tamen ndem, licèt invisam, esse illud entis, quod tibi dat reliqua videre.

Et si illam per se concipere velles, non posses ; aut falsum de eà conceptum formares.

32. A simili : Lux mentium DEUS, quatenus est actus purus, et ens infinitè perfectum ; continens eminenter omnia (ut in essendo ita et in cognoscendo) est tibi integerrima ratio, regula, et mensura, omnia dicendi, definiendi, judicandi, ratiocinandi, inferendi, et quomodolibet aliter intelligendi, ut ex dictis patet. Sed hanc mentium Lucem, DEUM, mox ab oculo tuo mentali dimittis, et pro eàdem tibi idolum lucis creatæ ante oculos statuis [quasi illud esset lux mentium DEUS, consequenter falsò concipis, et tenebræ te comprehenderunt] si videlicet seorsim, et per proprium separatum conceptum niteris in illam oculum mentis figere, et eam dicere, definire, judicare, et inferre, vel subtiliùs ratiocinari, quid sit. Licèt igitur ratio entis, quà ens (quæ ipsemet DEUS est : creata enim non sunt propriè ens, quà ens : sed sunt tale ens) sit Lux, quà omnia, quæ non sunt ens, quà ens, sed solùm lapis, quà lapis; stella, quà stella; definis, judicas, distinguis, componis, et infers; aut negas inferri : existens tibi plena ratio omnia definiendi, judicandi, inferendi; ipsa tamen, ut dixi, necessariò debet esse indefinibilis (seu indicibilis) injudicabilis, et ininferibilis. Sicut in datâ similitudine, si lux sensibilis (quæ est figura lucis mentium) esset formalis ratio, seu motivum ad apprehendendum quodlibet sensibile, primò per oculum, deinde per phantasiam ; ipsa tamen per se seorsim propriâ aliquâ figurâ apprehendi non posset : apprehenderetur verò ut aliquod accidens, quo formaliter reliqua fiunt visibilia, et imaginabilia : sic et lumen mentium DEUM concipimus.

33. Et hoc mihi innuere videtur D. Augustinus dum Lib. 7. Confess. Cap. 10. Refert, se DEUM aliter non invenisse, nisi redeundo ad semetipsum, Duce DEO *in intima* sua intrando, et *oculo animæ* suæ, *supra eumdem oculum animæ* suæ, *supra mentem* suam, videndo *lucem Domini incommutabilem : non hanc vulgarem, et conspicuam omni carni, nec* quasi luce corporea grandior aut intensior esset, *sed aliud, aliud valde ab istis omnibus. Nec ita erat supra mentem meam,* ait : *sicut oleum super aquam, nec sicut cœlum super terram.* Quo ergò conceptu illam Augustinus exprimit ? Nimirum, quia illa ut creatrix est *superior*, et mens ut creata *inferior. Qui novit veritatem novit eam, et qui novit eam, novit æternitatem. Charitas novit eam. O æterna veritas, et vera Charitas, et cara æternitas ! Tu es DEUS meus tibi suspiro die ac nocte. Et cùm te primò cognovi* [id est hoc modo, ut veritatem stantem supra mentem meam, et eamdem ad agendum per-

moventem] *tu assumpsisti me, ut viderem esse quod viderem, et nondum me esse, qui viderem. Et reverberasti infirmitatem aspectûs mei, radians in me vehementer, et contremui amore et horrore.* Et infrà. Faciliusque dubitarem *vivere me, quam non esse veritatem, quæ per ea, quæ facta sunt* (et maximè per mentem, quæ est imago DEI) *intellecta conspicitur.* Sic Augustinus de notitia interioris lucis nostræ mentis.

§ IV.

Corollarium VIII.

Quilibet intus docetur solo, et unico experimentali intuitu, sensibili, vel mentali, prout res est.

SUMMARIUM. — 34. Quilibet quodlibet docetur per experientiam. — 35. Imò et ad concipiendam fidem (juxta plures D. D.) est necessaria experientia mentalis quoad credibilitatem motivorum. — 36. Probatur ex D. Thomâ. 2. 2. q. 1. a. 4. ad 2.

34. Suppositis iis, quæ superiùs, Corollario 4. de duplici experimentali notitiâ strictâ, et latâ diximus, etiam sequitur, quemlibet quodlibet intus doceri per solam experientiam, quâ experimur, vel experimentaliter per mentem videmus, rei aut sensibilem existentiam (cùm res cognoscenda est sensibilis) aut veritatis æternam rationem (si res cognoscenda est intelligibilis.) Patet ex dictis : quia omnis evidens notitia fit per mentalem intuitum. Et sic suo modo ad sensum (corporeum vel mentalem) contingit. Quamvis, si accedat etiam sensus exterior, firmior evadat experientia. Et hinc dicere solemus : *Experientia docet. Experto crede Ruperto.*

35. Imò posset aliquo sensu etiam dici, quòd et ipsa fides intercurrente aliquâ experientiâ fiat, et acquiratur, non quasi ipsæ res fidei, vel illarum Divina attestatio, seu revelatio, mentaliter à credente discipulo videri debeant (fides enim est ipsi credenti, tum quoad ipsum objectum, tum quoad ejus Divinam attestationem obscura ; ut aiunt theologi ; et ideo valde meritoria.) Sed ipsa evidens utriusque credibilitas ; quatenus, juxta communem sententiam DD. ad credendum etiam fide Divinâ ea rationabilia motiva credibilitatis requiruntur, ac concipi debent, ut per illa fiat discipulo evidens, contrarium enervari. Et sic nec res fidei, ut res fidei, concipi possunt, absque prævio aliquo intuitu experimentalis certitudinis, ac evidentiæ motivorum, seu propositionis privatæ, ita ut publica propositio fidei, facta per Prophetas, Apostolos, Scripturam, Ecclesiam, Conci-

cilia, Pontificem non sufficiat, ut v. g. noviter ad fidem conversus, quem alia motiva laterent, aliquid tanquam de fide concipere possit, ac debeat : nihil simul per aliquam propositionem privatam ex evidenti mentali inspectione certorum motivorum credibilitatis sibi contrarium enervetur Sic tenent communiter post. S. Thom. 2. 2. q. 1. a. 4. a. 2. Tannerus, Aliique, contra Capreolum, Bannez, Canum, Valentiam.

36. Verba D. Thomæ sunt hæc : *Sub communi ratione credibilis sic sunt visa ab eo, qui credit. Non enim crederet nisi videret ea esse credenda, vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquid hujusmodi.* Hæc ille Unde non existimes DEUM fidei Auctorem, subjici, unâ cum fide, humanæ menti dijudicanti credibilitatem et veritatem articulorum fidei, secundùm eam, quam habet naturalem immediatam normam judicandi : sola motivorum privatorum credibilitas subjicitur menti ipsius credentis fidelis. Ipsa enim supernaturalis fides nititur supernaturali motivo auctoritatis Divinæ revelantis : non verò naturali mentis judicatorio. Sed de his vide fusiùs in penultimo Corollario à principio.

SECTIO III.

Alia quatuor Corollaria ex Sole intelligentiæ collecta.

§ 1.

Corollarium IX.

Is solus interiùs potest docere, qui menti lumen experientiæ communicare, et manifestare potest.

SUMMARIUM. — 37. Is solus intus docere potest, qui lumen mentalis experientiæ [illegible]are potest : id est Verbum, in quo omnia velut in arte æternâ continentur. — 38. Ost[illegible]enditur ex D. Augustino Tract. 1. in Joannem.

37. Sequitur illum solum posse docere, qui menti lumen experientiæ communicare, et manifestare potest : ille verò solus potest menti lumen experientiæ communicare, et manifestare, qui est essentialiter lux (nam omne lumen est proles lucis, ex Hypothesi 8.) et qui vel formaliter, vel eminenter id, cujus habenda est doctrina, et experientia, in se tanquam repræsentativum speculum continet. Ratio prior est, quia omne verum docere requirit, ut causet in discipulo mentalem, et mentis experimentalem intuitum : intuitus autem causatus

et movetur à solo lumine, et luce : juxta Hypothesim 9. et 10. Ratio alterius partis est, quia nemo potest esse alterius rei motivum speculum, seu luminosa activa repræsentatio, nisi id, quod luminosè repræsentare debet, aliquo modo in se contineat, aut formaliter, aut eminenter, et velut in arte. Hoc autem solùm, et unicè est Verbum, quod est apud DEUM; sive λόγος, qui est rerum omnium verbum, vera, ac æterna ars, ratio, supputatio, causa, ac definitio : et lux illa vera, seu lumen, in quo omnia continentur ut vita, seu ut in æternâ arte.

38. Et hinc dicitur Joannis 1. v. 3. (sequendo Lectionem S. Augustini) *Quod factum est in ipso vita erat :* non sicut voluit *sordidissima Secta Manichæorum* (sic eam appellat idem Augustinus Tract. 1. in Joannem) qui dicebant ex hoc Joannis loco, et lapides, et parietes, et resticulas, et lanam, et vestes vivere ac animata esse. Sed *quia Sapientia DEI, per quam facta sunt omnia, secundùm artem continet omnia, antequam fabricet omnia. Hinc quæ fiunt per ipsam artem, non continuò vita sunt, sed quidquid factum est, vita in illo est.* Hæc sapientissimè Augustinus, qui sic rem exemplificat : *Terram vides, est in arte terra. Cœlum vides, est in arte cœlum. Solem et lunam vides, sunt et ista in arte. Sed foris corpora sunt, in arte vita sunt.* Quod autem ista æterna rerum vita conferat homini ad illuminandum, ita subnectit : *Quia illa vita est, quæ in illo est lux hominum. Hoc enim sequitur.* Et vita erat lux hominum : *et ex ipsa vita homines illuminantur. Pecora non illuminantur, quia pecora non habent rationales mentes, quæ possint videre sapientiam. Homo autem factus est ad imaginem DEI, habet rationalem mentem, per quam possit percipere sapientiam. Ergò illa vita, per quam facta sunt omnia, ipsa vita lux est : et non quorumcumque animalium, sed lux hominum. Unde paulò post dicit : Erat lumen verum, quod* illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Hæc subtiliter Augustinus de eo, qui solus potest rationabilibus oculis mentalem intuitum, seu experientiam conferre.

§ II.

Corollarium X.

Homines solùm ad aures, et exterius, solus DEUS ad cor, et ad mentem loquitur.

SUMMARIUM. — 39. Homines exteriùs ad aures, solus DEUS immediatè ad cor loqui potest. — 40. Ulteriùs probatur et explicatur. — 41. Objectio solvitur. — 42. Qualiter et creaturæ nobis DEUM loquantur.

39. Sequitur ulteriùs, quod ipsa hominum verba, seu alia exteriora loquentium signa, tantùm sint locutio exterior, ad sensus exteriores (v. g. ad auditum, visum) per se solummodò directa : cùm ibidem ipsorum vis terminetur, et finiatur, ex Hypothesibus 15. et 16. : solum verò DEUM, quatenus est Veritas æterna, Sol intelligentiæ, et lux mentium, posse verè ac immediatè interius ad cor, ad animam, ad intellectum, ad memoriam, ad voluntatem loqui. Nam ille solus est *lux, quæ* verè intus *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* : ille solus verè intus *docet hominem scientiam* ; ille solus loquitur sine strepitu verborum : ille solus est, quem quivis aliquid intellecturus, definiturus, judicaturus, illaturus, semper consulit, et consulere debet, si periculum errandi vult effugere : ipse solus est spiritus, *qui ubi vult spirat* : cujus vocem interiùs loquentem quivis ratione utens audit, ut vult D. Augustinus, etsi non desint, qui cum Nicodemo nesciant, *unde* hæc vox *veniat, aut quò vadat* : cujus nimirum interna hæc locutio sit vox, aut ad quem finem prolata. Non sic ille, qui dicebat Psal. 84. v. 4. *Audiam quid loquatur in me Dominus DEUS*. Et etiam laudatur idipsum egisse, quod audiebat, et quò vox DEI ipsum dirigebat. *Inveni David filium Jesse, virum secundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas* Act. 13. v. 22.

40. DEUS ergò solus, qui in faciem hominis spiraculum vitæ (id est mentem rationis, ac immortalitatis capacem) inspiravit, ita et solus eamdem mentem interiùs alloqui potest. Unde pessimè cæcutiunt Athei, qui sicut DEUM et animæ immortalitatem negant, ita nullam internam DEI vocem agnoscunt. Minùs deviarent illi, qui DEUM animæque immortalitatem, ac supernaturalem DEI internam loquelam confitentes, naturalia interna mentis effata in alium internum loquutorem referrent. v. g. in ipsam creatam mentem per suas potentias operantem, in ipsum creatum ac subjectivum naturæ lumem, in habitum principiorum speculativorum ac practicorum, in ipsam creatam conscientiam dictantem, testificantem, accusantem, excusantem, etc. Quibus eatenus consentio, quòd recensita ad præfatos actus vitales et internos velut principia subjectiva concurrant (nec enim puto ullum actum vitalem posse produci à solo principio exteriori, potentiâ solum passivè recipiente) non tamen sola sufficiant, sed indigeant æterno objectivo principio ea æternaliter objective exprimente, et eatenus mentem objectivè permovente, ut ea in tempore exprimat. Si enim fixiùs quis mentem suam scrutatus fuerit, advertet internæ rationis, seu mentis communia effata (de quibus dictum fuit Cap. 2. Num. 23.) secundum se accepta abstrahere à loco

et à tempore, ac proinde esse æternæ veritatis; ut pulchrè discurrit Doctor Seraphicus Cap. 2. et 3. Itinerarii. Ergò ex se objectivè accepta erunt voces alicujus Entis æterni, quod ea semper et ubique ac æternaliter pronuntiare possit. Et quis ille? nisi qui et fine et initio caret: Verbum Patris, videlicet, est enim *principium, qui et loquitur nobis. Ex uno* enim *Verbo omnia, et unum loquuntur omnia, et hoc est principium, quod loquitur nobis*. Ut ait ille Vir simplex, sed doctus, Lib. 1. de Imit. Chr. Cap. 3.

41. Quòd si dixeris, naturam ipsam rationalem, eòipso, quòd sit rationalis, per seipsam inclinare, et dictare omnia illa rationis effata, seu veritates æternas (sive dein spectent ad habitum principiorum speculativorum, sive practicorum: aut ad conscientiam stimulantem, aut testificantem; obligantem, vel non obligantem.) Ergò ille, quem experimur intra nos ad cor, ac mentem nostram inclamare, non erit immediatus Divinus Loquutor, sed ipsamet nostra natura rationalis, aut per se, aut per habitum principiorum speculativorum, et practicorum, et quòad conscientiæ dictamina, per ipsam creatam conscientiam. ℟. Per totum Libelli decursum abundè probari, naturam rationalem, sive mentem creatam, nec per se, nec per ullam suam internam dispositionem, aut habitum aut quodcumque lumen subjectivum posse rationabititer operari, nisi aliunde sibi fulgeat æternum lumen, æterna objectiva ratio, quâ ad illam rationalem operationem moveatur, et urgeatur: At quod proinde æternum lumen, et æternam objectivam rationem ipsa creata mens studiosè aspicit, et intendit; et quasi priùs audit, quid illa loquatur, ut dein illi conformiter operari possit. Ergo mens creata, (sive consideretur per se, sive cum omni suâ internâ facilitante dispositione) Subit vicem mobilis ac discipuli audientis, non primò moventis Magistri, seu primi Loquutoris. Ergò dabitur distinctus primus movens Magister, et Loquutor, qui possit æternaliter illa æterna dictamina proferre: scilicet illud ipsum Verbum, à quo omnia; Christus, qui est Via, Veritas, et Vita, et *Lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Et hic solus est ipsum radicale rationis lumen, radicale lumen intellectûs, synthereseos, et conscientiæ. Porrò conscientiam per se, et in actu primo consideratam (nisi accipiatur pro ipso conscientiæ actuali stimulo) meliùs æstimo definiri, mentem sui consciam, vel mentem capacem rationis: cùm judicium potius actus conscientiæ sit, quàm ipsa conscientia.

42. Dixi solum DEUM immediatè cor nostrum alloqui posse. Interim manet, juxta quod ait citatus Auctor de Imitatione Christi: *Ex*

nos Verba omnia quid est principium immediatum nos alloquens et omnia, id est ipsum DEUM, seu Verbum loquitur omnia: mediate videlicet, et per discursum. Omnes enim creaturæ sunt aut vestigium, vel imago, et effectus DEI Trini et unius. Quæ primitus non sibi Angelicus, sed nobis omnibus intelligibilissime, atque vere clamant: Non omnia Deus tuus, quære super nos. Quid vero asserunt aut loquuntur creaturæ de Deo? Et exclamaverunt voce magna. Ipse fecit nos. Sed quibus verbis hæc loquuntur? Respondet D. Augustinus ibidem, id est Lib. 16. Conf. Cap. 6. Interrogatio mea, aspectus meus, et responsio eorum, species eorum. Similiter: A magnitudine speciei, et creaturæ cognoscibiliter poterit Creator horum videri. Sap. 13. v. 5. Hinc D. Bonav. in Itiner. Cap. 2. Omnes creaturæ istius sensibilis mundi omnem contemplantis et sapientis ducunt in DEUM æternum, pro eo quod illius primi principii potentissimi, sapientissimi, optimi; illius æternæ originis, lucis et plenitudinis: illius, inquam, artis efficientis, exemplantis, et ordinantis; sunt umbræ, resonantia, et picturæ: sunt vestigia simulachra, et spectacula, nobis ad contuendum DEUM proposita, et signa divinitus data. Quæ, inquam, sunt sicut exemplaria, vel potius exempla proposita mentibus adhuc rudibus et sensibilibus, ut per sensibilia, quæ vident, transferantur ad intelligibilia, quæ non vident, tanquam per signa ad signata. Ita verissime loquitur D. Seraphicus. Et Cap. 4. sic ait: *Qui igitur tantis rerum creatarum splendoribus non illustratur cæcus est, qui tantis clamoribus non excitatur surdus est: qui ex omnibus his effectibus DEUM non laudat, mutus est, qui ex tantis indiciis primum principium non advertit, stultus est* — Et *ob hæc pugnabit Orbis terrarum contra insensatos.* Hæc ille.

§ III.

Corollarium XI.

Quid creatis Magistris, et Doctoribus attribuendum sit, et quid eis oporteat denegari?

SUMMARIUM. — 43. Quid creatis Magistris denegandum sit? — 44. Quid iisdem attribuendum sit? — 45. Monent, testimonium perhibent, opiniones suas ad credendum communicant, etc.

43. Ex probato hoc eodem lucis internæ radio colligitur, quid, quantum creatis Magistris attribuendum, vel non attribuendum. Quippe si de posteriori membro loquamur, minimè concedendum e

quòd strictiori sensu vere intus doceant, id est quasi realiter, ac physicè ipsi interiùs illuminarent; aut tenebras, ignorantiamque ipsi verè expellerent; aut scientiam verè intus tribuerent, ac infunderent: aut mentem hominis (id est intellectum, voluntatem, et memoriam intellectivam) verè, ac immediatè interiùs moverent: aut movere possent, ut agat. Sed hoc totum fit mediante lumine Rationis æternæ (seu veritatis ac bonitatis æternæ) quæ æterna Ratio quantum est ex se, ac parte suâ omnibus æternaliter splendet, et est simul unica vera interna causa objectiva, seu motiva, quæ applicata menti nata apta est, illam immediatè movere; illam docere, illuminare, ab eâ tenebras, ignorantiamque expellere: scientiam et amorem tribuere, ac infundere, etc. Et hæc æterna Ratio est unicus verus internus Doctor, unicus verus interior Magister: si strictè, et propriè loquamur de Magistro, et Doctore.

44 Quoad priorem Corollarii partem verò, quid videlicet, et quantum iisdem creatis Doctoribus, et Magistris attribuendum sit, omninò dicendum est, ac fateri debemus, quòd largiori sensu, et juxta communem sensum hominum, verè exteriùs doceant. (Nec enim plùs intendere volunt homines per activam Doctrinam, seu per actum docendi, quam ipsam adhibitam exteriorem diligentiam, et conatum) et quòd, ut sic, verè, et absolutè Doctores, ac Magistri vocari debeant. Quia et hoc verba Scripturæ evincunt, quæ homines absolutè Doctores, et Magistros sæpiùs vocat: et ipsa Doctorum Aureola, vel speciale Doctorum beatitudinis præmium hoc exigit. Et planè concedendum est, exteriorum Doctorum officium, sicut laboriosissimum, ita Ecclesiæ DEI utilissimum, ac in se meritorium, ac dignissimum esse. Nunquam tamen, ut dixi, concedi oportet, quòd ideo verè, ac physice doctrinam, et scientiam intus præbeant; aut intellectum physicè, verè intus illuminent, aut ejusdem ignorantiam physicè expellant: sed ideo appellantur Doctores, et Magistri, quia mentem discipuli verè monent, et eumdem verbis suis verè manuducunt ad verum Doctorem, et faciunt, ut oculos mentis suæ elevet ad lumen æternæ rationis, seu veritatis, ac bonitatis æternæ.

45. Unde etiam cum S. Augustino possent vocari Monitores, prout ipse Sanctus fusè demonstrat per discursum Libri de Magistro. Item dicendum est, quòd sint imitatores Joannis Baptistæ, et verbis suis testimonium perhibeant veritati, attestenturque de ipso vero lumine, ac verâ luce, quæ illuminat omnem hominem, et omnes intus docet; ad quam lucem mentes discipulorum dirigunt, ac manuducunt. Neutiquam tamen sunt ipsi illa vera lux. Item omninò concedendum est.

quòd licèt scientias discipulo per se interiùs subministrare nequeant [propriè ac strictè] opiniones tamen suas, sicut et aliorum, possint verè discipulis communicare; et iisdem verè insinuare per signa verbalia, quid ipsi, aut alii cogitent, sentiant, intelligant, aut opinentur; sed hoc totum solummodo ad credendum, minimè verò ad videndum: quia verba Magistri creati discipulum certum reddere non valent, quòd Magister non mentiatur, et contra mentem non loquatur, solùm enim creditur à discipulo, donec et ipse intelligat. Denique creatis Doctoribus, ac Magistris omnia illa concedenda sunt, quæ illis Thomas Kempensis Lib. 3. de Imit. Ch. C. 2 concedit (de quo vide suprà in Prologo statim ab initio). *Possunt* igitur *verba sonare, pulchriter* dicere, *litteras* tradere, *mysteria* proferre, *mandata* edicere, *viam* ostendere, *foris* agere, *exteriùs* rigare, *verbis* clamare: sed minimè *spiritum* conferre, aut *cor* accendere, nec *sensum* aperire, nec *intellectum signatorum* reserare, nec interiùs juvare *ad perficiendum*, nec confortare *ad ambulandum*, nec *corda* instruere, vel illuminare, aut *fœcunditatem* donare, vel *auditui intelligentiam* tribuere. Sic loquitur Vir devotissimus.

§ IV.

COROLLARIUM XII.

DEUS est menti creatæ illud entis, quod dat ei formaliter omnia inter se posse distinguere, et cuilibet, quod suum proprium est, attribuere.

SUMMARIUM. — 46. Per solem intelligentiæ omnia distinguimus et cuique quod suum est, attribuimus. — 47. Declaratur. — 48. Ulteriùs exemplificatur per æternas veritates. — 49. Harum veritatum primus pronuntiator est DEUS.

46. Sequitur ipsum solum DEUM, ut est Sol intelligentiæ, ac lux mentium, esse illud entis, quod dat omnia, et singula inter se discernere, distinguere, aut quovis alio modo intelligere, v. gr. posse facere arborem Porphyrianam, aut Tabulas entium universales, vel particulares: id est entium divisiones, ac subdivisiones, etc. V. g. lux mentium æternaliter pronunciat, et dicit (licèt mens creata solum in tempore, et certo in loco hanc æternam ejusdem lucis loquelam audiat.)

Primò: *Omne ens vel est totale, vel est partiale* (quis mihi hoc dicit nisi Sol intelligentiæ, et lux mentium?)

Secundò : *Omne ens totale, vel est creatum, vel increatum.* (Etiam hoc habeo à luce mentium, seu lumine naturæ.)

Tertiò : *Omne est totale creatum, aut est substantia aut accidens.* Et hoc ratio dictat, cùm non detur medium inter esse per se, et esse per aliud, seu in alio.)

Quartò : *Omne accidens, vel est Absolutum, aut Respectivum.*

Quintò : *Absolutum vel extendit* [et est quantitas] *vel intendit* [et est qualitas.]

Sextò : Respectivum, *aliud purum, vel secundùm esse*, ac prædicamentale (cujus totum esse consistit in esse ad aliud, nihil formaliter dicens in se : et hoc est ipsum quartum Prædicamentum, seu Relatio) *aliud non purum*, vel *secundùm dici* (quod præter respectum ad aliud, etiam aliquod absolutum in se dicit : et hoc constituit ultima sex prædicamenta.)

47. Et sic consequenter dividendo genera subalterna, species subalternas, et infimas, usque ad individua, etc. Certè hoc totum intus doceor, et habeo posse facere ab aliquo lumine interno, mihi ab aliquo æterno, et incommutabili principio æternaliter radiante. Video enim omnia ista æternaliter, et ubique vera esse : nec aliter dici posse. Et quis est ille, qui has veritates æternas mihi intus dicit ? seu quis ab æterno has æternas veritates urget, ut semper, et ubique luceant ? Aliud certè nihil est, quàm Ens, quà ens, actus purus, æterna radicalis Veritas, quæ æternaliter ac immutabiliter omnes veritates (et consequenter omnes quæstiones) definit ac determinat, objectivè videlicet respectu nostri, sed respectu intellectûs Divini etiam formaliter.

48. Similiter hic idem splendidissimus radius Solis intelligentiæ semper æternaliter, et ubique dicit, et ut verum pronuntiat :

1. *DEO attribuendum esse optimum ;*
2. *Totum esse melius quàm partem;*
3. *Vivens melius non vivente ;*
4. *Sensitivum melius non sentiente ;*
5. *Rationale melius irrationali ;*
6. *Simplex melius composito ;*
7. *Immortale melius mortali ;*
8. *Æternum melius temporali ;*
9. *Incommutabile melius commutabili.*

49. Et quis est hic, qui hæc semper, et ubique dicit ? Certè non

ego, qui non semper, et ubique sum, aut fui ; nec alia res creata, quæ etiam aliquando non fuit, et nulla est ubique. Ergò DEUS, et illius incommutabilis, æterna, immensa, et ubique præsens virtus est, quæ mihi hoc intus dicit : ergò æterna Veritas DEUS (quæ teste S. Thom. est unica. Et omni menti, quantùm est ex se semper radiat) hoc mihi dicit : quamvis ego, qui non semper fui, nec ubique sum, hoc ejus æternum dicere, ac æternum lucere, tantùm suscipiam, et audiam in certo, ac definito tempore, et loco : si autem semper fuissem, et ubique essem (ratione videlicet nunquam impeditâ) semper et ubique hoc ejus æternum dicere, lucere, radiare, illuminare, susciperem, et audirem, sicut et ipse DEUS, qui semper et ubique immutabiliter est, semper et ubique hoc dicere percipit. Exteriores Doctores ergò ac Libri (imò et ipsi Angeli, aut alii Sancti) sunt monitores mei, qui me monent, ut aspiciam ad hoc Divinum lucere, ad hoc æternum radiare, ad hoc perpetuum dicere.

Imò dicere possumus, quòd Sol intelligentiæ DEUS omnia naturaliter vera intellectui nostro (tamen intus audienti, et interiorem auditum non malè applicanti) pronuntiet, alia quidem absolutè, et per se statim, ac immediatè (quæ videlicet solo lumine rationis sunt cognoscibilia) alia verò mediatè, aut suppositâ fide, vel inspectione. Hinc suppositis fidei principiis, vel experientiis sensibilibus, lux mentium dein plurima nova exprimit (quidquid nimirum ex illis principiis per naturalem consequentiam colligi potest) v. g. per diuturnam gestorum antiquorum experientiam advertimus DEI benignam providentiam, quòd non permittat tentatores diabolos, vel hæreticos ita speciosè tentare, quin rationalis bonus homo non possit (si velit) ex vitâ, fructibusque larvam hosti detegere. Hîc præmissæ sunt experientia : quâ positâ Lux mentium plurima dein alia enuntiat, videlicet, quidquid ex tali experta DEI providentiâ rationabiliter colligi potest.

SECTIO IV.

Alia quatuor Corollaria ex Sole intelligentiæ

§ I.

COROLLARIUM XIII.

DEUS Sol intelligentiæ, seipsum quoque ab omni alio ente naturaliter discernit : Et hoc ipsi quoque Athei advertere possent, si vellent.

SUMMARIUM. — 51. DEUS seipsum ab omnibus menti discernit. — 52. Probatur in praxi. — 53. Expenditur.

51. Sequitur DEUM, vel Solem intelligentiæ, ac Lucem mentium seipsam ab omnibus aliis entibus discernere. Et hoc Ethnici potuissent scire, si advertere, et audire voluissent, quid in ipsis loqueretur Dominus DEUS. Cùm enim alii mortalium posuerint DEUM esse materiam, aut quid materiale, vel aliquam formam corpoream : Alii elementum, aut *ignem, aut spiritum, aut citatum aërem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam ; aut Solem, et lunam rectores Orbis terrarum Deos putaverunt ;* ut dicitur Sap. 13. v. 2. Alii lapidem, lignum, arborem, seu plantas ; Alii vitulum, aut crocodillum. Alii hominem : ut Jovem, Saturnum, Mercurium, Venerem ; Alii rem vivam omninò spiritualem (ut spiritus malignos, Luciferum, Dæmones) sed omnes isti *erraverunt, excæcavit enim illos malitia eorum* [Sap. 2. v. 21.] *Infelices autem sunt, et inter mortuos spes illorum est, qui appellarunt Deos opera manuum hominum, aurum, et argentum* (ut dicitur ib. c. 13. v. 10.) Cùm tamen *à magnitudine speciei, et creaturæ, cognoscibiliter* potuisset *Creator horum videri*. Ut dicitur v. 5. Quia nimirùm per creaturam monetur homo, ut cum S. Augustino intus ad mentem suam redeat, et ibi lucentem radium lucis mentium intueatur, qui æternaliter seipsum ab omnibus istis prætactis rebus discernit. Sed ad praxim mentalem accedamus.

52. Sic ergò Divinus intelligentiæ Sol, ac ipsa mentium Lux æternaliter pronuntiat [etsi ego, ut dixi, in certo solùm loco, et tempore hanc ejus æternam vocem percipiam.] Primò generatim, DEO attribuendum esse optimum, et perfectissimum [cùm sit is, à quo omnia, veluti imperfectiora, pendent ; et qui dat omnia : et consequenter non poterit esse unum ex his.] 2. in specie ait : Non erit DEUS materia [quia est imperfectior formâ.] Non forma (quia hæc ut pars cedit toti.) Non elementare corpus [quia imperfectius est mixto : et aqua nobilior terrâ, aër aquâ, ignis aëre.] Non mixtum, carens vitâ [quia meliora viventia, et inter hæc sentientia, et inter hæc rationalia, inter hæc purè spiritualia : et inter hæc non mutabilia, non facta.] Ergò DEUS erit forma non formata, actus purus, et simplex ; perfectissima Vita, perfectissimus Spiritus, ipsa videlicet essentialis nuda Veritas, essentialis nuda Bonitas ; ipsa Lux vera, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, etc., independens à loco, tempore, mutatione.

53. En quomodo per hunc Solem, et in hâc luce mentium, et in virtute ipsius, tu ipsum DEUM, veram mentium lucem, vides, et discernis ! Ergò mihi, et tibi, naturaliter lucet hæc lux mentium, sive DEUS ; aliàs non possumus sic discurrere de ipso ; cùm enim

DEUS sit entitas perfecta absoluta ; in ejus luce abjicimus ab eodem omnia entia imperfecta : sicut is, qui ex notâ definitione perfectæ pulchritudinis omnes imperfectas pulchritudines ab eâdem removet, et discernit.

§ II.

COROLLARIUM XIV.

DEUS quodcumque participatum ens repræsentat, definit, approbat, et de imperfectione sua taxat.

SUMMARIUM. — 54. DEUS omnia repræsentat, definit, approbat. — 55. Omnia mala taxat.

54. Sequitur DEUM, ut Solem intelligentiæ, et communem lucem mentium, omnes creaturas [seu perfectiones participatas] non solùm repræsentare [quævis enim idea ac mensura repræsentat ideatùm, et mensuratum] consequenter omnia definire, ut dictum est : sed etiam omnia bona suâ bonitate approbare. [Nam *vidit DEUS cuncta, quæ fecerat, et erant valde bona,* Gen. 1. v. 31. *Et nihil odisti, eorum, quæ fecisti.* Sap. 10. v. 15.]

53. Et vicissim DEUS tanquam ens perfectissimum, et actus purus, omnes impuritates, et imperfectiones taxat, rejicit, ac reprobat; Nam ut dicitur Joannis 1. v. 3. Et *sine ipso factum est nihil.* Et Hab. 1. v. 13. *Mundi sunt oculi tui, ne videant malum.* DEUS ergò, tanquam ens, et res infinitè perfecta [id est ut summum bonum] a se formaliter excludit omne malum : in cæteris verò rebus etsi non omne malum formaliter excludat, taxat tamen omne malum. et notat omnem imperfectionem illarum, et hoc necessariò, et naturaliter : excludit verò quantum ipse vult, oppositam bonitatem, malitiæ exclusivam, largiendo, et conferendo. Malum culpæ verò etiam positivè per imperium vetat.

§ III.

COROLLARIUM XV.

DEUS immediatè hominem omnia docet, v. gr. Logicam, Physicam, Metaphysicam, Mathematicam, Theologiam naturalem.

SUMMARIUM. — 56. DEUS, ut Sol intelligentiæ, immediatè docet Logicam, Physicam, Metaphysicam, Mathematicam, Theologiam, etc. — 57. Intellige de iis tantùm, quæ

ratione naturali sciri possunt. — 58. Certò et evidenter intellecturus dirigat expurgatum mentis oculum in Solem intelligentiæ. — 59. Nec ad cognoscendum DEUM fortè aliâ egebit Logicâ, Physicâ, aut Metaphysicâ. — 60. Theologica quæsita de DEO per lucem mentium resoluta. — 61. Declaratur horum intelligentia.

56. Sequitur ex semel concesso hujus Divinæ lucis mysterio, et simul immediato interno Magisterio, quòd ipse Sol intelligentiæ DEUS, vel ipsa objectiva naturalis lux mentium nos omne illud actu, et immediatè intus doceat, quidquid ex, et per rationem naturalem discimus, et intelligimus. Consequenter Lux mentium DEUS, ut Auctor rerum naturalium, immediatè nos docet Logicam, Physicam, et Metaphysicam, Mathematicam (et omnes ejusdem species) Theologiam [æquè positivam videlicet Asceticam, et Polemicam; quàm speculativam, et moralem; quantum nimirùm per rationes naturales tradi possunt] et omnes alias scientias (quæ rationibus naturalibus, et lumine rationis nituntur) cum omnibus actibus cognoscitivis certis, et evidentibus.

Probatur Corollarium. Juxta demonstrata de hoc inextinguibili lucis radio, id, quod omnia intus docet (certò et evidenter) est radicale, æternum, inextinguibile, et indeficiens lumen; æterna Veritas, æterna Ratio, Lumen Rationis: sed DEUS est illud radicale, inextinguibile, et indeficiens Lumen, æterna Veritas, æterna Ratio; Lumen, seu Lux Rationis; ergò DEUS est, qui omnia intus docet: id est præfatas scientias, et quidquid per rationes naturales discimus, et intelligimus. Totus Syllogismus probatur per decursum totius Libelli.

57. Observa mentem meam: non aio, quòd Sol intelligentiæ DEUS, quatenus est lux rationis naturalis, nos doceat immediatè illa, quæ solum ex fide sciri possunt, aut quæ solâ auctoritate Divinâ, aut humanâ nituntur: sed illa quæ, et quatenus rationibus naturalibus nituntur. v. g. In sacrosanctâ Theologiâ, et ejus singulis propè explicatis controversiis, reperies argumenta, et probationes ex Divinâ, vel humanâ auctoritate desumptas, ut ex Sacrâ Scripturâ, ex Conciliis, ex Summis Pontificibus, ex SS. Patribus, et Doctoribus. In his nihil spectat ad officium naturalis lucis mentium, nisi ratione evidentis formæ syllogisticæ, quâ testimonia præfata proponuntur, et quatenus ratio naturalis præfatas auctoritates fulcit: et sic quod est causa causæ, est etiam aliquò modo causa causati, eo sensu, quo superiùs, Coroll. 8. dixi, etiam res fidei aliquo modo doceri à naturali Sole intelligentiæ, et luce mentium, quatenus motiva credibilitatis menti credituræ præbet, et offert: quibus non ipsam fidem, sed fidei credibilitatem evidentem facit. Tandem etiam reperies argu-

menta ex ratione naturali : Hæc propriè, et unicè spectant ad officium lucis mentium, quam DEUM asserui.

58. Quisquis ergò quodlibet certè, et evidenter scire desiderat, necessarium est, ut expurgatam mentis suæ aciem in hunc æternum, incommutabilem (et simul ineffabilem, ut suprà probatum est) Solis splendorem, ac mentium lucem dirigat. Hæc enim (ut etiam probatum est) æternaliter activè definit omnia, et singula entia; dictat omnes veritates æternas (sive movet ad omnia judicia æternæ veritatis) infert illationes incommutabiles : jubet, et excitat amorem bonitatis æternæ. A quibus proinde omnes præfatæ scientiæ, et quivis actus cognoscitivus certus, et evidens respectivè dependet, et per hæc haberi debet. Et quò puriori, et fixiori aspectu hunc Solem, et mentium lucem intuitus fueris, eò felicius eamdem (et quodlibet aliud, quod per rationem naturalem sciri potest) capies, et intelliges.

59. Imò discipulo immediatè hunc Solem, et mentium lucem omninò nudam assequuto, et intuente (ad quam denudationem omnimodam magnum requiritur mentis exercitium, donec involucra, phantasmatum, sicut et passionum abjiciantur) nullà fortè is aliâ indigeret, aut Logicâ, aut Physicâ, aut Metaphysicâ, ad hoc, ut DEUM dari intelligeret. Et ideò, si verè mente tuâ intentus fueris huic nudæ Luci æternæ, et incommutabili, faciliùs te extricare poteris, cùm has similesque quæstiones de DEO moveri audiveris.

60. Ut primò : *An DEUS existat?* Dices : et cur dubitem, cùm experimentaliter mentaliter cernam, DEUM, sive Lucem Divinam, æternaliter, et incommutabiliter essentem (meliùs dictum, ac DEO convenientiùs, quàm existentem) mihi dare ipsum vivere intellectualiter, imò et hoc ipsum quærere, seu movere hanc quæstionem, an detur DEUS. Quis enim ambigat, an res illa sit, et existat, à quâ se intus experitur moveri, dum operatur?

Secundò : *An DEUS sit simplex?* Dices : Nec novi compositionem, nisi in luce simplicitatis purissimæ, quæ est ille DEUS, cujus simplicitatem inquiro. Qualiter enim rem compositam mente cogitabo, nisi priùs intellexero, quid sit esse simplex, à quo omnis compositio sumit exordium?

Tertiò : *An DEUS sit unus?* Dices, nec novi pluritatem, nisi in luce æternæ unitatis; quæ est ille DEUS. de quo quærimus, utrum sit unus. Implicat sciri numerum quamdiu ignotum est, quid sit unum, quod est principium cognoscendi plura.

Quartò : *An DEUS sit æternus?* Dices : Nec intelligo tempus, nisi in luce illius conspicuæ æternitatis, quæ est ille DEUS, de quo

quiro utrum sit æternus. Quis enim mente suâ temporis instabilem lubilitatem intelligendo exprimat, nisi priùs noverit ipsum stabile immutabiliter nunc permanens ?

Quintò : *An DEUS sit mutabilis ?* Dices : Non novi motum, aut utationem, nisi in luce conspicuæ immutabilitatis, quæ lux est ille EUS, de quo quæritur, utrum sit mutabilis. Quis enim motûs irre-ietam mutabilitatem penetret, si, quid sit vera ac immutabilis ies, ignoret ?

Sextò : *An DEUS sit infinitus ?* Dices, non possum censere de ito, et infinito, de possibili, et impossibili, nisi in luce entis infi-ti, sive entis quà ens, quæ lux est ille DEUS, de quo quærimus, rum sit infinitus. Nec enim impræjudicabilis Regula, quâ cognosco finitum potest esse limitata ac finita.

Septimò : *An DEUS sit vivens ?* Dices, non censeo de viventibus, si in luce perfectissimæ vitæ, quæ lux est ille DEUS, de quo quæ-mus, utrum sit vivens. Nemo judicat rem aliquam imperfecto odo vivere, nisi præintelligat vitam perfectam, ac ipsam vitæ sentiam, quæ Deus est.

Octavò : *An DEUS intelligat ?* Dices : Non intelligo me intelligere, si intelligendo lucem illam veram, *quæ* intellectualiter *illuminat inem hominem venientem in hunc mundum*, quæ est essentiale ac ernum intelligere ; per quam sicut omnia facta sunt, sic et omnia telligi debent.

Nonò : *An DEUS intelligat alia à se ?* Dices : Non possum alia telligere à DEO, nisi intelligam, alia hæc eòipso esse intelligibilia, possibilia, quòd sint intellecta ab eâ luce, quæ est essentiale ac ernum intelligere. Nec enim quidquam aut possibile aut intelligi-le dici potest, nisi ut tale æternaliter intellectum fuerit per pri-um et essentialem intellectum.

Decimò : *An DEUS velit, seu amet ?* Dices, non intelligo meum nare, nisi cointelligam lucem, quæ est essentiale, ac æternum nare : quæ lux est ille DEUS, de quo quæritur, utrum velit, seu net. Sicut enim absque primo intellectu intelligente nullum dari test intelligibile aut intelligere ; ita nec sine primâ voluntate nante potest dari ullum amabile, vel amare.

Undecimò : *An DEUS sit beatus ?* Dices : Non intelligo amoris dul-dinem, seu beatitudinem, nisi intelligam, et concipiam essentiale, æternum amare ; quod respectu sui sit æternum, et incommutabile ui, et respectu aliorum sit dare, seu facere hoc omne, quod bonum st, sit, aut fiat. Quis enim intelligat id, quod omnes appetunt ac

frui desiderant, id est beatitudinem : nisi præintelligendo id, quod est essentialiter beatum ac fruitivum?

61. Has ergò et similes quæstiones omnes, longè faciliùs dissolves, si hanc æternam DEI lucem, menti tuæ radiantem, fixiùs intuitus fueris; quia mox advertes, eamdem existere; cùm det tibi intelligere, et quæstiones movere : eamdem esse simplicem, et unam; in cujus summâ simplicitate, et unitate habes posse cognoscere omnem compositionem, et pluralitatem, ab eadem simplicitate, et unitate recedentem : eamdem esse æternam, immutabilem, infinitam, viventem, intelligentem [se, et alia] amantem et beatam. Cùm in ejus æternitate, immutabilitate, infinitate, vitâ, intelligentiâ, amore, et beatitudine, videas, et mente experiaris te posse, ac debere concipere, et intelligere (velut per principium quod participant, vel à quo deficiunt) omnia opposita, omne tempus, omnem motum, ac mutationem, omne finitum, omne nostrum vivere, intelligere, amare, et beatum esse : Cum luce meridianâ clarum sit, quod de imperfectis censere, et judicare non possis, nisi in prævià luce rei perfectæ, tanquam in necessariâ mensurâ, adhibendâ ad cognitionem omnis rei imperfectæ.

§ IV.

COROLLARIUM XVI.

Natura rationalis potest etiam à priori definiri per DEUM, velut per suam formalem rationem extrinsecam, et objectivam : quæ æternaliter omnes quæstiones definit, omnes illationes infert.

SUMMARIUM. — 62. Natura rationalis potest definiri etiam à priori, quòd sit capax æternæ Rationis. — 63. Quâ præcellentiâ homo differt à bestiâ. — 64. Rationis (quæ est summè obvia) definitio. — 65. Solvitur objectio, et probatur, quòd æterna Ratio omnes quæstiones æternaliter definiat. — 66. Declaratur in ratiocinio, quo probatur fenestram esse minorem palatio.

62. Sequitur naturam rationalem, quæ ut plurimùm per proprietates, v. gr. per esse discursivum, admirativum, risibile, explicari solet : formaliter etiam, et à priori definiri, et intelligi posse, quòd videlicet sit *substantia capax Rationis æternæ* : vel *substantia capax, et cognoscitiva rationum æternarum* : vel *Talis substantia, quæ sit capax lucis æternæ, seu luminis, quod incircumscriptibiliter lucet.* Et benè observandum est, quòd juxta ea, quæ dixi Cap. 1. Num. 8. hic

terminus, *Ratio*, subjectivè acceptus importet hanc passivam capacitatem : objectivè verò acceptus, importat rem æternam, sivè λόγον, seu id, quod illam passivam capacitatem ad actum rationalem producendum objectivè movere potest. Unde dum aio : *Hoc est animal rationale* : est idem ac dicere, hoc est tale animal, quod non tantùm capax est rerum, et objectorum temporalium, ac sensibilium (quod omni animali congruit) sed insuper capax est æternarum rationum, per quas æternas rationes res habent esse quod sunt. Istæ autem rationes æternæ realiter acceptæ, nihil aliud sunt quàm DEUS, seu Verbum, id est λόγος : conformiter illis verbis D. Hieronymi, ad Paulinum, ubi sic ait : λόγος *enim græcè multa significat : nam et Verbum est, et ratio, et supputatio, et causa cujuscumque rei, per quam sunt singula, quæ subsistunt : quæ universa rectè, intelligimus in Christo.* Hæc D. Hieronymus. Imò et ipse Ethnicus Aristoteles per λόγον rationem passim intelligit. v. g. 2. de animâ Cap. 1. καὶ τίς ἂν εἴη κοινότατος λόγος αὐτῆς. Id est : *Quænam sit communissima ipsius* (animæ) *ratio.* Sic et alibi sæpissimè. Vide et Cap. 1. Num. 7.

63. Ex his intelliges, in quo homo, vel creatum rationale differat à bestiâ, et cæteris entibus, scilicet per esse capacem æternorum. Quod tamen paucissimi recogitant, suam dignitatem degeneri conversatione adulterantes, et se in rebus temporalibus, ac sensibilibus turpiter immergentes. Ergò ratio hominis essentialiter dicitur talis per respectum ad suum objectum formale, quod est æterna Ratio cujusque entis, cujus illa hominis ratio capax est. Unde et D. Ambrosius, de Noë et arca, definit hominem, quòd sit *mens rationis capax* : sive *animal vivum mortale rationabile.*

64. Porrò hæc æterna objectiva Ratio (quam dico esse rem increatam, id est, ipsum DEI Verbum, seu λόγον) quæ suâ radiatione constituit subjectivam rationem, id est mentem creatam, seu creaturam rationalem in esse rationalis, sic definiri posset, [si tamen definibilis est.] Quòd sit *æternum quid, et incommutabile, definitivum, ac determinativum omnis quæstionis, de vero, aut falso ; de justo, aut injusto, de possibili, aut impossibili.* Vel : *Incommutabilis lex essendi, lux intelligendi, regula volendi.* Et uno verbo : *Æternum, et incommutabile quid, quod solùm dat vivere intellectualiter, et solùm immediatè mentem nostram interiùs movere potest, ac docere.* Et hæc Ratio mihi et tibi, et omnibus tam obvia est, ut in eam veluti capite, seu mente impingamus, quoties aliquid intelligimus, vel quoties ratiocinamur. Est nimirum ipsissimus DEUS [cùm nihil sit æternum nisi solus DEUS] quo nihil notius est, quia *in Eo et vivimus et movemur et sumus.*

65. Dices : Quomodo stare potest, quòd æterna Ratio, quæ DEUS sit, omnes quæstiones [de vero, aut falso ; justo, aut injusto ; possibili, aut impossibili] jam æternaliter definiverit : omnes veras propositiones æternaliter pronuntiaverit, omnes consequentias æternaliter intulerit, cùm tamen omnia primum in tempore à nobis definiantur, enuntientur, inferantur? Respondeo, quòd nos solùm formaliter, et per actum elicitum, et expressum in tempore res definiamus, enuntiemus, inferamus : objectivè verò jam æternaliter omnia sunt definita, enuntiata et conclusa. Vide suprà Cap. 5. Num. 143. ubi D. Augustinus ostendit, quòd terminorum connexiones, et connexionum veritates, ac definiendi ac dividendi rationes à nobis non fiant, sed animadvertantur. Si enim tota rerum definitio, tota rerum enuntiatio, et tota rerum consequentia, seu illatio penès nos solos penderet, tunc possemus ex quolibet facere quodlibet cum nostris definitionibus, judiciis, et illationibus : et sic possemus definire hominem, animal irrationale ; judicare turdum esse farcimen ; concludere virum stultum esse, quia prudenter loquitur. Sed quomodo hæc definitionum, judiciorum, et illationum absurditas evitatur? Per hoc videlicet, quòd creata mens nil possit ipsa actu ut verum definire, judicare, et concludere, nisi quod repererit jam æternaliter esse definitum, judicatum, et conclusum. Neque enim nos homines sumus primi rerum æstimatores, aut taxatores; aut primi rerum definitores ; aut judices veritatum ; vel primi illatores conclusionum. Nam veritates, ac rerum, seu naturarum taxationes, et ipsæ rerum conclusiones sunt jam æternaliter, et incommutabiliter, et incircumscriptibiliter (etiam nobis omnibus ignorantibus, vel etiam aliter sentientibus) jam conclusæ, taxatæ, definitæ. Sed à quo? nisi ab Ente quà ens, id est à DEO (cætera enim omnia non sunt entia quà ens, sed sunt singula tale ens) à quo æternaliter, et incommutabiliter emanant, tanquam à primo naturarum Taxatore, Enuntiatore, Illatore : licèt ego, et tu, et quivis alius mente creatâ præditus, lumen hujus æternæ emanationis, harum veritatum, et conclusionum suscipiamus, et dein actu explicito enuntiemus, concludamus, et sub determinatâ loci et temporis differentiâ.

66. Declaro rem in praxi hujus ratiocinii. V. G. concludo fenestram Palatii Apostolici esse minorem ipso Palatio Apostolico, ob hanc æternam, et incommutabilem rationem. Quia semper, et ubique verum est, ac fuit : quòd omne totum sit majus suâ parte. Certè hæc rationis æternitas, ac immutabilitas nec convenit Palatio Apostolico, nec fenestræ : nec mihi concludenti. Sumus enim entia creata, limitata;

tempori, et loco alligata : Ergò quærendum erit aliud ens, cui dicta rationis æternitas, et immutabilitas per se conveniat, et ab eo fundetur; ac primò simul, et æternaliter, ac immutabiliter, semper et ubique enuntietur : Et hoc erit ipsissimus DEUS, veluti ens quà ens, sive ut actus purus, et simplex, qui est solus semper, et ubique præsens : consequenter ipse solus poterit illam æternam rationem [scilicet quòd omne totum majus sit suâ parte] semper, et ubique; æternaliter, et immutabiliter, pronuntiare : Ergò dum, ratiocinando, judicas, esse verum, quòd omne totum sit majus suâ parte (sive excedat quamlibet sui partem) et simul conclusionem inde erutam, quòd fenestra Palatii Apostolici sit minor Apostolico Palatio, judicas esse necessariam, idque æternaliter, et incommutabiliter; hoc tuum judicii rationalis lumen non tibi asciscis, aut derivas à fenestrâ, vel Palatio Apostolico, nec à tuo intellectu vel aliâ re creatâ (quæ temporalia, et limitata sunt) sed ab ente quà ens, sive ab actu puro, qui suâ luce tibi dat distinguere totum à parte, Palatium à fenestra, æternum à temporali, incommutabile à re mutabili, etc. Ergò verum est, quòd æterna Ratio, DEUS, æternaliter omnia definiat, enuntiet, concludat, et nostram mentem suâ æternâ luce rationalem constituat.

SECTIO V.

Alia quatuor Corollaria ex Sole intelligentiæ collecta.

§ I.

COROLLARIUM XVII.

Ens quà ens est ipsemet solus DEUS, non verò gradus Metaphysicus univocus communis.

SUMMARIUM. — 67. Ens quà ens est ipse DEUS, non verò gradus DEO, et creaturæ univocè communis. — 68. Alias nullum esset discrimen inter res. — 69. Ens quà ens est quid summè simplex et illimitatum æternum immutabile. — 70. Quid impediat à notitiâ Divinorum? — 71. Ulteriùs ostenditur ex verbis D. Pauli, ac Seraphici Bonaventuræ.

67. Ulteriùs ex Sententiâ hujus æternæ lucis, ac Solis intelligentiæ, semper, et ubique radiantis, et quatenus est ens quà ens, et actus purus, naturaliter omnia definientis, judicantis, et inferentis (licèt vicissim ipse maneat indicibilis, seu ineffabilis, injudicabilis, ininferibilis) sequitur, quòd ens quà ens sit ipsissimus DEUS, non verò gradus Metaphysicus abstractus, DEO, et Creaturis univocè

communis. A DEO enim et creatura nihil realiter commune potest abstrahi, cùm in nullo conveniant. Quia DEUS ob suam infinitè perfectam simplicitatem non potest duos conceptus objectivos admittere, unum communem et alterum proprium. Et si DEUS admitteret duos objectivos conceptus, unum communem et alterum proprium, posset per illos definiri : consequenter haberet supra se aliquam altiorem mensuram, sibi et creaturis communem, respectu cujus mensurari, ac definiri posset. Implicat enim, ex præmissis, aliquid definiri, nisi per majorem vel minorem accessum et recessum à suâ mensurâ. Sed DEUS nullam supra se admittit mensuram. Item enti per essentiam, et enti per participationem nihil potest esse commune, sed DEUS est ens per essentiam, et creatura solùm per participationem, ergò etc. Probatur major, quia illa se totis differunt, consequenter in nullo conveniunt. Probatur antecedens. Quidquid assignaveris in ente per essentiam est totum per essentiam, et quidquid assignaveris in ente per participationem est totum per participationem : vel aliàs dicendum esset, quòd in creatura reperiretur aliquis gradus naturæ (scilicet ille communis entis gradus abstractus) qui non dependeret à DEO.

68. Addunt Alii, si Ens foret univocum, nullum daretur essentiale discrimen inter res : quodcumque enim discrimen (etiam præcisissimum) assignaveris, cùm illud non possit esse nihil, sed aliquid esse debeat, sic consequenter erit ens, ergò erit principium conveniendi, non differendi ; omnia quippe entia supponuntur in ente convenire. V. g. DEUS componitur ex A et B, Creatura verò ex A et C. tanquam uno conceptu communi, et binis propriis. Tu dicis, quòd DEUS et creatura conveniant in A, sed differant in B, et C. Sed contrà. Quæro, an illæ binæ differentiæ B et C sint aliquid vel nihil ? Hoc non dices, quia ipsum nihil non potest esse differentia entis positivi realis. Ergò erunt aliquid, ergò erunt ens, quia ens et aliquid convertuntur. Sed omnia entia, ex concessis conveniunt in ente ; ergò et B et C non erunt principia differendi, sed conveniendi, aut erit admittendus processus in infinitum. Et hinc aiunt, Ens per modum æquivoci (aut analogi) immediatè significare plura (id est ipsas differentias singulorum entium, cùm extra rationem entis nulla videatur posse assignari differentia) sicut etiam nomen canis immediatè significat canem marinum, cœlestem et terrestrem, non verò aliquid omnibus tribus commune. Et ratio sani propriè loquendo convenit soli animali, impropriè verò, et per analogiam medicinæ, colori, pulsui, etc.

69. Quidquid sit de hâc controversiâ, cùm multum includat de

nomine, quid nimirum per univocum commune intelligatur (an Physicum vel Metaphysicum, aut Logicum; an aliquid reale, vel tantùm secundùm nostrum modum concipiendi, etc.) Ego saltem hoc æstimo negari non posse, quòd DEUS sit ens summè simplex repudians omnem realem compositionem. Et quod quidquid in DEO reperitur sit res summè perfecta : imò quòd solus DEUS sit strictum ens, prout de se dicit Exodi 3. v. 14. *Ego sum, qui sum*. Et hinc subscribo D. Augustino Lib. 7. Conf. Cap. II. sic dicenti : *Et inspexi cætera infra Te* [DEUM] *et vidi nec omnino esse, nec omnino non esse. Esse quidem, quoniam abs te sunt : non esse autem, quoniam id, quod es, non sunt. Id enim verè est, quod incommutabiliter manet* Ex his colligo, quod licèt omnino verum sit, quod et creatura aliquid reale sit (cùm cæteroquin non potuisset à DEO fieri, esse et creari) quia tamen non incommutabiliter manet, sic juxta D. Augustinum plurimùm deficit ab esse. Unde æstimo, quòd ens quà ens immediatè significet totum id, quod spectat ad entitatem, et excludit omnem non entitatem. Et consequenter, quòd ens quà ens sit quid illimitatum, æternum, infinitum, et incommutabile : at solus DEUS est illimitatus, æternus, infinitus, et incommutabilis, ergò solus ipse erit ens quà ens, reliqua sunt talia entia. Et eò libentiùs ad hanc inclino sententiam, quò vellem impensiùs extollere DEI mei præcellentiam.

70. Puto enim, quòd inter alias difficultates, quæ in immensum præpediunt à puriore notitiâ Divinorum, sit et hæc una, videlicet excessiva rerum creatarum æstimatio (et præsertim suiipsius, quò intensiùs fertur vitiosus amor.) Et hinc Sanctorum contra seipsos, et omnem creatum amorem ac cujuslibet rei creatæ nimium sensum, implacabile odium. Paulus dicebat : Phil. 3. v. 8. *Omnia arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam*. Et Regius Propheta Psal. 72. v 21. *Ego ad nihilum redactus sum — ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum*. Et Amos Cap. 6. v. 8. 13. Detestatur DEUS *superbiam Jacob*, et eos, *qui* lætantur *in nihilo*. Et hinc Augustini usualis Oratio : *DEUS semper idem noverim me noverim te*. Vel ut humilis Franciscus : *DEUS meus, et omnia. Quis Tu, quis ego ?* Cùm JESUS lutum ponit super oculos nostros tunc videmus. Puto ergò (tamen salvo meliori judicio) ad DEI notitiam comparandam vix quidquam proximiùs accessurum, quam si ritè cognosceremus, quid sit creatura. Ex hoc speculo facilè in DEI notitiam ascenderemus. Quid ergò est creatura ? (Vir Doctissimus mihi colloquenti semel respondit : Ego nescio, quid sit creatura). Ego sic balbutiendo teneo,

quod id quod consulimus aliquid intellecturi (scilicet Rationem, actum purum, et ens quà ens; sive lucem perfecti, in quâ definimus imperfecta) sit ipsum verum Ens entium, DEUS videlicet: Alia omnia verò, de quibus ex tali Ratione censemus comparata ad Ens Divinum non esse strictè entia, sed umbras Entis Divini; sive radios Lucis, ac Rationis æternæ, et incommutabilis, quæ est ipse DEUS: quem puto impossibile esse, nos bene intelligere, nisi intelligatur, ut in se triumphat, ut solus est ipsum verum Ens, aliis omnibus dans esse; subscribo in hoc D. D. Augustino, et Bonaventuræ, si tamen eos intelligo.

71. Unde credo, nisi punctum hoc penetretur, nec bene percipi posse, quid rei sit DEUS. Nil magis impedit à notitiâ DEI, quàm æstimatio proprii esse; et nil magis juvat, et augmentat DEI notitiam, quàm humilis suæ nihileitatis cognitio, et confessio, ut communiter asserunt omnes, qui docent viciniùs DEO appropinquare. Quò et verba D. Pauli, etsi ad alium finem ab eo relata dirigi possent, Rom. 10. v. 3. *Ignorantes enim justitiam DEI* [vel etiam entitatem DEI *et suam quærentes statuere, justitiæ DEI non sunt subjecti.* Imo quamdam veluti injustitiam, et rapinam committerent, si id, quod solius DEI est, sibi attribuerent. An verò, et quomodo solus DEUS sit strictum ens, sciemus, quando videbimus eum sicuti est. Certè D. Bonaventura in fine Cap. 2. Itinerarii mentis, creaturas omnes non entia, sed umbras, resonantias, picturas, vestigia, simulacra, spectacula, et signa divinitùs data, et exempla proposita nominat, quibus mentes rudes ad intelligibilia, quæ non videntur, transferantur, videlicet in DEUM æternum; in primum principium potentissimum, sapientissimum, optimum: in illam æternam originem, lucem, et plenitudinem: in illam artem, omnia efficientem, exemplantem, ordinantem. Hæc ille.

§ II.

COROLLARIUM XVIII.

DEUS concurrit dupliciter cum creaturis, ut causa prima, et ut Regula ratiocinandi.

SUMMARIUM. — 72. Concursus DEI ut causæ efficientis principalis primæ respectu omnis operationis physicæ. — 73. Concursus DEI ut est ratio objectiva respectu actuum rationalium.

72. Sequitur ulteriùs DEUM optimum maximum cum creaturarum operationibus duobus distinctis modis concurrere. Primo ut est

causa efficiens principalis prima, producens, et conservans. Quo sensu concurrit physicè cum quâvis physicâ actione creatâ, et quidem immediatè, tam immediatione virtutis, quàm suppositi. Hic modus est universalis respectu omnium actionum, et operationum creatarum : et est satis notus Philosophis, et Theologis. Quid autem in specie sit iste communis concursus causæ primæ cum quâlibet causâ secundâ, gravissimæ sunt ac fuerunt controversiæ : Ego ut minus sapiens, pro nunc ; donec melius novero, illi adhæreo sententiæ, quæ ait, non esse realem influxum in causam secundam prioritate naturæ præcedentem actionem causæ secundæ, eamque ad dictam actionem infallibiliter physicè prædeterminantem (sive spectetur DEUS ut Auctor rerum omnium, sive ut Provisor rerum supernaturalium) ac proinde non esse motionem præviam : sed esse ipsissimam actionem causæ secundæ (si videlicet sit sermo de concursu DEI in actu secundo) non ut provenit à causâ secundâ, sed ut provenit à causâ primâ. Si verò concursus DEI in actu primo, seu ad intra consideretur, aiunt, esse æternam DEI liberam efficacem volitionem, ut ad effectum terminatam : Addentes quoad priorem simultaneum concursum, actionem causæ primæ determinari quoad speciem ab actione causæ secundæ ; quoad exercitium ac individuum verò ipsius causæ secundæ operationem determinari ab operatione causæ primæ. Videantur et Philospohi (ubi agunt de concursu causæ primæ) et Theologi (ubi tractant de prædestinatione, de gratiâ efficaci, et sæpiùs.) Vide quoque superiùs Cap. 6. à Num. 32.

73. Secundo modo, ut constat ex præmissis, concurrit DEUS, ut ratio objectiva æterna. Qui tamen modus non est universalis, sed tantùm respicit operationes rationales mentis creatæ (tam potentiæ affectivæ, quàm cognoscitivæ ; practicæ, et theoricæ.) Si placet, vide Capitis 1. Sect. 4. totum § 2. et 3. ubi fusè hoc ipsum demonstratum (ut credo) reperies. Interim fateor, etsi putem hunc concurrendi modum constituere ipsum esse rationale mentis creatæ, ut ex dictis colliges, est tamen respectu prioris modi, seu efficientis concursûs Divini minùs in scholis usitatus. Credo nihilominùs esse præsentissimum et facillimum medium ad contemplandam nudam DEI Veritatem, et ad inveniendum DEUM cum Augustino supra mentem nostram, velut lumen super candelabrum. Hoc enim modo invenit Augustinus DEUM, cùm supra mentem suam lucem Domini incommutabilem invenit, ut ipse loquitur Lib. 7. Conf. C. 10.

§ III.

COROLLARIUM XIX.

Et ideo creaturæ rationales non solùm pendent à DEO quoad motum, et quoad esse, sed etiam speciali dependentiâ quoad vitam rationalem.

SUMMARIUM. — 74. Triplex dependentia creaturarum à DEO. — 75. Quas mente cernere possumus.

74. Sequitur proinde, juxta dictum S. Pauli, Act. 17. v. 28. Creaturas omnes pendere à DEO, quoad motum, et quoad esse. Et hoc sensu etiam bestiæ, et entia insensibilia sunt capacia alicujus inactionis Divinæ subjectivè recipiendæ : Ubi DEUS est causa universalis, et ipsæ sunt causæ particulares. Quæ tamen DEI actio non est objectiva, hujus enim sola mens creata capax est. Sola enim mens potest DEUM velut objectum intelligere et amare. Creaturæ ergò rationales specialiter pendent à DEO, etiam quoad vitam rationalem. Unde cit. loc. sic de nobis dicitur : *In ipso enim vivimus, et movemur, et sumus :* Id est, sumus à DEO essentialiter penduli immediatè ut à dante vitam (seu actus rationalis vitæ) motum (seu virtutem, et omnes operationes, quibus ad aliquid esse pervenimus) et ipsum esse (et ejusdem conservationem.)

75. Has tres dependentias naturaliter homo cernere potest, ita tamen , quòd solam primam (id est quâ operationes vitæ rationalis à DEO immediatè pendent) possimus immediatè cernere absque discursu, in solo fixiori intuitu actûs rationalis : sed reliquas duas per discursum. Et prior illa sola immediatè ingerit DEI notitiam, illæ duæ verò mediante discursu. Vide fusiùs inferiùs Append. Dial. 1. Porrò licèt præfati actus rationales pendeant à DEO, ut à ratione objectivâ, tamen etiam pendent à DEO quoad esse ; hæc enim dependentia est communis omni enti creato, ut ex priori Corollario liquet. Unde D. Thomas 1. 2. q. 109. a. 1. sic ait : *Actio intellectûs, et cujuscumque entis creati dependet à DEO, in quantum ad duo, uno modo in quantum ab ipso habet perfectionem sive formam, per quam agit : alio modo, in quantum ab ipso movetur ad agendum.* Hæc D. Angelicus.

§ IV.

COROLLARIUM XX.

Cætera creata proveniunt a DEO, ut ejusdem vestigia, sola mens, ut imago, et species intelligibilis DEI.

SUMMARIUM. — 76. Mens creatur à DEO, ut imago et species intelligibilis, ac proinde DEI notitiam ingenerare potest. — 77. Probatur et declaratur.

76. Sequitur omnes creaturas provenire à DEO per creationem liberam, tanquam DEI vestigia; solas verò mentes creatas tanquam DEI imagines : ac proinde suo modo veluti subsistentes species intelligibiles DEI, quæ vim habeant etiam immediatè et absque discursu per suum rationalem actum DEI notitiam ingerendi. In hoc enim differt imago, seu species intelligibilis à vestigio, quòd illa habeat vim immediatè ducendi in notitiam rei, cujus est : hoc verò solùm mediante discursu.

77. Patet ex dictis, et ex communi Doctorum asserentium cum Magistro, hominem, [idem dicendum de Angelis] esse factum ad imaginem DEI : cætera entia creata esse DEI vestigia. Porrò non esset essentialiter DEI imago natura rationalis, si non aliquo modo et saltem ut ex ratione operans, ad instar speciei intelligibilis vim haberet ingenerandi notitiam ejus, cujus est imago. Dixi, *aliquo modo*, mens enim creata, vel ejus naturalis operatio, non est species intelligibilis DEI sicut species impressa, quæ non directè cognita, ducit in notitiam objecti (de quâ dubium est inter Auctores utrum possibilis sit respectu DEI) sed ad hoc, ut mens operans DEI notitiam generet, debet et ipsa cognosci. Vide suprà Cap. 7. Num. 77. Et Cap. hoc 8. Num. 11. 12. 13.

SECTIO VI.

ALIA QUATUOR COROLLARIA EX SOLE INTELLIGENTIÆ.

§ I.

COROLLARIUM XXI.

Creaturæ per se et exteriùs acceptæ sunt mutabiles, in DEO verò immutabiles, ac proinde in solo DEO dantur immutabiles rerum veritates, ideæ, ac vera exemplaria.

SUMMARIUM. — 78. Creaturæ exteriùs sunt mutabiles, sed ut in DEO sunt immutabiles. 79. Mens D. Augustini de Ideis rerum in DEO æternaliter repertis. — 80 In solo DEO, ac objectivâ luce Solis intelligentiæ dantur rerum immutabiles veritates, ideæ, exemplaria, veræ et immutabiles intellectiones, æstimationes, etc. — 81. Exemplum veri judicii, quid sit Episcopatus.

78. Sequitur creaturas omnes per se, et exteriùs acceptas, esse instabiles, mutabiles, suo modo corruptibiles, etc., et ideo plùs sensibiles, quàm intelligibiles : ut sunt in DEO vero secundùm suum esse ideale, stabiles esse, immutabiles, incorruptibiles, inannihilabiles, etc., et proinde verè intelligibiles. Probatur : quia priori sensu deficere possunt, et sunt ex se mutationibus, et erroribus obnoxiæ, tanquam res creatæ, finitæ, et limitatæ, posteriori verò sunt realiter idem cum DEO, nam sunt ipsæ ideæ Divinæ, et consequenter increatæ, infinitæ, illimitatæ, et immutabiles. Et eò respicit juxta D. Augustinum Textus Joannis : *Quod factum est, in ipso vita erat.*

79. Lege eumdem S. Augustinum Lib. 4. Conf. C. 11. ubi ostendit, omnia creata esse mutabilia in se : in DEO vero stabilia. Et lib. 83. qq. q. 46. sic loquitur de præfatis Ideis. Postquam enim dixisset, Platonem nomine idearum primò usum fuisse perhiberi : rem tamen ipsam esse antiquissimam, imo æternam [ut inferiùs habet] : *Si quidem tanta in eis vis constituitur, ut nisi his intellectis, sapiens esse nemo possit.* Et ideo cùm ante Platonem sapientes dati fuerint, etiam cognitio idearum erit Platone antiquior, qui *alio fortasse eas nomine vocaverunt.* His præmissis sic ad rem ait : *Sunt namque ideæ principales formæ quædam, vel rationes rerum, stabiles atque incommutabiles, quæ ipsæ formatæ non sunt, ac per hoc æternæ, ac semper eodem modo sese habentes, quæ in Divinâ intelligentiâ continentur Et cùm ipsæ neque oriantur, neque intereant, secundùm tamen eas formari dicitur omne, quod oriri et interiri potest, et omne, quod oritur et interit. Anima verò negatur eas intueri posse, nisi rationalis, eâ sui parte, quâ excellit : id est, ipsâ mente, atque ratione, quasi quâdam facie, vel oculo suo interiore atque intelligibili. Et ea quidem ipsa rationalis anima non omnis et quælibet, sed quæ sancta et pura fuerit, hæc asseritur illi visioni esse idonea : id est, quæ illum ipsum oculum, quo videntur ista, sanum et sincerum, et serenum, et similem his rebus, quas videre intendit, habuerit.* Hæc D. Augustinus.

80. Ex dictis collige in solo DEO, vel in solâ objectivâ luce Solis intelligentiæ reperiri immutabiles veritates, rerum veras Ideas, vera exemplaria, veras rerum intellectiones, æstimationes, taxationes, (essentialiter loquendo) ita ut nostra judicia, intellectiones, æstima-

tiones, et taxationes solùm tunc veræ sint : si nimirum conformentur Divinis ideis, et Divinis conceptibus, quos DEUS de rebus ab æterno formavit : falsæ verò erunt, si conformentur conceptibus, et ideis vulgi, aut mundi, aut carnis, aut dæmonis ; quas de rebus falsò formare solent. Sed in exemplo meliùs capies.

81. *Episcopatus* v. g. [ut loquitur Cardinalis Bona in Libello, *Principia et documenta vitæ Christianæ* § 35. Et est æqualis æstimatio facienda de quovis alio aut dignitatis, aut etiam temporalis emolumenti copioso gradu, ac statu] in suâ verâ Divinâ ideâ *est onus Angelicis humeris formidandum* (et ideo fugiendus, nisi obedientia, aliave ratio Divina urgeat) propter strictissimam rationem, de animabus reddendam. Quoad ideas verò vulgi, et carnis, est status [ob honorem, præeminentiam, dignitatem, divitias] valde appetendus, et minimè fugiendus, sed omnibus modis procurandus. Quæ ex istis duabus Ideis vera est? Judica : sed non aliter, quàm ex veris ideis.

§ II.

COROLLARIUM XXII.

Ex hoc lucis intelligibilis mysterio percepto nullum infertur præjudicium, at bene sequitur DEO major gloria, homini accedit major utilitas.

SUMMARIUM. — 82. Doctrina Solis intelligentiæ nulli præjudicat, sed DEI gloriam et proximi utilitatem promovet. — 83. Plùs afficit immediata, quàm mediata rei intelligentia. — 84. Auget notitiam Divinorum.

82. Ex hâc eâdem mentis luce, si astruatur, nullum aut DEO, aut homini sequitur præjudicium, at potiùs inde sequitur DEO major gloria, homini major utilitas. Primum probatur : ideo nil DEO præjudicat, sed inde potiùs major gloria accedit, quia ipsi attribuitur, quod suum est ; solus enim interior lux mentium asseritur, solus intelligentiæ Sol astruitur : ostenditur, quod solus intus docere, et immediatè mentem humanam, vel creatam movere possit, etc. Quòd verò homini nihil deroget, sed eidem major accrescat utilitas, probatur 1. quoad mores. Cùm enim principium omnis boni sit DEUS, et ejus præsentia, ac cognitio ; ut omnes fatentur : et hîc aliquo modo, seu in certo sensu ostendatur DEUS ut homini ratiocinanti immediatè præsens [sicut jam ex probatis constat] non potest hæc immediata DEI speculatio non multùm prodesse. Longè enim plùs movetur

affectus noster ex immediato aspectu alicujus rei, quàm ex im mediato, et per discursum.

83. Quilibet enim naturaliter scire desiderat, imo quilibet cu etiam videre id, quod illatio infert : licèt enim videat conclusi errare non posse, nec idcircò de hoc absolutè dubitet : tamen ita satiat, quàm si immediatè mente suâ rem conclusam con Patet in exemplo. Quilibet enim chariùs habet rem pulchram v quàm eam sibi purè demonstrari, seu probari.

84. Secundò, ex hoc quoque accedit major utilitas, quia oritur major notitia Divinorum, imo et creaturarum, si enim *causæ est etiam causa causati*, ergò cùm sit DEUS ratio Univers quo plùs immediate inspicitur (cum debitis cautionibus, pr ex D. Augustino, D. D. Angelico et Seraphico, aliisque doce plures rationes ac veritates inde apparebunt. *Cùm multa le cognoveris*, inquit Thomas ille Kempensis Lib. 3. de Imit. Ch 43. *ad unum semper oportet redire principium, Ego sum, qu hominem Scientiam — Cui ego loquor citò sapiens erit — E qui humilem in punctò elevo mentem, ut plures æternæ Veritat rationes, quam si quis decem annis studuisset.* Hæc ille. Imo dum est, quod et magnum emolumentum memoriæ inde acc enim revelationi illius B. Viduæ Birgittæ credimus, [vid Cap. 4. Num. 124.] DEUS est Magister memoriæ, ergò ab i movente memoria, et reminiscentia præteritorum erit exsp ut hîc docetur.

§ III.

COROLLARIUM XXIII.

Error circa ea, quæ solùm concomitanter fiunt, detectus per mysterium.

SUMMARIUM. — 85. Error concomitantium detectus. — 86. Applicatur ad materiam.

85. Sequitur per hoc Lucis mysterium, et ejus notitiam, n errorem humanæ consuetudinis detegi, et manifestari : videl [ex inolitô mentiendi, et errandi ; et vitiosè hominibus adul et praxi : et ob alias vitiosas rationes] hominum turba solet concomitanter simul eveniunt, et contingunt ; ita explica

.ius virtute alterum verè resultaret. Hic vitiosus hominum apparet, cum ex simultaneâ casûs sinistri fortuiti ad præsen- v. g alicujus vetulæ, subitò judicant, illam esse veneficam, et um intulisse : Aut si furtum commissum est mendico in ædi- eperto, eumdem furti reum esse : aut domum ab inimico sam fuisse, quia eo tempore visus est interfuisse : aut cùm naturales hominum conversiones attr.buunt Concionatorum diæ, et adhibitæ diligentiæ, eò quod concomitanter ad prolatio- verborum eorumdem fiant : cùm tamen advertere possent, ɔ, quòd conversiones supernaturales sint, etiam causam super- alem exigere, nec à naturali facundiâ, nisi concomitanter eve- ɔosse.

Similis quasi contingit error, cùm à plebe formatur judicium era interioris doctrinæ causâ. Cùm enim homines videant, aut ɟant discipulum intus fieri doctum, ac intelligere et percipere eo prorsus tempore, quando Magister creatus operosè explicat : n judicium efformant, ob ipsam simultaneitatem, et concomi- am, interiorem illam doctrinam, intellectionem, et perceptio- verè in discipulo factam esse ex virtute explicationis operosæ ıtæ à Magistro. ac interiùs influente. Cùm tamen, ut constat ex s, ut sic [si sermo sit de causalitate internâ] concomitantér n ad invicem se habeant, non verè, strictè, ac physicè causaliter, icet non aliter, quàm dum aliquis me monet, ut oculos ad n convertam, qui suâ admonitione minimè potest dici causa ɜ illuminationis [propriè loquendo.] Hinc magnus Augustinus ıerrimè hunc vulgi errorem his verbis taxat, Cap. 14. de Magis- *Falluntur autem homines ut eos, qui non sunt, Magistros vocent, plerumque inter tempus locutionis, et tempus cognitionis nulla interponitur, et quoniam post admonitionem sermocinantis citò discunt, foris se ab eo, qui admonuit, didicisse arbitrantur.* Quasi et : Error magnus est, ea tanquam internas et immediatas cau- et effectus ad invicem componere, quæ solùm concomitanter l eveniunt. Dico *concomitanter,* non dico *casualiter,* quia utique ster monens, licet non interiùs causet doctrinam illam, tamen dit, ut aliunde ad intuitum suorum verborum fiat. Et inde exte- eam causare dicitur. Illud autem dicitur fieri casualiter, quod ræter intentionem, et præter omnem causalitatem etiam extrin- n.

§ IV.

COROLLARIUM XXIV.

Initium Evangelii S. Joannis facilitari videtur per hujus internæ lucis aspectum.

SUMMARIUM. — 87. Sol intelligentiæ prodest ad faciliùs intelligendum mysterium Verbi — 88. Exponuntur primi tres Versus. — 89. Exponitur Versus 4. et 5. — 90. Exponitur Versus 6, 7. et 8. — 91. Exponitur Versus 9. usque ad 14. — 92. Quid de hoc Evangelii initio scribat D. Augustinus.

87. Æstimo (prudentioribus tamen omne judicium committendo) ex hoc eodem lucis arcano sic explicato, et intellecto, parvulum aliquem radium accedere Capiti primo D. Joannis, ut aliqualiter faciliùs et mente concipi, ac intelligi; et simul clariùs explicari posse videatur illud sublimissimum Evangelii initium de Sacri Verbi Mysterio, quod indies Christianorum unicum Sacrificium semper ut concluderet voluit Ecclesia. Quo idem Evangelista, *rogatus ab Asiæ Episcopis adversus Cerinthum, aliosque hæreticos : et maximè tunc Ebionitarum dogma consurgens, qui asserunt Christum ante Mariam non fuisse*, Divinam Christi Nativitatem edixit; ut memorat S. Hieronymus Lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis.

Suppono autem iterùm, ut suprà in Corollario 16. Num. 62. et Cap. 1. Num. 12. ex eodem Maximo Doctore in exponendis Sacris Scripturis, id, quod de hoc eodem initio Evangelii scribit in Epistolâ ad Paulinum, quòd λόγος multa significet : *Nam et Verbum est, et Ratio, et supputatio, et causa uniuscujusque rei, per quam sunt singula, quæ subsistunt : quæ universa rectè intelligimus in Christo.* Hæc ille. Ergò juxta interpretem hujus loci Hieronymum, Christus fuit ab æterno (et semper erit) rerum omnium causa, per quam singula subsistunt; rerum omnium æterna supputatio, rerum omnium ratio (seu definitio, ratio enim est, quæ definit singula) et earumdem rerum omnium Verbum, seu æterna verbalis expressio. Ergò in expositione hujus nominis λόγος possumus quodcumque ex his positis significatis substituere (quæ non tam omninò diversa, quàm se necessario inferentia significata dici debent.) Prout et Doctissimus Cornelius horum significatorum mentionem ingerit, in hoc ipsum Caput.

88. Christus ergò *In principio* (id est ab æterno) *erat Verbum* (seu causa, et ratio omnium rerum) *et Verbum* (seu hæc ratio omnium rerum) *erat apud DEUM* [Patrem : nam. 3. Divinæ Personæ vi cir-

cumincessionis sibi invicem inexistunt.] *Et DEUS erat Verbum* [seu ipse DEUS erat hæc Causa, et Ratio omnium rerum.] *Hoc erat in principio apud DEUM* (id est, hoc Verbum, hæc Causa, seu Ratio, et quod idem est, Idea omnium rerum ab æterno erat apud DEUM, et coram oculis Divinæ mentis, per quam semper, si voluisset, mundum creare potuisset, unde subditur.)

Omnia per ipsum facta sunt :] Id est per hoc æternum Verbum, per hanc æternam Causam, per hanc in mente Divinâ semper existentem Rationem, et Ideam omnium rerum, in tempore omnia actu sunt facta, et exteriùs producta. Quidquid aliquid est, per hanc Rationem factum est : solùm nihil, et peccatum est absque Ratione. Unde sequitur :

Et sine ipso factum est nihil.[sine hoc Verbo, et æterna Ratione nihil omnino fuit productum, aliàs eòipso esset opus stultum, et irrationabile. Unde solum peccatum, seu ipsum nihil est aliquid stultum, et irrationabile, quod absque æternâ Ratione, imo potiùs contra æternam Rationem fit : et in ipso DEO locum non habet, quia in eo *tenebræ non sunt ullæ*, cætera omnia sunt in DEO. Hinc additur:

89. *Quod factum est, in ipso vita erat.*] Creatura in tempore per Verbum et æternam Rationem producta, in eodem æterno Verbo, et æternâ Ratione jam antequam produceretur existebat; sive potiùs erat; non ut quid mortale, et corruptibile, sed ut ipsa Divina Vita, sive ut aliquid immortale, et incorruptibile : res enim ut exteriùs sunt, et in tempore, corrumpi possunt ; ut æternaliter verò in DEO sunt, sic sunt ipsa Divina Vita, sive æterna rerum Ratio. Et hæc est Ratio, quæ mentem creatam illuminat, et Rationalem facit. Unde sequitur :

Et vita erat Lux hominum,] id est, hæc æterna Vita, hæc æterna Ratio est illa ipsa, quæ servit pro luce, quâ illuminantur homines. Quid enim me distinguit à bestiâ, nisi æterna Ratio, cujus ego capax sum, sed bestia non est ejus capax ? Ergo æterna Ratio me facit rationalem, et est ea lux, quam ut homo intueor, et quâ intelligo : de quâ David : *Quoniam apud Te est fons vitæ ; et in lumine tuo videbimus lumen*, etc.

Et Lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt.] Hæc æterna omnium rerum Causa, et Ratio, eòipso quòd sit idem cum DEO, est ubique præsens, ubique lucet, etsi illi, qui velut tenebræ claudunt oculos mentis, illam non videant, aut videre nolint, aut se eam videre non comprehendant, seu non advertant. Proinde Monitor destinatur Joannes :

90. *Fuit homo missus à DEO, cui nomen erat Joannes, hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille Lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine.*] Nec Joannes, licèt Maximus inter Prophetas : nec ullus alius creatus Doctor, vel Magister, etsi à DEO, vel aliis legitimis Superioribus ad docendi munus evocati sint, sunt illa lux, vel lumen, quo credimus, aut intelligimus : nec illi quemquam verè illuminant, aut realiter internè docent, ignorantiamque expellunt : at solummodò dati, ac missi sunt, ut suis verbis exterioribus nos commonefaciant, et testimonium perhibeant de vero æterno lumine, de verâ æternâ luce, de verâ æternâ ratione, quæ sola nos illuminare, ac internè docere potest : Unde subjungitur :

91. *Erat Lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*] Nimirum solùm illud æternum DEI Verbum, ac rerum omnium Ratio est illa Lux vera, quæ verè internè docet, et internè illuminat, ac movet mentem cujuslibet hominis, sive boni, sive mali, quisquis in mundum nascitur : quos omnes per Lumen Rationis, quæ Verbum ipsum est, illuminat, quotieseumque illuminantur. Sed proh pudor ! ad ingens hoc DEI beneficium, quo per hoc Rationis æternæ Lumen nos discernit à bestiis, plurimi turpiter, suo maximo Damno ingrati sunt. Hinc subjungitur : *In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit*] id est amatores mundi, qui Veritatem ex affectu ad peccandum exosi, dissimulant, vel non advertunt se videre hanc communem ubique radiantem Lucem : Nam dum Verbum æternum *In propria venit* [id est in Judæam sibi speciali titulo appropriatam] *et sui eum non receperunt* [ut constat ex Evangeliis. Feliciores pauci ex Judæis, et plures ex Gentibus fuerunt, de quibus dicitur.] *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios DEI fieri, his qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex DEO nati sunt.*] Hi sunt effectus Divinæ Lucis; et simul dispositiones ad ulteriorem Lucis radiationem recipiendam. Ut autem illa Lux, vel Ratio hominum, etiam oculo carnis sensibilis fieret, quæ aliàs per se solo mentis oculo videri potest, subjungitur : *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis : et vidimus* (etiam oculis corporeis) *gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre plenum gratiæ et veritatis.*

92. Lubet hîc annectere, quid de hoc sublimissimo Evangelii initio D. Augustinus scribat Lib. 10. de Civitate DEI, Cap. 29. ubi postquam Platonicorum et præsertim Porphyrii impietatem durius taxasset; sic

dicit, et scribit : *Pudet videlicet doctos homines ex discipulis Platonis fieri discipulos Christi, qui piscatorem suo spiritu docuit sapere ac dicere :* In principio erat Verbum, et Verbum erat apud DEUM, et DEUS erat Verbum, hoc erat in principio apud DEUM. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipsum factum est nihil. Quod factum est in ipso vita erat, et vita erat lux hominum. et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt. *Quod initium S. Evangelii, cui nomen est secundùm Joannem, quidam Platonicus, sicut à sancto sene Simpliciano, qui postea Mediolanensi Ecclesiæ præsedit Episcopus, solebamus audire, aureis litteris conscribendum, et per omnes Ecclesias in locis eminentissimis proponendum esse dicebat. Sed ideo viluit superbis DEUS ille Magister : quia* Verbum caro factum est, et habitavit in nobis : *ut parùm sit miseris quòd ægrotant, nisi se in ipsâ ægritudine etiam extollant : et de medicinâ, quâ sanari poterant, erubescant. Non enim hoc faciunt, ut erigantur, sed ut cadendo graviùs affligantur.* Hæc S. Pater. Vide suprà Cap. 1. Num. 119. Quid idem Augustinus de præfatis Platonicis circa hoc recenseat.

SECTIO VII.

COROLLARIUM XXV.

Intelligentiam totius Sacræ Scripturæ adauget radius hujus Divini Solis, si cognitus et practicè degustatus fuerit.

SUMMARIUM. — 93. Probatur, quia per directum intuitum hujus lucis, phantasmata, intelligentiam impedientia, arcentur : — 94. Si fixiùs inspiciatur, et humillùs invocetur. — 95. Ut suadet Ecclesiasticus Cap. 39. à V. 6. — 96. Christus enim est clavis David, et sensum aperire potest, ut Scripturæ intelligantur. — 97. Gladius spiritus (Eph. 6. v. 17.) Et ejus usus ac utilitas (Heb. 4. v. 12.) recensetur. — 98. Necessarius est ad capienda mysteria, præsertim veteris Testamenti. — 99. Per Solem intelligentiæ manuducimur ad hunc gladium. — 100. Quia et SS. Patres Scripturam exponentes eò mentis aciem direxerunt : et ex ejus radio regulas pro intelligentiâ Scripturæ composuerunt. — 101. Impium est contra unanimem SS. Patrum sensum aliter Scripturam exponere, etiam sub quocumque prætextu. — 102. Recensentur Regulæ pro intelligenda Sacrâ Scriptâ à SS. PP. conscriptæ. — 103. Quid Augustinus de S. Scriptura dicat Lib. 3. Conf. Cap. 5. Et Lib. 2. de Doctr. Christ. Cap. 42. — 104. Scriptura debet eo spiritu legi, quo facta est. — 105. Cur Scriptura, quæ in se bona est plerisque fiat petra scandali? — 106. Ex his colligendum est an Lutherus bene Sacros Codices contra Ecclesiam detorserit.

93. Quinimò ex hoc eodem lucis intelligibilis, ac Solis intelligentiæ splendore practicè et degustato, et diutiùs experimentato, sequitur [ut credo] et in cæteris Scripturæ locis intelligendis, et expo-

nendis non modicum hauriri luminis subsidium. Cùm enim Divinæ Scripturæ sublimitas, et Majestas, ob tot mirabiles reconditos sensus, et varia in se comprehensa mysteriorum arcana sit multum humanæ menti impervia, et obscura, exigit aciem mentis longiori exercitatione limari, et ad intelligenda ejusmodi Sacramenta disponi. Oportet quoque animum multoties cum S. Augustino à turbâ circumvolitantium phantasmatum rerum sensibilium, et accidentalium, ad nudam rerum veritatem elevare. Constat enim inter cætera etiam haud minimum impedimentum ad intelligendum, esse turbam phantasmatum, quæ ultrò, et non accita menti aliquid intellecturæ sese importuniùs inferunt, et in mille distractiones dispergunt : Ut idem D. Augustinus conqueritur in suis Conf. Lib. 7. Cap. 7. Unde fit, quòd pluribus intentus minor sit ad singula sensus ; et intelligenti necessitas imponatur, loco veritatis, vel unà cum veritate ipsa Veritatis involucra, id est phantasmata, concipiendi. Sed certum est, quòd per hoc lucis mysterium, quo ipsa pura Rationis, et æternæ Veritatis Lux oculo mentis objicitur, et nudà per se aspicitur, plurimùm dicta phantasmata rejiciantur : ac ipsa proinde per se nuda Veritas plurimùm detegatur ; ut experto constabit, aut constare poterit, si et longiori praxi, et fixiori intuitu, et corde haud malè affecto, in dictam lucem quis intenderit.

94. Et planè quis dubitet, Ipsum intelligentiæ Divinum Solem non copiosiùs menti radiare, ipsum intelligentiæ spiritum non uberiùs cordi illabi, si et fixiùs inspiciatur, et humiliùs invocetur. Unde longissimè errant à via veritatis (et dixerim à sincerâ factorum Librorum intelligentiâ) qui cum illis insipientibus, et insensatis, Sap. 5. v. 2. dicere habent : *Erravimus à via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis, et Sol intelligentiæ non est ortus nobis.*

95. Feliciùs ad Veritatem, et rectum Bibliorum sacrorum intellectum deveniunt illi, qui sapientem virum imitati, Eccli. 39. v. 6. à solis æterni fulgore mentis oculos non advertunt, sed *cor suum* tradunt *ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illos, et in conspectu altissimi deprecantur ; et aperiunt os suum in oratione, et pro delictis suis deprecantur.* Ex hoc enim tam serio Divini Solis intuitu, et uberiori mentis contemplatione, et vigiliâ, cordeque tam recto, fiet id, quod sequitur : *Si enim Dominus Magnus voluerit SPIRITU INTELLIGENTIÆ replebit illum, et ipse tanquam imbres mittet eloquia sapientiæ suæ — et ipse* (Dominus) *diriget consilium ejus, et Disciplinam,* etc.

96. Secundò certum est, quòd ipsa clavis David (ad aperiendam,

ac intelligendam Sacram Scripturam, et ejus reconditos sensus ordinata) sit ipse Christus Dominus. Unde Apocal. 3. v. 7. dicitur ipsum habere clavem David, *qui aperit, et nemo claudit, claudit, et nemo aperit*. Et Luc. 24. v. 45. *Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas*. Et Ecclesia ante ferias Natalitias, *O clavis David*, etc., sed Christus Dominus, et Sol intelligentiæ sunt idem (ex Probatis.) Ergò Sol intelligentiæ, et ejus radius, practicè, et experimentaliter degustatus, non potest non plurimùm prodesse ad intelligendam Scripturam.

97. Tertiò certum est, quòd ut quis Divinæ Scripturæ mysteria, et penetret profundiùs, et fructuosiùs exponat, accinctus esse debeat cum illo gladio, de quo S. Paulus Ephes. 6. v. 17. *Assumite gladium spiritûs, quod est Verbum DEI*. Cujus gladii usum, et utilitatem describit ad Hebræos 4. v. 12. Quod videlicet sit *vivus et efficax. et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ, ac spiritûs; compagum quoque, ac medullarum, et discretor cogitationum, et intentionum cordis*. Quia eo uti oportet, ut in Divinâ Scripturâ distinguere, ac discernere valeamus animam à spiritu, hominem animalem à spirituali, litteram occidentem à spiritu vivificante [ut idem Apostolus 2. Cor. 3. v. 6. ait : *DEUS idoneos fecit nos Ministros novi Testamenti, non litterâ, sed spiritu: littera enim occidit, spiritus autem vivificat*]. Item per eumdem gladium discrimen advertimus, et hoc præsertim quòad intelligentiam veteris Testamenti, inter Judæum manifestum, et inter Judæum, qui in abscondito est (ut habetur Rom. 2. v. 28.) aut inter circumcisionem in carne, et circumcisionem cordis in spiritu (ibidem). Aut inter Israël secundùm carnem, seu carnalem Israëlitam. et inter spiritualem, qui est Israël DEI (Rom. 9. v. 6. 1. Cor. 10. v. 18. Galat 6. v. 16.) inter filios promissionis, ac fidei Abrahæ, et inter filios carnis (Rom. 4. v. 12. et C. 9. v. 8.) Inter Hierusalem, quæ desursum cœlestis est, et Mater nostra, et inter Judaicam, quæ occidit prophetas [Gal. 4. v. 26. Matt. 23. v. 37.] Inter templum non manu factum, sed mysticum; et inter templum manibus constructum [Act. 17. v. 24. 1. Cor. 3. v. 16. 17.] Inter Ecclesiam quæ Christum cum Zachæo suscepit, et inter Synagogam, quæ hæredem occidit (Luc. 19. v. 5. Matth. 21. v. 39.)

98. Hæc et plura his similia Divinæ Scripturæ Sacramenta (sine quorum intellectione Scriptura, præsertim veteris Testamenti, non vivificat, sed magis occidit) plurimùm egent, ut dissolvantur, ac intelligantur præfato spiritûs gladio, à quorum proinde intelligentiâ

totius Sacræ Paginæ utilis interpretatio dependet : quæ si cum B. Paulo, aliisque novæ Paginæ Sacris Scriptoribus in exponenda Scriptura non ritè observentur, in maximos Judæorum, Hæreticorum, aut etiam Gentilium errores prolabi necessum est. Inde enim tam crassè hæretici delirarunt, crassiùs Judæi, turpiùs Gentiles, et Athei; quia hoc spiritus, ac discretionis gladio non usi sunt, quia illo caruerunt : ex cujus carentiâ, et inobservantiâ constat in quam abominanda errorum monstra prolapsi sint, omnia, vel plurima ad litteram, et sensum carnalem interpretantes, quæ non nisi spiritualiter intelligenda sunt.

99. Quod autem hic præsens Solis intelligentiæ, ac incommutabilis Lucis Tractatus nos ad hunc spiritûs, et discretionis gladium manuducat; Aliis discernendum relinquo. Hoc ego crediderim, quod diligens inspectio interioris Divinæ Lucis non parùm intellectum homini elevet ad ipsam per se nudam veritatem, et immutabiles, ac veras rerum Ideas : et simul moneat hominem, ut per incorruptum cordis affectum solerter advertat, et audiat; quid per æternam, et incorruptam rationem in se loquatur Dominus DEUS. Proinde æstimo, quòc quantum quis hunc æterni ac Divini Solis radium experimentaliter degustare valuerit, tantùm, et non plùs de præfato spiritûs gladio ad dissolvendum omne Scripturæ dubium ordinato degustabit : interim semper Divinæ Gratiæ (quæ datur singulis prout vult DEUS 1. Cor. 12. v. 11.) primatum, ac principale officium quoad hoc concedendo.

100. Quartò certum est, nec judico rationabiliter negari posse, quod etiam ipsi SS. Patres, quos constat hoc spiritûs gladio plurimùm accinctos fuisse, ex diligentiori intuitu æternæ hujus Lucis, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; et ex humili cordis attentione, quid in ipsis loqueretur Dominus DEUS, Sacram Scripturam exposuerint, et ex eodem intuitu infallibiles Regulas, ad eamdem absque nocivo errore exponendam, nobis conscripserint, et conscriptas reliquerint. Quas quisquis attentâ mente perspexerit, advertet eas non solùm æternæ rationi conformes, sed ex ejusdem æternæ rationis solertiori attentione progenitas. Quas in Lectoris gratiam hîc apponere volui, sed succinctè, et per synopsim; ita tamen, ut illarum fidelissimum sensum non pervertam. Verba formalia SS. Patrum videri possunt apud Georgium Ederum Frisingensem, in suâ Æconomiâ Bibliorum Lib. 1. Tab. 75.

* Regulæ, seu Canones Generales ad intelligendam Sacram Scripturam, juxta mentem Sanctorum Patrum.

. . . . . .

SECTIO VIII.

COROLLARIUM XXVI.

* *Sol intelligentiæ cum suo lucis radio evidenti rationabilitati fidei Catholicæ, et evidenti irrationabilitati aliarum sectarum adstipulatur.*

. . . . . .

SECTIO IX.

COROLLARIUM XXVII.

Quilibet homo in secreto cubili mentis suæ habet reconditum secretum oraculum, quod infallibilia responsa interroganti fundat, modo bene interrogetur, et liquido audiatur.

SUMMARIUM. — 186. Quivis habet in cubili mentis suæ secretum oraculum. — 187. Est conforme dictis D. Augustini. — 188. Et D. Bonaventuræ. — 189. Mentis oraculum adumbratur cum oraculo Tabernaculi Mosaici. — 190. Qualiter ad quæsita respondeat — 191. Responsio illius est infallibilis, quia imprejudicabilis. — 192. Beati, qui audiunt hoc oraculum, miseri, qui non audiunt. — 193. Unde hæc aurium gravitas oriatur, etc., quia non sumus domi. — 194. Frustra patent fenestræ, si is, qui aspicere debet non sit domi. — 195. Conclusio de Oraculo.

186. Denique ex probato Solis intelligentiæ lumine inextinguibili et indeficiente; quod immediatè omnes intus illuminet, et doceat absque strepitu verborum, sequitur, quemlibet hominem in cubili mentis suæ habere reconditum secretum quoddam Oraculum, quod infallibilia responsa fundat; si bene, si fixè, si uti fieri debet dilucidè consulatur, et irretortis mentis oculis, et corde per malos affectus non curvo, diligenter, quid respondeat, audiatur. Felix certè humanæ sortis conditio, posse DEI verba in secreto cordis audire, quando, quoties, et ubi quis voluerit: Ut non necesse sit homini aliud cum Moyse tabernaculum intrare; vel cœlum ascendere, aut in abyssum ire; aut mare, et aridam transmeare, ut veritatem quis audiat, et addiscat. *Regnum DEI intra vos est,* inquit Christus Luc.

17. v. 21. Et Moyse, Pauloque attestantibus (Deuter. 30. v. 14. Ro[illegible]n. 10. v. 8.)*Prope est verbum in ore tuo, et in corde tuo : hoc est Verbu[illegible]m fidei, quod prædicamus.* Quo videlicet DEUS Optimus Maximus hom[illegible]i-nem, etiam Viatorem, intus supernaturali voce alloquitur, et [illegible]d quæsita ejus illi respondet. Sed et dixerim per Verbum Ratio[illegible]is naturalis, quo *signatum est super nos Lumen vultûs DEI* (Psalmo 4. v. 7.) et quærentibus dilucidè respondet DEUS, etsi non diluci[illegible]è semper audiatur. Quod hoc Corollarium ex dictis sequatur te teste [illegible]n invoco Lectorem : si enim suprà dicta vera concesseris : videlice[illegible]t, quòd æterna effata Rationis, et conscientiæ non errantis sint imme-diatæ DEI voces, ad mentes prolatæ; nec hoc poteris negare. Se[illegible]d nec aberro à modo loquendi Sanctorum Patrum.

187. Etiam sanctus Augustinus, de Magistro Capite ultimo, voc[illegible]at hanc internam Lucem, secretum Oraculum : sic enim inducit Ade[illegible]-datum loquentem : *Verum tamen huic tuæ orationi, quâ perpetuâ us[illegible]s es, ob hoc habeo maximè gratiam, quod omnia, quæ contra dice[illegible]e paratus eram, præoccupavit, atque dissolvit; nihilque omnino abs [illegible]e derelictum est, quod me dubium faciebat, de quo non ita mihi respo[illegible]-deret* Secretum *illud* Oraculum, *ut tuis verbis asserebatur.* Hæc ibi. [illegible]t Capite 1. *Ille autem, qui consulitur docet, qui in interiore homi[illegible]e habitare dictus est Christus, id est incommutabilis DEI virtus, atq[illegible]e sempiterna sapientia, quam quidem omnis rationalis anima consuli[illegible]; sed tantum cuique panditur, quantum capere, propter propriam, si[illegible]e malam, sive bonam voluntatem potest. Et si quando fallitur non f[illegible]t vitio consultæ veritatis : ut neque hujus, quæ foris est lucis vitium es[illegible], quod corporei oculi sæpè falluntur : quam lucem de rebus visibilibu[illegible]s consuli fatemur, ut eas nobis quantum cernere valemus ostendat.* E[illegible]n totum quod volo ! Et Lib. 10. Confess. c. 26. sic ait : *Ubique Verita[illegible]s præsides omnibus consulentibus te, simulque respondes omnibus, etian[illegible]n diversa consulentibus te. Liquidè tu respondes, sed non liquidè omne[illegible]s audiunt. Omnes unde volunt consulunt, sed non semper quod volun-[illegible] audiunt* [quando nimirum rationem reclamantem volunt detorquer[illegible] in favorem suarum malarum voluntatum.] *Optimus minister tuus est, [illegible] qui non magis intuetur hoc à te audire, quod ipse voluerit, sed potiu[illegible] hoc velle, quod à te audierit.* Hæc Augustinus ad meum scopum [illegible] verissimè, et sanctissimè.

188. Sed nec Seraphicus Bonaventura, Augustinianæ anagogiæ [illegible] hæres plenissimus, dissentit ab Oraculi nomine, dum in Itinerario [illegible] Cap. 3. sic ait : *In mente nostrâ Divinâ relucet imago — ubi ad modum [illegible] candelabri* (alludit ad Tabernaculum Mosaicum, in cujus anterior[illegible]

parte lucebat candelabrum septiceps) *relucet Lux veritatis in facie nostræ mentis*, etc. Hæc Doctor Seraphicus. Et bene ad scopum Oraculi, Ut enim legitur Exodi 33. à v. 7. *Et omnis populus, qui habebat aliquam quæstionem, egrediebatur ad Tabernaculum fœderis extra castra. — Ingresso autem* [Moyse] *Tabernaculum fœderis descendebat columna nubis, et stabat ad ostium — loquebatur autem Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum.* Et inde velut ex Oraculo quæstiones et dubia Moysi et populo resolvebantur : præcepta intimabantur, pœnæ ac fulmina intentabantur, quidquid boni gratum habebatur, quidquid mali vituperabatur.

189. Magnum itaque fuit Judæorum privilegium : sed nec minus dixerim, quo omnes ratione præditi fruimur dono : nobilissimo videlicet internæ mentis oraculo, quo jugitur et DEUM alloqui, et ipsum nobis intus alloquentem audire possumus, nisi nubes, quæ præ foribus est loquelam Divinam intercipiat, prout intercipiebat Judæis extra Tabernaculum foris existentibus. Quamvis enim Sol intelligentiæ DEUS sit vera lux, in quâ tenebræ non sunt ullæ, ac proinde quantum est in se liquidè ac clarè nobis intus loquatur : nos tamen miseri haud semper liquidè, seu clarè audimus, nescio, quâ nube, aut meliùs dixeris, quo luto consperso mentis sensorio, ut quamvis Divinus Spiritus intus spiret, et quoties rationaliter agimus quamdam ejus vocem audiamus, tamen nesciamus unde loquela hæc veniat, aut quò vadat : cujus vox ea sit, et ad quem finem prolata. Et interim verum manet, quòd solus DEUS intus loqui possit, et omnis DEI loquela bonum aliquod intendat, ac respiciat. Et DEUS menti præest, ut ejus dubia resolvat, si ut ordo postulat liquidò mens illum interrogaverit.

190. Ad exemplum loquamur. Dubitas fortè, num v. g. inter res totius universi aliquod ens detur absolutè necessarium, cui velut anchoræ cor tuum stabiliter et imperturbatè connectere valeas : vel an potius cuncta prorsus, nullo excepto, fluctuent et contingentia sint. Si hanc quæstionem decisam peroptas ingredere cum Moyse Tabernaculum, et eam, quæ in facie mentis tuæ relucet veritas, inquirito, et liquidissimè ac clarissimè tibi respondentem, percipies. Sic enim intus loquetur : Si nullum inter res tòtius universi daretur absolutè necessarium ac stabile, sed omnia velùt contingentia fluctuarent, etiam possibile esset nihil rei unquam extitisse, quia juxta clarum mentis internum radium, quidquid contingens est, eòipso, quòd sit contingens potuit non esse : imo quidquid est possibile fieri est possibile factum esse absque ullo contradictionis incommodo.

Sed ecce quale incommodum, si nihil rei unquam æternaliter fuisset, etiam jam de facto nihil esset. Quis enim, nullâ re existente, valuit ea, quæ nunc sunt entia de non entitate ad eam, quam nunc habent entitatem mutare, cùm æternaliter et immutabiliter cernas impossibile, id quod est nihil, seu non ens, posse quidquam facere. Sic ad propositum quæsitum respondet internum mentis Oraculum.

191. Si dixeris : Nunc ita nobis apparere, non quòd verum sit, sed quia spuria ac viridia mentis specula, ac illa, quâ nunc cernimus mentis lux, sic rem aliter, quàm est, exhibet ; si aliâ luce prædit essemus, errorem corrigeremus, et sic possemus, advertere, etiam æternaliter nullâ re existente posse nihilominus incipere aliquid esse per seipsum absque factore. Contra : hæc cogitare potes quamdiu teipsum, ac eam quâ vivis lucem non agnoscis, non intueris. Id corrigi potest, quod mutabile est, quod non æternum est, quod circumscriptum, quod mortale est, quod occiduum est : non id quod immutabile est, quod æternum, quod incircumscriptum, quod immortale, quod inextinguibiliter et indeficienter radiat. Lux, quâ tu vivis, et judicas, totum v. g. excedere partem, non potest occidere, quia incommutabilis est, quia æterna est, quia incircumscripta est, es ipsa immortalis vita. *Verba, quæ ego* loquor ad te [inquit eadem mentis interna vita Joannis 6. v. 55.] *Spiritus et vita sunt — Verba vitæ æterna.* Imo non tam sunt verba vera [quasi aliâ veritate vera existerent] sed sunt ipsa prima, æterna, fontalis, incommutabilis et impræjudicabilis veritas, contra cujus radium nullum omnino præjudicium timendum est, aut timeri potest, quod illum extinguat, aut falsitatis redarguat. Transcendit enim et complectitur omnia lumina, facta et non facta, existentia et merè possibilia. Quod enim totum v. g. excedat partem est necessario verum in omni ente sive possibili sive actuali. Et hæc ipsa est impræjudicabilis et incircumscripta illa lux, quâ tu ipse intelligibiliter vivendo, ut suprà, ratiocinaris. Quæ proinde non est spuria, aut viride speculum, quod aliter quàm res sunt coloret.

192. Ergò verum est, nec aliter esse potest, quod inter universitatis entia detur unum Ens entium absolutè necessarium, cui velut anchoræ cor tuum stabiliter, ac imperturbatè connectere valeas, ac dicere cum Propheta Ps. 72. v. 28. *Mihi autem adhærere DEO bonum est.* Unde felices illæ ad DEI interiorem loquentem vocem obedientes animæ, de quibus dicitur Joan 10. v. 27. *Oves meæ vocem meam audiunt :* et hæ profectò sunt amicæ Sponsi, quæ stant et audiunt eum, *gaudio* gaudent *propter vocem Sponsi.* Sed væ surdis illis, de

quibus Divinus conqueritur Sponsus Jo. 8. v. 47. *Propterea vos non auditis, quia ex DEO non estis.*

193. Sed dixerit quispiam, unde procedat, quòd reperiantur homines ad DEI internam vocem totaliter surdi ! aut quod sat commune est, etsi plures DEI, loquelam percipiant, non tamen ea quâ par est reverentia excipiant : imò longè gratiùs colloquutorem mortalem verba facientem audiant ? Prioribus Christus sententiam pronuntiat, Joan 8. v. 47. *Propterea vos non auditis, quia ex DEO non estis.* Posterioribus (à quorum numero, nec meipsum sufficienter exceptum agnosco) sic respondendum autumo. Nimirum assueti sumus cogitare creaturas, revolvere entia concreta, et ea, quæ ad sensum patent : et hinc longo garritu ea illis proferimus, quos et sensibiliter respondentes sentire possumus : et ideo delectamur, si aut auditorem interiorum sensuum nostrorum participem facere possumus, aut in eam, cujus nos sumus [licèt fortè curvam] pertrahere sententiam : aut timentem in spem erigere, vel audacem timere facere. His delectamur, et colloquutoris sensibile responsum avidè expectamus. Sed vicissim internus colloquutor DEUS, partim quia solùm intus non ad sensum loquitur, partim, quia ejus vocis loquela inflexibilis est nec semper quæ placet ingerit, ideo minus sapit. Et in hoc Regem Israël mitamur, qui Michæam Prophetam audire nolebat, imo oderat 3. Reg. 22. v. 8. *Quia non prophetat mihi bonum, sed malum.* Sic et interna DEI loquela quandoque minus sapit, quia injucunda enunciat, edicit, ac minatur. Præcepta multiplicat, pœnas ac flagella intentat. *Ego sum Dominus DEUS tuus,* ait Exodi 20 à v. 20. *Non habebis Deos alienos coram me, — Non assumes Nomen Domini tui in vanum, — Memento ut diem Sabbathi sanctifices ; Honora Patrem tuum, et Matrem tuam, — Non occides : Non mœchaberis, non furtum facies, non loqueris contra proximum tuum, non concupisces,* etc. Ego sum *Dominus DEUS tuus fortis zelotes,* etc. Hæ causæ sunt, quòd vox interioris Oraculi non semper aut placeat. aut sufficienter discernatur, quia dantur homines, *qui* nolunt *intelligere ut bene* agant. Et quod DEI interiorem loquelam parùm vel nihil advertimus, etiam ut plurimùm causa est, quia non sumus domi, is, qui audire deberet vagatur foras : solæ exteriores fenestræ [id est sensus externi] sunt domi : sed internus habitator, qui per eas aspicere deberet, aliò profectus est : Unde præter species, quas sensus hauriunt, nihil veritatis descendit in cordis thesaurum.

194. Et eò respiciunt aurea verba toties citati D. Augustini Tom. 10. Lib. 50. Homil. 31. *Ne sis ingratus ei, qui te fecit videre, unde*

possis credere, quæ nondum potes videre. Dedit tibi DEUS oculos in corpore, rationem in corde, excitationem cordis : erige interiorem habitatorem interiorum oculorum tuorum, assumat fenestras suas, inspiciat creaturam DEI. Est enim aliquis intus, qui per oculos videat. Nam quando aliquando in me cogitas averso interiùs habitatore, quæ sunt ante oculos tuos non vides. Fenestræ enim frustra patent, quando qui per eas attendit absens est. Non ergò oculi vident ; sed quidam per oculos videt : erige illum, excita illum. Non enim denegatum est tibi, rationale animal te DEUS fecit, præposuit te pecoribus, ad imaginem suam te formavit, Siccine uti illis debes, ut pecus tantum, ut videas, quid addas ventri, non menti ? Erige ergò rationalem aspectum, utere oculis ut homo, intende cœlum et terram, ornamenta cœli, fœcunditatem terræ, volatus avium, natatus piscium, vim seminum, ordinem temporum. Intende facta, et quære factorem ; aspice, quæ vides, et quære, quem non vides. Crede in eum, quem non vides, propter ista quæ vides. Et ne sermone meo te exhortatum putes, Apostolum audi dicentem : Invisibilia enim DEI à creatura mundi per ea. quæ facta sunt, conspiciuntur. *Postponebas ista, nec attendebas ut homo, sed ut animal irrationale. Clamavit ad te Propheta, et frustra clamavit :* Nolite esse sicut equus et mulus, quibus non est intellectus : *Videbas ergò ista et postponebas.* Hæc sapientissimè D. Augustinus de rationabiliter ac attentè, et cum devotione observando interioris mentis Oraculo : cujus equidem vox non solùm ea, quæ in anima sunt nobis enuntiat, sed etiam quidquid in animam per portas 5. sensuum ingreditur [prout et D. Bonaventura sentit in Itinerario Cap. 2. et 3.] modo is, qui per fenestras aspicere debet domi sit.

195. Circumportamus ergò in facie mentis nostræ lucem ac radium veritatis æternæ, qui ad instar Divini Oraculi si bene, liquide ac ordinatè interrogetur, etiam liquidè respondebit, et non solùm speculativis, sed etiam practicis, et moralibus ; sive nostram, aut alienam conscientiam concernentibus. Sed vide, qualiter audias, et ad ejus vocem intentus sis ; et num gratum tibi sit ea semper audire quæ Veritas, et Ratio loquitur ? Ego audio mihi sic loquentem, Eccles. 12. v. 13. *Finem loquendi pariter omnes audiamus : DEUM time, et mandata ejus observa : Hoc est enim omnis homo : et cuncta, quæ sunt, adducet DEUS in judicium pro omni errato, sive bonum, sive malum illud sit.* Et in hoc finio Caput 8.

CAPUT IX.

SCUTUM SOLIS INTELLIGENTIÆ QUO OBJECTIONES CONTRA DEI ET ENTIS SUMMI INTERNUM MAGISTERIUM SOLVUNTUR

* MONITIO AD LECTOREM.

. . . . . .

* SECTIO I.

OBJECTIO I.

* EX PARTE HÆRETICORUM.

. . . . . .

* SECTIO II.

ALIÆ IV OBJECTIONES PROPONUNTUR AC REFUTANTUR.

§ I.

OBJECTIO II.

A contrario usu loquendi.

. . . . . .

§ II.

OBJECTIO III.

Ut sic non esset necessarius intellectus agens.

. . . . . .

§ III.

OBJECTIO IV.

Ut sic species intelligibiles essent superfluæ.

. . . . . .

OBJECTIO V.

Ut sic actus scientiæ non produceretur à solo intellectu.

. . . . . .

SECTIO III.

ALIÆ QUATUOR OBJECTIONES.

§ I.

OBJECTIO VI.

Ut sic idem esset æternum, et non æternum.

. . . . . .

§ II.

OBJECTIO VII.

Ut sic quivis à Deo illuminaretur, et amore caleret.

. . . . . .

§ III.

OBJECTIO VIII.

Si Deus solus docet, quo genere causalitatis?

. . . . . .

§ IV.

OBJECTIO IX.

Res corporea potest movere mentem, ergò non requiritur lumen inc cumscriptum.

SECTIO IV.

ALIÆ QUATUOR OBJECTIONES.

. . . . . .

§ I.

* OBJECTIO X.

Si solus Deus esset veritas, etiam solus Deus esset entitas.

. . . . . .

§ II.

OBJECTIO XI.

An objectiva rerum veritas, quam dicimus cum DEO identificari, sit sola non repugnantia terminorum ?

SUMMARIUM. — 46. Veritas objectiva non videtur identificari cum DEO. — 47. Respondetur primò : quia omnis veritas realis ponit aliquid in re. — 48. Respondetur secundo : quia convenientia inter prædicatum et subjectum debet in aliquo reali fundari, etiam cùm dico : nihil est nihil.

46. Objicies 11. Veritas objectiva, quæ secundùm te interiùs docet, nihil ponit in re ; sed est sola non repugnantia terminorum : nec enim veritas æterna ac immutabilis, et ubique vera, dicitur talis, ob aliquid positivum reale, realiter in rerum natura existens : sed ob solam connexionem prædicati cum subjecto, quatenus intellectui objici, ac ab eo exprimi, ac pronuntiari, etiam ab æterno [positâ existentiâ intellectûs] potuisset. Ergò veritas objectiva non potest realiter identificari cum DEO, qui est ens reale, positivum, infinitum, æternaliter existens. Imo videtur esse contra fidem, dicere, rerum veritates esse realiter ac positivè æternas. Sunt enim tantummodo æternæ in ordine ad intellectum si daretur : qui semper posset de illis propositiones formare ; quas ideo æternæ veritatis appellamus. Nec harum propositionum, et veritatum fundamentum, est aliqua realis existens entitas, vel existentia ; sed sola continentia [seu convenientia] prædicati in subjecto, ita ut in conceptu subjecti [à quocumque tandem fiat conceptus formalis] contineatur prædicatum. Imo tales propositiones æternæ veritatis etiam de non entibus, et de nihilo formari possunt. v. g.

Nihil est nihil.

Hæc est propositio æternæ veritatis, et quis dixerit in hâc veritate, et propositione aliquid reale importari ? Ergo falsum est, quòd veritas, seu propositio æternæ veritatis importet realiter DEUM, et sit idem

cum DEO, aut quod ut sic DEUS realiter interiùs doceat hominem scientiam, et omnem scientiam.

47. Quoad hanc subtilem objectionem, sufficiat ostendere, quàm sit invalida. Respondeo ergò negando, quòd veritas æterna nihil ponat in re, imo ponit ens positivum, reale, infinitum. Vide suprà Cap 7. Num. 32. Ad rationem dico, falsum esse, quòd realis veritas dicat solam non repugnantiam terminorum ad invicem, quasi sensus esset, quòd prædicatum non actu afficiat æternaliter subjectum, sed solùm possit afficere : nam ab æterno hoc predicatum, *excedere partem,* essentialiter, et actu infuit, et semper inest huic subjecto *Totum.* Et quidem ita actu inest, ut semper prædicari potuerit inesse : quod autem per creationem, vel productionem actu fiat *Totum,* et *Pars,* ibi non conciliantur, aut connectuntur hæc duo quòad veritatem [cum jam priùs, imo æternaliter connexa sic fuerint] sed quoad existentiam. Nam quælibet res duo importat 1. æternam suam rationem, seu veritatem. 2. suam temporalem existentiam. Juxta priorem statum nulla res in tempore fit, aut producitur [ut sic enim sunt æternaliter in DEO, juxta illud Joannis 1. v. 14. *Quod factum est,* etc.] bene autem juxta posteriorem, ut sic enim realiter à DEO procedunt.

48. Respondetur secundò, concedendo, quòd propositiones veræ dicantur à verâ convenientiâ prædicati, et subjecti. Sed dicas, quæso, in quo hæc convenientia fundetur? et à quo formaliter rerum, seu prædicatorum convenientiæ et disconvenientiæ proveniant. Quare v. gr. *homo* et *animal,* sunt æternaliter summè connexa, non verò *animal,* et *lapis* ? Certè debet esse aliqua causa, seu ratio æterna hujus connexionis, et veritatis ; quæ ratio erit æternus ipse DEUS. Adde, quòd intellectus non faciat suum objectum [aliàs esset fictio] sed priùs præsupponat : ergò veritates debent esse æternæ per se, non ab intellectu. Imo ideo intellectus nominat æternas veritates, quia sic reperit esse. Et hinc etiam cùm dico : *Nihil est nihil,* est verissima propositio æternæ veritatis : consequenter necessaria non minùs quàm hæc : *Res est res, DEUS est DEUS* : sed nego, et pernego, quòd hæc propositio nihil reale positivum importet : importat enim DEUM : sive ens æternum, ac Divinum, quod hanc propositionem (sicut, et cæteras) ab æterno per suam positivam rationem verificat : quia sicut in DEO datur vera, et realis ratio, cur *ens* sit *ens,* et *homo* sit *animal,* ita etiam datur in eo æterna ratio, cur *nihil* [id est recedens ab ente] sit verè *nihil* (id est verè recedens ab ente). Est enim hic sensus : Recedens ab omni ente, et nihil parti-

ipans de vero æterno ente. vere nihil participat de vero æterno ente : quod perquam verissimum est : sed tamen absque ente non est verum. Cùm enim *nihil* sit terminus negativus, non potest intelligi absque positivo : est enim negatio positionis. Negationes autem essentialiter debent intelligi per positiones. Consequenter, ipsorum eterna veritas non fundatur in nihilo, sed in illo positivo, quod negant : quod est æternum ens. Et sicut *non ens* cognoscitur per *ens*, ita etiam *negatio entis* cognoscitur et verificatur *per affirmationem entis*. Legatur Caput 5. Itinerarii mentis in DEUM Seraphici Doctoris : ubi sic ait : *Cùm autem non esse privatio sit essendi, non cadit in intellectum, nisi per esse : esse autem non cadit per aliud : quia omne, quod intelligitur, aut intelligitur, ut non ens, aut ut ens in potentia, aut ut ens in actu. Si igitur non ens non potest intelligi nisi per ens, et ens in potentia non nisi per ens in actu, et esse nominat ipsum purum actum entis : esse igitur est, quod primo cadit in intellectum, et illud esse est, quod est actus purus*. Hæc D. Seraphicus, subjungens, quòd sit esse non *particulare*, non *arctatum*, non *permixtum cum potentia*, non *analogum*, sed *Divinum*. Quibus verbis confirmat meum Corollarium tertium, ubi dixi, DEUM esse inter omnia primum cognitum, et primum amatum.

Ad id quod dicitur, videri contra fidem, asserere, veritates rerum esse aliquid positivè ac realiter æternum. Respondetur negando, quia hoc asserendo non multiplicantur realiter entia æterna, eòipso, quòd dicatur simplicissimum DEUM esse omnem veritatem, ita ut omnes veritates, prout æternaliter sunt in DEO, sint una simplicissima veritas, unum simplicissimum ens. Quin imo Thomistæ communiter aiunt, et omnes essentias rerum creatarum esse ab æterno, et hinc realiter distingui à rerum existentiis. Cùm solus DEUS existat per essentiam, velut ens summè necessarium : si enim etiam creaturæ per essentiam existerent, implicaret eas non existere, sicut implicat hominem non esse hominem. Hæc illi. Ego saltem dico veritates rerum constitui per aliquid æternum et à rebus distinctum. Vide plura Cap. 4. à Num. 57. Et Cap. 7. à Num. 26. Ubi fusè probatum fuit solum DEUM esse veritatem.

§ III.

OBJECTIO XII.

Veritas objectiva propositionum est ens rationis, sicut omnes universales conceptus objectivi.

SUMMARIUM. — 49. Objectivi entis conceptus non sunt pura entia rationis. — 50. Constat

de definitione universalis, sed non de intelligentia ipsius definitionis. — 51. Est certum, quod intellectus rem singularem possit fingere ut communem, sed ad scientias non requiritur. — 52. Quia habemus conceptus sufficienter communes communitate participationis. — 53. Explicatur responsio. — 54. Omne objectum scientiæ realis est totum reale : scilicet ratio æterna. — 55. Intellectus agens non facit, sed delegit conceptus universales. — 56. Ratio cujusque rei potest multipliciter spectari, ut nuda, ut vestita : in statu essentiæ, et ut præcisa, et ut contracta. — 57. Qualiter intellectus agens denudet puras rationes? — 58. Ex his colligitur solutio alterius similis objectionis.

49. Objicies 1°. Si æternæ objectivæ veritates essent aliquid positivum reale, etiam omnes conceptus objectivi universales entis essent aliquid positivum reale : sed conceptus objectivi universales entis non sunt aliquid positivum reale, ergò nec æternæ veritates objectivæ. Major inde patet, quia veritas est passio entis, quòd præsupponit pro omni instanti rationis. Minor verò exinde constat, quia conceptus objectivi universales entis finguntur operâ intellectus, et sunt entia rationis. R. Negando minorem cum sua probatione, quia sicut æternæ veritates non sunt pura entia rationis, ita nec universales conceptus objectivi entis. Imo vix reperitur Philosophus aut Theologus, qui dicat, universales objectivos conceptus entis esse pura figmenta : Nam saltem aiunt habere fundamentum in re. Ut ergo meum sensum de his objectivis conceptibus entis explicem, aliqua præmitto.

50. Suppono ergo primò : Universale definiri quidem, *unum aptum inesse multis* [est metaphysicum] *vel prædicari, et dici de multis* [sic est logicum] sed non certò constare, quid intelligatur per *unitatem*, requisitam ad constituendum universale : an nimirùm debeat necessariò esse unitas, realiter vel solùm per rationem communis? an debeat excludere unitatem singularem, vel an non sufficiat unitas secundùm se intrinsecè singularis. Nec constat quid intelligatur per *aptum inesse multis* : an intelligendum sit de inexistentiâ, ut gradus superior inexistit in inferiori, de quo in recto prædicetur *in quid*? vel an non sufficiat alius modus inexistendi, de quibus agitur in Postprædicamentis ; vel etiam an non sufficiat inexistentia per participationem, quâ res aliqua, seu mensura et perfectio extrinseca singularis, et manens singularis, nihilominus à pluribus participatur, ita tamen, quod de nullo illorum in recto, sed solùm in obliquo prædicari valeat. Quod verò nec de unitate, nec præfatâ aptitudine inexistendi, certò constet apud Modernos, inde patet, quia fermè quot capita, tot sententiæ sunt, nec ullus mihi unquam satisfecit in fabricando per intellectum universale.

51. Suppono 2. Non esse dubium, quòd intellectus hominis poss

rem singularem (sive intrinsecam, sive exteriùs participatam) licèt in se unam, et singularem; concipere, ac fingere per modum rei communis intrinsecæ, ita ut in recto de omnibus illis prædicetur : et tunc sine dubio intellectum formare ens rationis. Nam cùm omnè existens extra suas causas, vel extra nihilum, necessariò sit singulare realiter, et hoc aliquid, si alio tamen modo contrario (id est ut quid intrinsecum commune) concipitur, utique fingitur, et formatur ens rationis. Sed interim aio hanc fictionem ad scientias acquirendas non esse necessariam, si veriori, et realiori modó, et absque figmentis scientiæ haberi possint. Nam scientia eò verior erit, quò fuerit minùs dependens à figmentis : Unde nec DEUS, qui omnia verissimè scit, potest formare entia rationis : Et Beati, qui videntem omnia, vix occupari volunt in cogitationibus non realibus. His præmissis.

52. Resp. ad objectum, nullam esse necessitatem fingendi rem communem per solam rationem, quia habemus conceptus reales, realiter et sufficienter communes, et universales, ita ut nemine cogitante, et ab æterno sint *unum quid* [tamen sola unitate intrinsecè singulari, et solùm extrinsecè communi] *et aptum inesse realiter multis* : imò infinitis inferioribus : non per inexistentiam, aut ut in vase, vel per intrinsecam, et realem identitatem, sed per solam inexistentiam participationis; quatenus infinitæ creaturæ participare possunt aliquod esse, vel aliquod attributum, vel aliquam æternam rationem Divinam, non quidem ad æqualitatem, sed infinità minoratione descendendo. In DEO quippe rationes entium sunt puræ, in creaturis verò impuræ, sive permixtæ non entibus.

53. Explicatur responsio. DEUS est ens infinitè perfectum, ergò necessariò formaliter in se continet omnes perfectiones, et omnes rationes totius ambitûs entis in suâ puritate. Hæ rationes [modo infinitè decrescente] participantur in concreto à creaturis. Quæ videlicet creaturæ illas rationes æternas, ac Divinas imitantur; et ad ista illarum sunt factæ. Exempli gratiâ : Æterna, ac pura ratio circuli nihil aliud est, quàm æqualis distantia centri ab omnibus punctis circumferentiæ : hæc ratio est quid æternum, singulare, et idem cum DEO (DEUS enim est realis plenitudo totius entis) sed vicissim participatur ab omnibus circulis actu factis, vel possibilibus fieri : qui eatenus participant æternam rationem circuli, quatenus ad illius instar sunt effecti, vel factibiles : et per ipsius esse habent, ac recipiunt esse (strictè enim loquendo tantùm unicum verum esse datur, quod est per se, et aliis à se distinctis dat actum essendi : vide Object. 10.) licèt talis æterna ratio in recto de nullo circulo prædicari possit. De

nullo enim particulari circulo possum dicere : *Hic est æterna ratio circuli, sed habet hanc rationem*, etc. Sicut enim v. g. una forma fusoria modificat omnia, quæ in illam infunduntur : et una lignea mensura mensurat omnia mensurata : licèt tam mensura, quàm forma sint quid singulare in se, nec de infusis, vel mensuratis *in quid in recto* prædicari possint : sic à pari se habent æternæ rationes Divinæ, respectu illorum, à quibus participantur.

54. Nego itaque universales conceptus objectivos scientificos communes, [quatenus nimirum necessarii sunt ad scientias] esse entia rationis, vel entia per fictionem : aut esse solas abstractiones intellectûs, arguentes aliquam fictam communem unitatem, et aptitudinem inexistendi, et prædicandi *in quid in recto*, sed omnino dicendum est : omne objectum scientiæ realis esse quid reale ; et quidem totum reale ; ita ut tam unitas, quàm aptitudo illa sit tota realis : non tamen sensu Platonico, prout ipsum Aliqui interpretantur. (Aliis tamen eum defendentibus) quasi dixisset, extra singularia dari aliquid commune, quod non sit DEUS. Sunt ergo hi conceptus objectivi realiter ipsamet ratio Divina, prout ab infinitis creaturis est participabilis (consequenter in eisdem aliquo modo reperitur, vel reperiri potest, dans illis esse formam, unitatem et modum) quæ tamen in recto de illis prædicari non poterit (si prædicatio rectè intelligatur, et exponatur) sed in obliquo. v. g. dum aio : *Petrus est animal*, sensus hic est : Petrus est hoc aliquid singulare, factum ad instar rationis æternæ animalitatis (quæ ratio æterna est realiter idem cum DEO, juxta illud, *quod factum est in ipso vita erat*) vel alio modo : Petrus est aliquid, participans æternam rationem animalitatis.

Existimo igitur, salvo meliori judicio, quòd illud, quod à plerisque creditur, aliud nil esse quàm phantasma, per intellectum agentem depuratum, sive naturam absque conditionibus individuantibus consideratam, illud ipsum sit ratio æterna : quæ in se una est (cùm sit idem cum DEO) sed per participationem in pluribus particularibus rationibus creatis reperitur. Ita ut ipsum esse Divinum, aliter, et aliter consideratum, sit illud omne universale, quod per scientificum actum attingitur. Est enim ut sic unum (sed unitate reali) aptum inesse multis (id est per participationem) quibus verè dat esse : ut sit DEUS omnia in omnibus. Quod quomodo fiat etsi difficile sit explicare, credo tamen ex frequentiori D. Augustini lectione penetrabiliùs intelligi posse. Interim figmenta fieri non nego, sed nego esse necessaria.

55. Collige, intellectum agentem depurantem species ab impuritate

conditionum individuantium (quæ videlicet non sunt quid stabile, sed potius prætervolant fermè dum loquimur, et consequenter pro scientiis non quadrant) non facere, aut producere rationes objectivas, sed solùm eas detegere, aperire, et veluti effodere, et eruderare ex æterno thesauro Divinæ essentiæ, prout ab æterno ibidem jam extiterant, tanquam rationes æternæ omnium rerum, tam possibilium, quàm existentium, in suâ puritate (prout Seraphicus Doctor loquitur variis in locis de rationibus æternis) et sic has rationes depurando, liberat illas intellectus agens à conditionibus creatis individuantibus (sub quibus potiùs sensibiles, quàm intelligibiles essent) et illas intelligibiles reddit. Sola enim veritas, quæ est quid stabiliter manens, est per se intelligibilis, reliqua omnia verò per veritatem intelliguntur. Hinc intellecturi quodlibet non quiescimus in conditionibus exterioribus individuantibus, sed ad ipsam rei stabilem veritatem (quam extra DEUM non invenimus) nitimur pervenire : Ut loquitur S. Augustinus Lib. de verâ Religione.

56. Declaratur : Ratio circuli v. g. (quæ est objectivus conceptus omnium circulorum) potest considerari aut in suâ puritate, seu nuda ; aut ut vestita conditionibus individuantibus, et contingentibus intelligé per hoc, quidquid rationem circuli circumstat, ut sunt, materia, quantitas, locus, tempus, etc., quæ à phantasiâ apprehendi, aut per oculos videri possunt : cùm tamen ipsa ratio circuli nec videri, nec phantasiari possit) Thomistæ verò ita quamlibet rationem considerant, aut in statu essentiæ (ut sic sola prædicata essentialia dicit) aut eamdem rationem spectant ut per intellectum denudatam, seu in statu præcisionis : Tertius modus est, ut contractam ad aliquod determinatum individuum. Ratio ergo circuli per se nuda, nihil aliud est quàm ipsa ratio æqualis distantiæ centri à quovis puncto circumferentiæ, quæ æternaliter existit in Oceano entitatum purarum (et ut sic nullam dicit materiam, tempus, locum, etc.,) cùm enim DEUS sit ens infinitè purum, continet omnes rationes entis in suâ puritate (aliàs non esset ens infinitum) et hæ rationes puræ sunt veriores in DEO, quam ut permixtæ impuritatibus, et in proprio genere : in DEO enim sunt vita, sunt idem cum DEO, sunt ipse DEUS. Hinc S. Augustinus super Gen. ad litteram Cap. 15. ait : *Ibi veriora, ubi æterna, et immutabilia,* etc. Ratio verò circuli denudata est eadem ratio circuli, per intellectum ut nuda concepta, tamen in ordine ad inferiora, quæ illam participant, per quod concipere nihil acquirit, quàm denominationem extrinsecam : et tunc verè fingeres, si crederes per tuum concipere aliquid positivum acquiri.

57. Ergò intellectus, dum sibi offertur phantasma (id est totum illud turbidum complexum omnium illarum rationum individualium) in illis, velut in signis, reperiens rationem circuli, eamdem extrahit (non facit) et denudat, seu spoliat, ac nudam educit, eamque nudam intellectui possibili offert, qui tandem illam intelligit : nam à phantasiâ solum, et unicum phantasma circuli, (existentis singularis) mittitur ad intellectum agentem, qui modo assignato illud denudat : quæ denudatione nec mentitur, nec necessariò fingit, aut facit ens rationis, sed solum ea resecat, quæ sunt de genere concretorum, sive existentium, ab iis, quæ sunt de genere intelligibilium : sive quod idem est, rationes individuantes negligit, et nudam æternam rationem circuli (quæ tota realis est) servat. Longissimè enim inter se differunt, res de genere concretorum existentium, et de genere intelligibilium. Res de genere existentium sunt quidquid extra suas causas existit, aut coëxistit (v. gr. Angeli, homines, corpora cœlestia, elementaria, mineralia, vegetabilia, bruta : et quidquid creatum est, naturale, supernaturale, artefactum). Res verò de genere intelligibilium sunt ipsæ æternæ rationes, et ideæ omnium rerum creatarum, vel possibilium (quibus hæ res creatæ, vel creabiles conformantur, vel conformari possunt) ex se ingenerabiles, incorruptibiles, et immutabiles.

58. Ex omnibus jam dictis colligere possumus, quid respondendum sit ad illam objectionem, quæ à præcedenti parùm differt, scilicet, quòd veritas sit proprietas entis, ergò si ens, vel res (tanquam subjectum proprietatis) est mutabilis, etiam ipsa veritas erit mutabilis : aliàs proprietas esset nobilior, quàm essentia, cùm tamen essentia sit radix proprietarum, quas per emanationem dat ; sed nihil dat, quod non habet, etc. Ergò falsum est, quòd DEUS sit omnis veritas, et quòd solus DEUS intus doceat. Respondere possem primò, quòd veritas sit proprietas entis, quatenus ens existit in DEO, non quatenus ad extra existit : nam ut sic ens separatum à DEO, juxta D. Augustinum Lib. 7. Conf. Cap. 11. non verè est, imo est mera vanitas, mendacium, et nihil. §. 2. Res duplicem veritatem habere, per quam intellectui conformantur, vel conformari possunt : unam intrinsecam et in proprio genere (spectantem ad regionem existentium, seu entium concretorum, et hæc est entis creati proprietas ab eo fluens : et ista non est magis immutabilis, quàm sit ipsa res) alteram verò extrinsecam, et in Verbo, spectantem ad regionem entium intelligibilium, et hæc est proprietas ipsius DEI, sive entis increati, quod essentialiter dicit omnes rationes entis in suâ puritate, à DEO natu-

æternæ : sed quotus homo, de hoc dogmate non admonitus, hoc ipsum advertit, id est : se fulcro alicujus veritatis æternæ niti ? Porro omnis veritas æterna, vel est DEUS, aut lumen Divinum : aut æterno Divino lumine nititur.

62. Replicabis 3. Ad scientias sufficit objectum repræsentari, licèt ejusdem ratio nullibi realiter existat. ℟. Implicat aliquid certò repræsentari realiter, nisi ejusdem ratio in se, vel in alio realiter existat ac resideat ; aliàs erit fictio manifesta, non scientia. Scire enim est aliquid scire ; fingere est repræsentare id, quod nihil est.

63. Replicabis 4. Si res videntur, et intelliguntur in rationibus, seu exemplaribus Divinis, frustraneæ erunt abstractiones specierum à sensibilibus, sed hoc non est dicendum, etc. ℟. negando sequelam majoris : distinctus quippe finis, et effectus alius est, qui habetur per ideas, seu ideales rationes, vel exemplaria ; et is, qui habetur per species (sive dein abstractas à sensibilibus, sive dein à DEO infusas.) Vide object. 4. Et Cap. 1. Num 53. et 101. Ubi replicationem totam solutam reperies. Et responsionis summa est, quòd species intelligibilis suppleat vicem objecti absentis ; et quamvis per modum dispositionis internæ conferat suo modo posse objectum absens apprehendere (tamen cum periculo errandi) non tamen sola facit actu apprehendere, cùm ipsa non sit ultimum determinativum ad agendum : Et ideo ut actu moveamur ad intelligendum objectum, et quidem absque periculo erroris, indigemus lumine, ac speculo æterno, et infallibili, id est, ipsâ ideâ.

64. Replicabis 5. Objectum motivum scientiæ non solùm debet esse quid commune et universale in essendo, sed etiam debet esse aliquid ipsi objecto scibili intrinsecum : sed æternæ rationes, ac rerum immutabiles ideæ ac exemplaria sunt tantùm universales in repræsentando, et sunt in ipso DEO, non in objecto scibili. Respondetur 1. Jam suprà negatum fuisse, quòd necessarium sit fingere rem communem intrinsecam in essendo. Resp. 2. Ipsas rationes, seu ideas esse ideatis internas, ac de essentia, si considerentur ideata in esse intelligibili ; seu quatenus sunt de regione intelligibilium : externas verò, si ideata considerentur in proprio genere, et ut sunt de regione entium concretorum, vel existentium. Negatur ergò, quòd conceptus objecti universales, quatenus sunt formale motivum objectum scientiæ debeant esse aliquid de internâ essentiâ singularium : si nimirum singularia in concreto sumantur, nisi quatenus DEUS potest aliquo modo omnium rerum essentia dici per suam eminentia-

lem perfectionem, quâ omnia intimè pervadit, ut dicere solemus: O essentia essentiæ meæ!

65. Replicabis 6. Ut sic dabitur mysterium SS. Trinitatis in creaturis, dum eadem ratio singularis à pluribus realiter distinctis participabitur. R. Hanc participationem ejusdem singularis à pluribus non fieri per identitatem realem, nec ad æqualitatem : sicut natura Divina omnibus tribus personis æqualiter communicatur; sed communicatur per aliquid realiter distinctum, et per infinitum perfectionis descensum, ac minorationem. Unde licet creaturæ participent Divinam bonitatem ac naturam, non tamen sunt idem realiter cum illâ : sicut 3. Divinæ personæ verè identificantur cum essentiâ. Hæc sufficiant.

66. Tandem ad finem hujus ultimi Capitis, ubi præfatas Objectiones solvere conatus sum [plures solutas invenies in antecedentibus Capitulis, quotiescumque dabatur occasio] cùm in hâc postremâ de ideis expressior mentio intercurrerit, lubet ex toties citato D. Augustino integrum Caput 46. ex Lib. 83. q. q. hîc interserere, ut inde capiamus, quæ mens ipsius fuerit circa ideas. Et quamvis superiùs Cap. 8. Num. 79. aliquid ex hoc eodem Capite protulerim, non tamen id totum, quod Sanctus in hoc Capite habet.

67. Sic ergò loquitur : *Ideas Plato primus appellasse perhibetur : non tamen si hoc nomen, antequam ipse institueret, non erat, ideo vel res ipsæ non erant, quas ideas vocavit, vel à nullo erant intellectæ : sed alio fortasse atque alio nomine ab aliis atque aliis nuncupatæ sunt. Licet enim cuique rei incognitæ, quæ nullum habeat usitatum nomen, quodlibet nomen imponere. Nam non est verisimile, sapientes, aut nullos fuisse ante Platonem : aut istas, quas Plato, ut dictum est, ideas vocat, quæcumque res sint, non intellexisse. Siquidem tanta in eis vis constituitur, ut nisi his intellectis, sapiens esse nemo possit. Credibile est etiam præter Græciam fuisse in aliis gentibus sapientes : quod etiam Plato ipse non solùm peregrinando sapientiæ perficiendæ gratia satis testatus est, sed etiam in libris suis commemorat. Hos ergò si qui fuerunt, non existimandum est ideas ignorasse, quamvis alio fortasse eas nomine vocaverint. Sed de nomine hactenus dictum sit, rem videamus, quæ maximè consideranda atque noscenda est, in potestate constitutis vocabulis, ut quod volet quisque, appellet rem, quam cognoverit. Ideas igitur latinè possumus vel formas vel species dicere : ut verbum è verbo transferre videamur. Si autem rationes eas vocemus, ab interpretandi quidem proprietate discedimus. Rationes enim græcè* λόγοι *appellantur, non ideæ : sed tamen quisquis hoc vocabulo uti voluerit, à*

re ipsâ non errabit. Sunt namque ideæ principales formæ quædam, vel rationes rerum, stabiles atque incommutabiles, quæ ipsæ formatæ non sunt, ac per hoc æternæ, ac semper eodem modo sese habentes, quæ in Divina intelligentia continentur. Et cùm ipsæ neque oriantur, neque intereant, secundùm eas tamen formari dicitur omne, quod oriri et interire potest, et omne quod oritur et interit. Anima verò negatur eas intueri posse, nisi rationalis, ea sui parte, quâ excellit : id est, ipsa mente atque ratione, quasi quâdam facie vel oculo suo interiore atque intelligibili. Et ea quidem ipsa rationalis anima non omnis et quælibet, sed quæ sancta et pura fuerit, hæc asseritur illi visioni esse idonea : id est, quæ illum ipsum oculum, quo videntur ista, sanum, et sincerum, et serenum, et similem his rebus, quas videre intendit, habuerit : Quis autem religiosus et verâ Religione imbutus, quamvis nondum possit hæc intueri, negare tamen audeat, imo non etiam profiteatur, omnia, quæ sunt, id est, quæcumque in suo genere propria quadam natura continentur, ut sint, DEO authore esse procreata, eoque authore omnia, quæ vivunt, vivere : atque universalem rerum incolumitatem, ordinemque ipsum, quo ea, quæ mutantur, suos temporales cursus certo moderamine celebrant, summi DEI legibus contineri et gubernari ? Quo constituto atque concesso, quis audeat dicere DEUM irrationabiliter omnia condidisse ? Quod si rectè dici et credi non potest, restat ut omnia ratione sint condita : nec eâdem ratione homo, quâ equus : hoc enim absurdum existimare. Singula igitur propriis sunt creata rationibus. Has autem rationes, ubi arbitrandum est esse, nisi in ipsa mente Creatoris ? Non enim extra se quicquam positum intuebatur, ut secundùm id constitueret, quod constituebat, nam hoc opinari sacrilegum est. Quòd si hæ rerum omnium creandarum creatarumve rationes in Divina mente continentur, neque in Divina mente quicquam, nisi æternum atque incommutabile potest esse : atque has rerum rationes principales appellat ideas Plato : non solùm sunt ideæ, sed ipsæ veræ sunt quia æternæ sunt, et ejusmodi atque incommutabiles manent : quarum participatione fit, ut sit quicquid est, quoquo modo est. [notetur hoc] *Sed anima rationalis inter eas res, quæ sunt à DEO conditæ, omnia superat et DEO proxima est, quando pura est : eique in quantum charitate cohæserit, in tantum ab eo lumine illo intelligibili perfusa quodammodo et illustrata cernit, non per corporeos oculos, sed per ipsius sui principale, quo excellit, id est, per intelligentiam suam, istas rationes, quarum visione fit beatissima. Quas rationes, ut dictum est, sive ideas, sive formas, sive species, sive rationes licet vocare, et mul-*

tis appellare conceditur nominibus, sed paucissimis videre, quod verum est. Hucusque Augustinus de ideis. Collige inde, num ab eius mente deviarim ?

APPENDIX

AD ATHENIENSEM INCREDULUM

DE

IGNOTO DEO

ET

AD IMPIUM SADDUCÆUM

DE RESURRECTIONE ET IMMORTALITE ANIMÆ

PER BINOS DIALOGOS.

. . . . . .

. . . . . .

EPILOGUS

SOLIS INTELLIGENTIÆ

SUMMARIUM. — 1. Epilogus cum verbis Augustini et duplici admonitiunculâ. — 2. Qui verbis D. Augustinus finiat Librum de Magistro. — 3. Verba Adeodati. — 4. Gratiarum actio Adeodati.

1. Ne rem præsentem, ut puto dilucidè probatam (testem te Lectorem benevolum rogo) verbis meis minùs lucentibus obscuram denuo reddam, libet eamdem verbis alienis illuminatissimi Augustini concludere, quæ habet Capite ultimo de Magistro. Post quæ binas Lectori Admonitiunculas subministrabo. Primam, quid faciendum sit, ut Sol intelligentiæ suum officium doctrinale respectu mentis nostræ feliciùs exercere valeat. Secunda erit quædam necessaria cautio, ne vehemens sensibile lædat sensum : id est, ne nimis rutilans hujus Solis irradiatio menti tenebras : aut nocumentum afferat. Huic igi-

tur duplici Admonitiunculæ verba D. Augustini præmitto (superiùs quoque Cap. 5. inter ejusdem allata testimonia ex parte citata) quibus, sicut ipse suum de Magistro Librum absolvit, ita ego quoque iisdem præsens meum de Sole intelligentiæ conscriptum Opusculum finire cupio.

2. Te igitur verbis Augustinianis sic alloquor : Dilectissime, quisquis ista perlegeris. *Sed jam mihi dicas velim* (Augustinus loquitur ad Adeodatum, ego ad Lectorem) *quid de hoc toto meo sermone* [et Opusculo] *sentias* (revereor tui cordis apertum sensum, exopto liberam animi censuram : si aut invitè erratum est, confidenter corrigas ; non abnuo correctionem : *Meliora* enim *sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis*. Si verò erratum non est : at potiùs :) *vera esse, quæ dicta sunt nosti, etiam de singulis sententiis* (vel argumentis allatis) *interrogatus ea te scire dixisses* (aut fortè modo dices, meis admonitionibus, ni fallor, adjutus. Admonitiones meas, voco, non doctrinam : quia me intus docere posse abnuo : ut Augustino conformis sim, ita ulteriùs loquenti :) *Vides ergo, à quo ista didiceris. Neque enim a me, cui roganti omnia responderes. Si autem vera esse non nosti, nec ego, nec ille* [id est, Sol intelligentiæ, vel Unus Magister Christus] *te docuit. Sed ego, quia nunquam possum docere : Ille, quia tu adhuc non potes, discere*. Sic Augustinus Adeodato : ego Tibi Lectori meo. Ut autem imposterum ad Christi Magisterium aptus fias , serviat Tibi Admonitiuncula prima jam jam subjungenda, cum suo secreto].

3. Altera Admonitiuncula verò inserviet pro illo, qui cum Adeodato et potuit ab hoc Intelligentiæ Sole addiscere, et actu didicit ; qui fortè cum eodem sic mihi respondebit : *Ego verò didici admonitione verborum tuorum, nihil aliud verbis quam admoneri hominem, ut discat ; et perparum esse, quod per locutionem aliquanta cogitatio loquentis apparet : utrum autem vera dicantur, Eum docere solum, qui se intus habitare cùm foris loqueretur admonuit. Quem jam favente ipso tantò ardentùs diligam, quantò ero in discendo provectior*. Hæc illæ, et bene : *Hoc est enim omnis*, et perfectus *homo* : scilicet DEUM timere, et mandata ejus observare : quod DEUM diligere est et maximi præcepti vera adimpletio.

4. Si autem et sequentem gratiarum actionem cum Adeodato libuerit adjungere : *Veruntamen huic orationi tuæ, quâ perpetuâ usus es, ob hoc habeo maxime gratiam, quod omnia, quæ contradicere paratus eram, præoccupavit, atque dissolvit : nihilque omnino abs te derelictum est, quod me dubium faciebat, de quo non ita mihi responde-*

ret secretum illud oraculum, ut tuis verbis asserebatur. Ego verò Tibi vicissim sic reponam : Si hæc Candide Lector dicere potes, gaude, et lætare, magnum animæ tuæ bonum invenisti : lauda DEUM, omnis boni Auctorem : et illi Soli gratias age : pro me verò Eumdem roga, ut mea mihi condonet peccata, et misericordiam suam concedat: unà cum felici ex hâc miserâ vitâ transitu, ad quem me indies dispono.

Admonitiuncula I.

Quid faciendum sit, ut Sol Intelligentiæ nos feliciùs doceat ?

SUMMARIUM. — 5. Conditiones, ut faciliùs à Christo doceamur, juxta D. Augustinum, etc. — 6. Necessarius est oculus purus, et ut aspiciat et ut videat. — 7. Expenditur puritas ac sanitas oculi. — 8. Oculus ubi malè affectus vix ab errore immunem veritatem percipiet. — 9. Expenditur secunda conditio, sive aspectus. — 10. Expenditur integra mens S. Augustini. — 11. Quid requirat D Bernardus? — 12. Quid D. Seraphicus ? — 13. Cui et concordat Thomas, sive Auctor Libri de Imitatione Christi.— 14. Secretum inde erutum, etc. — 15. Praxis Secreti. — 16. Formula pro invocando Sole intelligentiæ.

5. Cum in Conclusione Capitis 7. à Num. 69. Observatione prima, aliquid de materiâ istâ jam fuerim locutus, hic supersedeo ; aliorum potiùs judicium tacens percepturus. Audiamus igitur SS. PP. Augustinum, Bernardum, et Bonaventuram de hoc verba facientes : qui sine contradictione et simul doctissimi, et piissimi ; imo et ab ipso DEO immediatè communiter edocti reputantur.

6. D Augustinus pluries hujus necessariæ dispositionis mentionem ingerit, sed vix alibi meliùs, quâm Lib. 1. Soliloq Cap. 6. Ubi ipsamet Ratio Augustinum de hoc abunde instruit. Sic enim loquitur : *Animæ tribus quibusdam rebus opus est.* Quæ sunt illa ? *Ut oculos habeat, ut aspiciat, ut videat.* Qui sunt animæ oculi ? *Oculus animæ mens est, ab omni labe corporis pura, id est à cupiditatibus rerum mortalium jam remota, ac purgata.* Sed quo pharmaco mentis oculus sanatur, et dispositus redditur ad radios mentalis lucis faciliùs recipiendos, et veritates meliùs intelligendas ? Sic Ratio ipsa respondet : *Quod ei nihil aliud præstat, quàm fides primò* (nisi quippe mens credat se per originale peccatum excæcatam, et ad intelligendam veritatem ineptam factam esse, nunquam movebitur ad procurandum remedium) *spes adjicienda est* [si enim de remedio desperet, illud sibi applicari non permittet] *Tertia Charitas necessaria est* [quippe si

mens lucem, ac lumen non diligat : sed cæcitate suâ, ac tenebris contenta esse velit, iterum luci, ac lumini inepta erit ; quamvis et credat se cæcam, et speret de utilitate remedii]. Hæc ille.

7. Ergò juxta illuminatissimum S. Augustinum prima conditio est sanitas oculi mentalis, et rectitudo : ne videlicet per inordinatos affectus, et cupiditates rerum temporalium ; ac vitia, et peccata distortus sit, ac ægrotus. Quæ sanitas, et rectitudo ita necessaria est ad percipiendam veritatem, ut S. Doctor Cap. 1. hujus Libri asseruerit : Nullùm immundum (id est peccatorem extra DEI gratiam constitutum) posse veritatem ullam scire : Sic enim loquitur : *DEUS, qui nisi mundos verum scire voluisti*. Sed hoc ipsum Vir DEI, sapientior effectus, retractavit, Libro 1. Retrac. Cap. 4. his verbis : *Responderi enim potest multos etiam non mundos multa scire vera : neque definitum est hîc, quid si verum, quòd nisi mundi scire non possint, et quid sit scire*. Et bene retractatum est. Aliàs enim nec Plato, aut Aristoteles, aut Cicero, Seneca, vel Epictetus, aliique Gentiles Philosophi (si verum est, ut suppono, quòd supernaturali fide caruerint, sine quâ impossibile est placere DEO, et coram eo mundum esse) nullam veritatem, licèt naturalem, agnovissent : cujus oppositum omnibus manifestum est, ex eorumdem Libris, plurima vera continentibus.

8. Interim certum est, quòd respectu illorum objectorum, circa quæ mens sinistrè affecta est, vix ullam ab omni errore immunem veritatem sit perceptura : esto quod in aliis objectis, erga quæ nec vitiato amore, nec odio tangitur, sanum judicium formare possit. Patet hoc in uno solùm objecto (ex nescio quâ causâ, vel affectu] delirantibus, qui in cæteris objectis sapiunt, ac vera tenent. Hinc quia Antiqui Philosophi circa primum Principium, et ultimum Finem (non verò circa cætera ; nisi quatenus sunt ordinata ad primum Principium, et ultimum Finem) tam turpiter delirabant (ob affectus superbiæ, luxuriæ, ut ipsis S. Paulus objicit Rom. 1. à v. 21.) ideo tam absona de utroque pronuntiârunt : sicut et de cæteris rebus, quatenus primum Principium, et ultimum Finem demonstrant ; sub aliâ tamen consideratione, ubi mala affectione in contrarium non urgebantur, multa simpliciter vera intellexerunt, et pronuntiarunt, absque ullo errore immixto.

9. Alteram conditionem subjungit his verbis : *Cùm ergò sanos habuerit oculos, quid restat?* Nimirum requiritur, *ut aspiciat*. Ut videlicet mens veritatis amans diligenti intuitu, et conatu lucem mentium, et veritatis principia, ex quibus actualis visio, sive scientia, haberi debet, speculetur. Hic *aspectus animæ Ratio est*, inquit ulte-

riùs : sed ut post ipsum actualis subsequatur visio, non debet esse aspectus distortus, aut vitiatus, sed rectus, ac perfectus, quod præstant virtutes, Fides, Spes, Charitas, prudentia, aliæque virtutes morales.

10. Ex his collige mentem S. Augustini esse, quod ad hoc, ut Sol intelligentiæ DEUS, sive lux mentium, feliciùs mentem creatam edoceat, et actu veritatem cernere faciat, summoperè necessarium sit, ut mentis oculos ab affectibus sanus existat, et ut idem oculus liquido, recto, ac mundo intuitu præfatum intelligentiæ Solem, mentisque interiorem lucem, sive lumen rationis, diligenter inspiciat. Et hîc observes velim, quòd creatus Magister suis verbis, nec oculi sanitatem, sive bonitatem; nec aspectum, aut actualem visionem, seu intellectionem discipulo tribuat. At solùm eumdem monet, ut suo interno conatu diligenter aspiciat lucem Solis intelligentiæ, à quo solo ad actualem visionem, sive intellectionem, vel intelligentiam, interiùs permovetur.

11. Audiamus et mellifluum Doctorem Bernardum. De vitâ solitariâ, circa medium : *Dein etiam certis horis certæ lectioni vacandum est. Fortuita enim, et varia lectio, et quasi casu reperta, non ædificat; sed reddit animam instabilem, et leviter admissa, leviùs recedit à memoriâ.* Aliud documentum : *Quo spiritu Scripturæ factæ sunt, eo spiritu legi desiderant, ipso etiam intelligendæ sunt. Nunquam ingredieris in sensum Pauli, donec usu bonæ intentionis in lectione ejus, et studio assiduæ meditationis spiritum ejus imbiberis. Nunquam intelliges David, donec ipsâ experientiâ ipsos Psalmorum affectus indueris. Sicque de reliquis.* Aliud documentum de studio jungendo Lectioni : *Et in omni Scripturâ tantùm distat studium à lectione, quantùm amicitiâ ab hospitio, socialis affectio à fortuitâ salutatione. Sed et de quotidianâ lectione aliquid quotidie in ventrem memoriæ dimittendum est, quòd fideliùs digeratur, et sursum revocatum crebriùs ruminetur, quòd proposito conveniat, quod intentioni proficiat, quòd detineat animum* Aliud : *Intentioni servit lectio. Si verè in lectione DEUM quærit, qui legit : omnia, quæ legit cooperantur ei in bonum, et captivat sensus legentis, et in servitutem redigit omnem lectionis intellectum in obsequium Christi. Si in aliud declinat sensus legentis omnia trahit post semetipsum : nihilque tam sanctum, tam pium invenit in Scripturis, quod, seu per vanam gloriam, seu per distortum sensum, seu per pravum intellectum, non applicet vel malitiæ, vel vanitati.* Quibus verbis S. Doctor insinuat, quantùm noceant mali affectus, cum sinistrâ intentione in addiscendâ veritate : proinde adjungit : *In omnibus enim Scripturis legentis initium debet esse Timor Domini, ut in eo*

primò solidetur intentio legentis, et ex eo ordinetur, et exurgat totius lectionis intellectus et sensus. Hæc sanctissimè, et verissimè Bernardus : quia nimirum *Initium Sapientiæ timor Domini est* : et absque illo nemo rectè intelligit.

12. Audiamus et tertium, Seraphicum Doctorem, qui *docendo movet,* ut eum S. collaudat Ecclesia. Hic ubique plenus est de requisitis conditionibus, ad feliciùs hauriendos radios Divinæ Sapientiæ : sed nullibi cum majori succo, et gratiori compendio, quàm in suo Itinerario mentis in DEUM, ubi non tam Bonaventura, quàm Christus, Bonaventuræ ore, seu calamo loqui videtur. Sic igitur in Prologo legentem admonet : *Ad DEUM nemo intrat rectè nisi per Crucifixum. Nam qui non intrat per ostium,* etc. Et infrà. *Non enim dispositus est aliquo modo ad contemplationes divinas, quæ ad mentales ducunt excessus, nisi cum Daniele sit vir desideriorum. Desideria autem in nobis inflammantur dupliciter, scilicet per clamorem orationis, — et per fulgorem speculationis, quâ mens ad radios lucis directissimè, et intensissimè se convertit. Igitur ad gemitum orationis per Christum Crucifixum, per cujus sanguinem purgamur à sordibus vitiorum, primùm quidem lectorem invito, ne fortè credat, quod sibi sufficiat lectio sine unctione, speculatio sine devotione, investigatio sine admiratione, circumspectio sine exultatione, industria sine pietate, scientia sine charitate, intelligentia sine humilitate, studium absque Divinâ Gratiâ, speculum absque sapientia divinitùs inspiratâ. Præventis igitur Divinâ Gratiâ, humilibus et piis, compunctis et devotis, unctis oleo Divinæ lætitiæ, et amatoribus Divinæ Sapientiæ, et ejus desiderio inflammatis, vacare volentibus ad DEUM magnificandum, amandum, et etiam degustandum, speculationes subjectas propono : insinuans, quod parum, aut nihil est speculum exterius propositum, nisi speculum mentis nostræ tersum fuerit, et politum.*

13. Ita S. Bonaventura, quibus idem dicit, quod Augustinus, et Bernardus ; videlicet, quòd ut quis feliciùs à DEO veritatem doceatur, indigeat oculo ab affectibus sano : et ut diligenter aspiciat, studiosè speculetur, et ad Divinam gratiam recipiendam se fervidè orando disponat. Quæ Vir ille à DEO doctus Lib. 2. de Imit. Chr. Cap. 4. § 2. sic abbreviat : *Si tu esses intus bonus, et purus, tunc omnia sine impedimento videres, et bene caperes. Cor purum penetrat cœlum, et infernum. Qualis unusquisque intus est taliter judicat exteriùs.* Hæc ille. Tantorum Virorum verbis aliquid addidisse decerpsisse est, hinc abstineo, iisdem abunde contentus : accipe tamen hoc Secretum.

SECRETUM EX SUPRA DICTIS ERUTUM.

Pro felici agendorum successu, pro facilitandâ tum memoriâ, tum intelligentiâ.

Continentur his tribus sequentibus punctis, id est : Fide, Praxi, Formulâ.

14. Primò firmiter teneas, quod non simus *sufficientes cogitare* (vel recordari, aut intelligere) *aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex DEO* sit, [ita enim loquitur S. Paulus 2. Cor. 3. v. 5.] Et proinde, quòd DEUS sit, *qui docet hominem scientiam* (Psal. 93. v. 10) creatis Magistris, seu eorumdem Libris, solùm exteriùs rigantibus, et monentibus ; et te ad unicum verum internum Magistrum, qui Christus est [Matth. 23. v. 10] manuducentibus: Solus enim Christus, sive DEUS est *Via, Veritas, et Vita : Est lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (Joannis 14. v. 6. 1. v. 9.) Est verus intelligentiæ, et justitiæ Sol [Sap. 5. v. 6. Malach. 4. v. 2.] super hæmispherium mentis creatæ radios veritatis, ac bonitatis suæ circumquaque projiciens, lucens *super bonos, et malos* [Matth. 5. v. 45.] pluens *super justos, et injustos* [Matth. 5. v. 45.] quâ luce, et pluviâ ipse solus mentem creatam intus et illuminare, et fœcundare potest : et ipse solus potest eamdem interiùs, ac immediatè permovere, trahere, et invitare, ut operetur (sive per intellectivam potentiam, aut per affectivam) nemo alius, aut sub cœlo, aut supra cœlum.

15. Secundò : quoad praxin. Ante serium negotium qualecumque; aut si rem difficilem addiscere (quæ tamen statui tuo haud disconveniens sit) aut memoriæ imprimere cupis, supra dictâ piâ, ac firmâ fide armatus ; cum bonâ spe ad intelligentiæ, ac justitiæ Solem ; ad communem mentium lucem Christum te devotè convertas, et ab eodem gratiam, lumen, et memoriam suppliciter petas. Pro quo accipe ex S. Brigitta Lib. 4. c. 5. sequens jam semel citatum monitum : Cui S. Petrus apparens, narravit, causam sui lapsûs fuisse, eo quod propositi, ac promissionis Christo factæ oblitus fuerit. Unde eidem sanctæ hoc remedium contra tentationes suasit, *Surge*, inquit, *per humilitatem ad Magistrum Memoriæ, et pete ab eo memoriam.* Vide de hoc Cornelium de Lapide in Evang. mihi fol. 512.

16. Tertiò : Formula ad invocandum Solem intelligentiæ, et justitiæ Christum, sive DEUM, sit aliqua pia, ac devota Ecclesiæ Oratio :

c devotus Ecclesiæ Hymnus, aut Hymni pia stropha. Ut : *Gra-*
ıam quæsumus Domine mentibus nostris, etc. *Mentibus nostris*
nus Domine Spiritum sanctum, etc. *Veni Creator Spiritus,*
tuorum visita, etc. *Veni sancte Spiritus, et emitte cœlitùs*
tuæ radium, etc. Aut similem aliquam brevem ex sequen-
:cclesiæ strophis, v. g.

1 Jam nunc paterna claritas, te postulamus affatim.
2 Tu lux refulge sensibus, mentisque somnum discute.
3 Splendor paternæ gloriæ, de luce lucem proferens,
Lux lucis, et fons luminis, dies diem illuminans,
Verusque Sol illabere, micans nitore perpeti,
Jubarque Sancti Spiritûs infunde nostris sensibus.
4 Consors paterni luminis, lux ipse lucis, et dies;
Noctem canendo rumpimus assiste postulantibus,
Aufer tenebras mentium.
5 Nos excitator mentium jam Christus ad vitam vocat :
Tu Christe somnum discute, Tu rumpe noctis vincula;
Tu solve peccatum vetus, novumque lumen ingere.
6 Expelle noctem cordium, absterge sordes mentium.
7 Jam Sol recedit igneus, Tu lux perennis Unitas,
Nostris Beata Trinitas infunde lumen cordibus. *vel*,
8 JESU, lux vera mentium, nos illustra diluculo, [*Paduá.*]
Tot signis per Antonium opaco fulgens sæculo. *Ex Hymno D. Antonii de*
9 Spiritûs sancti Gratia illuminet sensus, et corda nostra.

grueret et devota illa D. Thomæ Aquinatis Oratio ante studia
venda : *Creator ineffabilis*, etc. Vel illa devota precatio Lib. 3.
. de Imitat. Christi : *Loquere Domine, quia audit servus tuus*, etc.
uprà in Prologo Num. 2. Denique cuperem sic concludi ad
n Lucis æternæ :

O MARIA Mater lucis, quæ ad lumen nos reducis, esto mihi prævia :
Servi tui preces audi, et intentum tuæ laudi, Christo reconcilia :
Ora Regem tuum Natum, ut me multis implicatum, curis, et erroribus,
Mundum reddat à peccatis, et infundat veritatis lumen meis sensibus.

e Lector, probatum est.

Admonitiuncula II.

necessaria, ne vehemens sensibile lædat sensum, aut fixior
s intelligentiæ aspectus tenebras menti, vel capiti nocumentum
rat.

SUMMARIUM. — 17. Scrutator majestatis vituperatur, non verò contemplator veritatis. — 18. Improba mentis speculatio nocet, non verò moderata, ordinata. — 19. Facilius videtur Sol interpositâ nubeculâ. — 20. Qualiter D. Augustinus Solem per nubem fixiùs intuitus fuerit? — 21. Humanitas Crucifixi est hæc nubes.

17. Dicet: Non nemo. Contemplatio hæc difficilis, et scabrosa videtur, quæ mentis oculum ad immediatum æterni luminis intuitum, ac incircumscriptum Solis intelligentiæ radium inspiciendum perhortatur. At certum est Sapientis dictum, Prov. 25. v. 27. *Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum, sic qui scrutator est majestatis opprimetur à gloriâ.* Hujusmodi sublimiores speculationes inducere possunt, aut in foveam graviorum tenebrarum, ac cœcitatis mentis; aut in capitis dementiam. Prudenter mones. Respondeo 1. Multùm differre scrutatorem majestatis, et contemplatorem veritatis : ille velut tentator infidelis vituperatur, hic verò tanquam prudens amator summi boni laudatur : eo quod idipsum agat, quod agendum esse Divina Scriptura Sæpissimè perhortatur : Dicente Prophetâ, Psal. 33. v. 9. *Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus.* Et hi sunt veri Israëlitæ, qui Deum vident; et adorant Patrem in spiritu, et veritate. *Nam et Pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus* enim *est DEUS, et eos, qui adorant in spiritu, et veritate oportet adorare. Et, hæc est vita æterna : Ut cognoscant Te solum verum DEUM, et quem misisti JESUM Christum*, inquit ille sublimis Divinorum Contemplator Joannes Cap. 4. et 17. qui, velut Aquila, irretortis oculis intelligentiæ Solem, et lucem veram, *quæ illuminat omnem hominem*, inspicere valuit, licèt à nemine præcedentium sibi declaratam : quantò faciliùs nunc erit oculos mentis in eamdem, per Joannem, et alios Canonicos Scriptores explicatam, figere ; Modo renovetur ut Aquila juventus nostra, nimirum per lucidam fidem, spem firmam, et ardentem charitatem, quibus oculus mentis sanatur, et roboratur, ut tenet Augustinus.

18. Respondeo 2. Verum esse, quod nimiæ, et intensiores mentis abstractiones circa nudam veritatem Divinorum, corpori, aut sanitati nocere possint, si improbæ sint, si inordinatæ sint [avocant enim calorem naturalem à ventriculo ad Caput : et inde crudidates in stomacho, debilitates in Capite] sed minimè fiet, si moderatæ sint, si absque magno conatu exerceantur, si non improbæ, si non careant ordine : dum non per saltum legis, aut specularis ; non cursim, non perturbatâ serie, non simul omnia; sed potiùs ad imitationem Esther Cap. 15. v. 9. *cuncta per ordinem ostia* ingrediaris ad Regem Assuerum.

Nemo quippe repente fit summus, *ascendendo apprehenditur summitas non* currendo, aut *volando*, ait Bernardus. Ut sic veritatis contemplatio, quæ miram animi jucunditatem annexam habet, nullo modo, aut corpori, aut capiti, aut sanitati oberit : sed plurimùm proderit, veluti evidentissimum remedium contra tristitiam, melancholiam, aliosque affligentes affectus (qui velut tineæ corrodunt, et corporis, et animæ vires omnes). Et inde videmus Viros eminenter contemplativos diutissimè vixisse. Testis est Antonius Eremita, productâ vitâ ad 105. annum; qui eò usque contemplationem protrahebat, ut mane Solis radii non à somno, sed ab extasi præcedentis diei vesperæ revocarent. Testis est Paulus, Eremitarum Pater, Hieronymus, Augustinus : primus annorum 113. alter 91. tertius 76. effectus. Veritatis contemplatio est animæ cibus, et per redundantiam etiam corporis. Et licèt ardens amor sapientiæ in aliquo noceret (cùm vix reperiendum sit commodum absque incommodo) sed cum illius tanta sit jucunditas, et ingens utilitas, et maxima honestas, hinc meritò præfertur à Sapiente Sap. 7. et *Regnis, et sedibus*, et auro, et argento, et lapidibus preciosis, et etiam saluti, id est sanitati : *Super salutem, et speciem dilexi illam*, inquit ille.

19. Respondeo 3. Faciliùs Solis radios poteris sustinere, si aut Sol nubeculâ diaphanâ obductus fuerit, aut per foramen chartæ eumdem aspexeris : hæc candida nubes, et munda papyrus sit tibi sacra Verbi humanitas, quâ credimus Verbum indutum fuisse, nam *Verbum caro factum est*. Omnes PP. contemplativi suadent, præ contemplatione solius, ac nudæ Divinitatis, ipsam considerationem DEI humanati, DEI Crucifixi, cujus intuitum homo mortalis faciliùs sufferre poterit. *Factum est propter nos* [Verba sunt D. Augustini, Tract. 34. in Joannem, mihi fol. 109.] *sub Sole lumen, quod fecit Solem. Noli contemnere nubem carnis : nube tegitur, non ut obscuretur Sol, sed ut temperetur. Loquens ergo per nubem carnis lumen indeficiens, lumen Scientiæ, lumen Sapientiæ, ait hominibus : Ego sum Lumen mundi.* Sic Augustinus ad propositum.

20. Et Lib. 7. Confess. Cap. 18. Cum priori Capite præmisisset : *Se invisibilia DEI per ea, quæ facta sunt, intellecta conspexisse* quidem, *sed* interim *aciem* mentis *figere non valuisse* : imo repercusâ infirmitate suâ redditum se solitis nugis, quæ sibi intellecturo DEUM occurrebant : et proinde ex priori intellectione non plùs retulisse quàm amantem DEI memoriam : veluti is, qui desiderat cibum, quem quidem aliqualiter olfecerat, sed necdum eo frui, aut comedere datur. His ergo præmissis de mentis difficultate in concipiendo firmiter et

constater invisibilia DEI, mox subjungit Capite sequenti quale ad hoc proficuum remedium invenisset (id est ad figendam in rebus Divinis aciem mentis, et ad fruendum DEO per firmam contemplationem) sic ergo ait : *Et quærebam viam comparandi roboris, quod esset idoneum ad fruendum te : nec inveniebam, donec amplecterer Mediatorem DEI et hominum, hominem Christum JESUM, qui est super omnia DEUS benedictus in sæcula, vocantem et dicentem :* Ego sum Via, Veritas, et Vita. *Et cibum, cui capiendo invalidus eram miscentem se carni, quoniam Verbum caro factum est, ut infantiæ nostræ lactesceret sapientia tua, per quam creâsti omnia.* Et addit : eòusque se necdum cognovisse, *cujus rei magistra esset ejus infirmitas,* seu humanitas, et humilitas Christi : Quia nimirum Christus quâ Verbum, seu æterna veritas est, omnibus supereminet, et eos, qui se illi per humilitatem subdunt, ac subjiciunt, erigit per contemplationis fruitionem ad seipsum : quà homo verò per suæ humilitatis exempla deprimit ac dejicit superbos à seipsis, ut illos ad se elevet, ac trajiciat, *hoc modo sanans tumorem, ac nutriens amorem.* Sic Augustinus cœlestis Doctor. Quo innuit humilitatem, quam in Christi humanitate addiscimus, scalam esse ad DEI amorem concipiendum. Amor verò is ipsus est, qui aciem mentis firmam figit in re amatâ (quia *anima veriùs est, ubi amat, quam ubi animat)* et amor cognitionem multiplicat. Et sic *Christus Crucifixus est* electis, *DEI virtus, et DEI Sapientia.* 1. Cor. 1. v. 24.

21. Et ego hujus rei causâ initio Libri, ac per decursum, pro Sole intelligentiæ ac mentium inextinguibili radio non ipsam Divinitatem, aut aliud DEI attributum nudum, aut in abstracto spectatum : nec ipsam increatam Trinitatem, aut ullam Trinitatis Personam, seu Verbum seorsim, ut ab humanitate sejunctum, constitui. Quamvis interim formaliter verum sit, quòd solus DEUS, ut ens æternum, sit hæc mentium objectiva lux; prout expressè habet Joannes, Cap. 1. v. 9. loquens de Verbo necdum incarnato : *Et vita erat lux hominum, et lux in tenebris lucet — erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Et primum infra v. 14. subjungit, *et Verbum caro factum est.* His tamen non obstantibus Christum, et quidem Crucifixum intelligentiæ Solem nominavi, ut æterno Soli nubem obducerem : ut Divinitatis aspectum tolerabiliorem præstarem. Humanatum ergo Verbum, sive Christus Crucifixus est Sol intelligentiæ quà DEUS : quà homo verò inservit, ut nubes temperans Solis æterni radios, ut faciliùs obtutum mentis in DEUM dirigere valeamus : faciliùs enim est homini pro statu isto (in quo cùm intel-

ligit, necesse est etiam simul speculari phantasmata) contemplari rem simul sensibilem, ac intelligibilem, quàm purè intelligibilem. Ut sic enim minùs avocatur anima à suis connaturalibus operationibus sensitivis, et minùs calore naturali privatur. Cur verò posuerim Christum Crucifixum, responsio in promptu est : Licet enim, dicente Paulo 1. Cor. 1. v. 18, *Verbum Crucis pereuntibus stultitia* sit : *iis tamen, qui salvi fiunt DEI virtus est* : Sapientia ex alio, quàm hoc fonte hausta nihil valet : *Scriptum est enim : perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo. Ubi Sapiens? Ubi Scriba? Ubi conquisitor hujus sæculi? Nonne stultam fecit DEUS sapientiam hujus mundi? Nam quia in DEI sapientia non cognovit mundus per sapientiam DEUM : placuit DEO per stultitiam prædicationis salvos facere credentes.* Unde subjungit : *Nos autem prædicamus Christum Crucifixum : Judæis quidem scandàlum, Gentibus autem stultitiam : ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis, Christum DEI virtutem et DEI sapientiam — qui factus est nobis sapientia à DEO et justitia et sanctificatio, et redemptio.* Hæc ille, qui sapientiam *didicit per revelationem JESU CHRISTI* : Et in hoc finio, sicut incæpi, scilicet in JESU CHRISTO, qui est α et ω, *Primus et Novissimus, Principium et Finis.* Finis sit ergo in scribendo die Sabbathi ante Dominicam Palmarum, quoad typum verò Ferià 5. majoris hebdomadæ, quo die institutum celebramus *SS. DEUM absconditum* sub nube specierum Eucharisticarum. Et en *quàm operatorius sit sermo Christi! Jussit Dominus et factum est cœlum, terra, maria, et omnis creatura* (sic Ambrosius) jussit verò per Verbum, *Fiat*, vel hebraicè, *sit.* (vide suprà fol. 471. n. 37.) Per idem *fiat, sit*, vel *est*, panem in corpus suum commutavit, dicendo : *Hoc est Corpus meum : Ipse dixit et factum est, ipse mandavit, et creatum est.* Ut sic DEI sapientia nobis lactesceret. *O sacrum Convivium*, etc. !

FINIS SOLIS INTELLIGENTIÆ.

PROPOSITIONUM

QUARUMDAM

BREVIS EXPLICATIO.

Postquam Libellus hic integer fuerat impressus, visurus num errores laterent [præsertim quos typus relinquere solet] breviter impressa percurri, et inter legendum quædam occurrerunt, quæ licèt hinc inde variis in locis et variè explicata, ac limitata reperiantur, tamen et hîc in Operis vestibulo eadem paucis annotare, aut iis quædam adjungere volui, præsertim circa illa, quæ contra materiam hujus præsentis argumenti objici possent.

Dum fol. 5. Num. 8. aio, quòd ratio creata (quam sæpius subjectivam voco) in obliquo rem æternam significet et importet velut terminum, quem respicit, hoc ideo dico, quia, ut alibi explico, esse rationalem est esse capacem rationis objectivæ æternæ, sive veritatum æternarum. Utrum autem Ratio illa objectiva æterna, et veritas æterna, cujus mens creata capax dicitur, sit realiter ipse DEUS, seu Verbum; attuli ibi, et in sequentibus, dicta tum D. Augustini, tum aliorum Sanctorum, et DD. et alibi varias rationes et argumenta. Vide fol. 109. Num. 45. etc. Tamen per hoc aliis contrariis opinionibus nec minimum volens derogare.

Quoad illa, quæ f. 22 Num. 38. refero de eminentiâ et serenitate apicis mentis, vel superioris partis animæ nostræ inter medios turbines inferiorum virium, et quomodo DEUS electos suos variis ac diversis tribulationibus, et ariditatibus probare soleat, non solùm externis, sed etiam quoad vires internas, vide quotquot de tentationibus materiam pertractant, ubi et reperies, quod dixi, sicut et similitudinem montis Olympi, exemplum D. Catharinæ, et cætera. Qui tamen omnes affirmant non eòusque omnia arida et turbida tunc fieri, quin, si quis velit, quoad supremam animæ portionem pacatus et DEO conformis esse possit. Vide R. P. Hieremiam Drexelium in suo Heliotropio, seu Conformitate humanæ voluntatis cum Divinâ, Lib. 3. Cap. 6. § 3. sic pulchrè de hâc materiâ referentem ex R. P. Benedicto Anglo in Regula perfectionis : « Quisquis, *inquit*, verum animi gaudium » ac tranquillam in DEO vitam desiderat, oportet illum immobili huic fundamento velut lapidi angulari *Voluntatis DEI* perpetuò inniti : ei semper incumbendo, idque per modum *Resignationis*. Potest autem (quod notatu dignissimum, » præsertim mœsti ac dejecti animi hominibus) potest autem, inquit, resignatus » quis esse etiam dum adest contradictio, ariditas animi, aut subtractio devotionis » et licet obmurmuret sensus : quin imo si desit animus sic omnia pro Voluntate » DEI acceptandi, seseque resignandi, altiùs est exurgendum, et ipsa irresignatio

» pro voluntate DEI acceptanda. Quòd si adhuc tenebræ adeo densæ sint, ut nec » istud agere queat, oportet eas ipsas tenebras resignare. Si denique ratione tepi- » ditatis, nihil horum omnium perficere lubeat, hanc etiam tepiditatem ac defec- » tum voluntatis debet DEO offerre, atque è manibus illius tanquam ejus voluntatem » sumere. Hoc modo quæcumque obviare possunt impedimenta Resignationis, ad » eamdem ipsam Resignationem reducenda sunt, ut Voluntas DEI possit semper et » absque intermissione res omnes velut ignis sorbere et consumere. Atque hoc » genus irresignationem ipsam resignandi, illud quod secundùm sensum est, » fructu et merito superat, directiusque ad veram unionem, sui ipsius mortifica- » tionem, et rerum omnium transcendentiam deducit. » Hæc R. P. Hieremias et Benedictus ambo Religiosi, simul Viri docti ac devoti.

Dum fol. 48. Num. 81, et seq. aio, DEUM esse universalem rationem, quæ sola maritet mentem creatam quoties rationaliter operatur : fusè mentem meam ex D. Augustino, D. Thomâ, et D. Seraphico explano, et plùs dicere non intendo quàm cùm D. Bonav. c. 3. sui Itin : *Quod tanta vis sit summi Boni, ut nihil nisi per illius desiderium à creaturâ possit amari : quæ tunc fallitur, et errat, cùm effigiem et simulacrum pro veritate acceptat.* Nullo autem modo mens est, quòd DEUS maritet mentem ad peccandum (vide f. 49. Num. 84.) aut quod nihil possit amari nisi per desiderium summi Boni, quasi summum Bonum amore amicitiæ priùs amari deberet (quia ut sic non fieret peccatum) sed solo amore concupiscentiæ : et non explicitè, quasi expressè DEUM ut DEUM priùs desiderare deberet, sed solùm implicitè et in confuso, quatenus nemo operari potest, nisi propter optimum, etc. Vide f. 51. n. 87. 88. et seq.

Dum fol. 53. Num. 91. aio, DEUM in esse objectivum principium rationalis actûs non admittere consortium, intellige de ratione objectivâ ultimatâ et per se sufficienter et efficaci, et quæ cæteris objectis det virtutem movendi. Nam alias quodcumque ens potest esse objectum actûs rationalis, sed per se non sufficiens nec efficax, nisi jungatur cum primo objecto movente. Vide quæ circa hoc dicit S. Thom. fol. 51. Num. 88. 89. Vide et f. 33. n. 59.

Dum f. 62. Num. 106. et seq., post Doctorem Angelicum, aio, DEUM esse omnium rerum mensuram ; et quòd omnia cognoscantur in rationibus æternis, prout citatus D. Thomas expressè habet 1. p. q. 84. a. 5. Quibus ibidem adjungo, quòd ad hoc ut possit dici, quod in rationibus æternis omnia cognoscamus, et ipsæ aliquo saltem modo à nobis cognosci debeant. Quod et alibi repeto. Mens mea nullo modo est, quòd illæ æternæ rationes à nobis aut videantur (quia ut sic, prout rectè infert Angelicus, deberemus et ipsum DEUM videre) aut quòd illæ, ut in se sunt, cognoscantur : quia si illæ in se non videntur, nec in se cognoscuntur. Ergò solùm cognoscuntur in altero, id est per creaturam, et in creaturâ, sive, ut loquitur D. Bonaventura, ut per speculum, et ut in speculo. Vide quæ dico f. 64. Num. 111. 112. et seq.

Eodem modo intelligendus sum, cùm sæpiùs, et præsertim Capite 8. Corollario 1. 2. 3. 4. 5. 6. 10. aio, nos immediatè cognoscere DEUM ; et homini DEUM esse per se notum, id est per mentalem contuitum imperfectum ; DEUM esse menti ratiocinanti experimentaliter conjunctum ; et DEUM esse primum cognitum, et

primum amatum; solum DEUM ad cor et ad mentem immediatè loqui posse, etc. Scias, quòd per similes propositiones et asserta nullo modo dicere aut velim, aut intendam, quòd DEUM absque discursu naturalitèr et immediatè cognoscamus, ut in se est; aut secundùm suam essentiam, sive ut alii loquuntur, quoad quæsitum quid est, sed tantùm quoad quæsitum an est, et quoad existentiam, quam aio cognosci non immediatè ut in se est, sive absque speculo creaturæ, sed ut in altero, id est ut in speculo creaturæ relucet. Porrò juxta quod explicat D. Bonaventura in suo Itinerario dupliciter possumus aliquid in altero velut speculo cognoscere, et per speculum et ut in speculo. Per speculum cognitio fit, quando à speculo cognito per discursum transeo ad aliam novam cognitionem rei repræsentatæ in speculo. Ut v g. si ex vestigio leporis in nive relicto transeo ad cognitionem leporis discurrendo, qui tamen lepus in nive nullo modo continetur inclusus. In speculo autem aliquid cognoscitur, cùm opus non est ad aliud extra speculum per discursum divagari, sed si per solum fixiorem speculi aspectum rem illam intueor, quæ in illo speculo aliquo modo continetur. Sic v. g. cognosco figuram Cæsaris in speculo depictam, pro cujus cognitione non opus est ut mente aliò ab ipso speculo transeam, sed satis est, quòd fixis oculis ipsum speculum bene intuear, mox in eodem figuram Cæsaris inexistentem sine omni discursu reperturus. Cùm ergo DEUS non solùm sit creaturarum causa efficiens, et conservans, finalis et beatificans, sed etiam in creaturis aliquo modo insit per essentiam, præsentiam, et potentiam; et in actu rationali (sive animâ rationaliter operante) velut æterna ratio, ut ex Doctoribus citatis posui, ut sic priori modo cognoscitur DEUS ex creaturis tanquam per, et ex speculo, seu ex vestigiis, discurrendo ab effectibus ad DEUM ut causam. Posteriori autem modo cognoscitur DEUS in creaturis tanquam in speculo sine discursu, per solum fixum intuitum ipsius speculi : sed neutro modo ut sic cognoscitur DEUS ut in se est; sed solùm ut in altero, vel ex altero; eo modo videlicet quo aut infertur ex creaturâ (quia v. g. colligitur esse creaturæ causa efficiens, conservans, finis et beatitudo) vel quo inest creaturæ (id est tanquam ratio, vel principium aut terminus.) Porrò relativa sunt simul cognitione, non verò cognoscuntur per discursum, sic et ratio alicujus operationis cognoscitur unà cum operatione. Qui intuetur relativum, et ejus terminum intuetur : quia non potest cognosci specificatum sine suo specificativo. Sic v. g. impossibile est cognoscere actum aliquem, et non cognoscere terminum, in quem tendit. Ubi tamen non necessariò cognoscitur terminus ut in se est, sed solum sub hoc solo extrinseco prædicato, quatenus est terminus illius actus. Vide f. 260. Num. 7. et f. 262. Num. 11. et seq.

Explico ulteriùs meipsum. Per decursum totius Libri conatus sum ostendere, quòd objectiva ratio ad rationaliter operandum non sit temporale quid, nec res ficta, sed æternum quid : et quidquid est æternum, esse realiter DEUM, ut sic consequitur nos posse in quovis actu rationali, vel in animâ ut rationaliter operante, discernere, seu (lato modo loquendo) videre DEUM tanquam rationem operandi : eo videlicet sensu, quo relativa dicuntur esse simul cognitione. Si ergò actus rationalis essentialiter pendet à re æternâ, et ut sic eamdem essentialiter respicit, non poterit cognosci, aut mente videri, nisi et simul videatur id, à quo

essentialiter dependet : non ut id in se est, sed præcisè ut est in altero, sive præcisè quoad prædicatum, quod sit aliquid essentialiter prærequisitum ab actu rationali.

Explico à simili. Doctores communiter conveniunt, quòd DEUS saltem ex creaturis per discursum sit demonstrabilis, et cognoscibilis : non tamen per hoc volunt dicere, quòd ex creaturis sit DEUS cognoscibilis, ut est in se secundùm essentiam : sed tantùm ex creaturis esse cognoscibilem quatenus est creaturarum causa, principium, finis, etc.

A pari dum ego aio, DEUM in creaturis, et quovis actu rationali, esse cognoscibilem, intelligo, non ut in se est, sed quoad hoc præcisum prædicatum, quòd animæ rationali sit Sol intelligentiæ, seu ratio operandi, prout fusè probo fol. 48. Num. 80. et seq. fol. 53. Num. 91. et seq. f. 109. n. 45 et seq.

Et hinc cùm per decursum Libri sæpiùs memoro, creaturæ rationali per actum suum rationalem, seu quo ratiocinatur, sibi DEUM innotescere, etiam ante discursum, nullo modo volo dicere, quòd pro statu isto DEUM cognoscamus absque interventu et speculo, seu prævià notitià creaturæ : prout explico f. 255. n. 76. 77. et sæpiùs. Quòd si dicerem, non solùm Doctori Angelico expressè contradicerem 1. p. q. 88. a. 3. ubi expressè negat DEUM esse primum, quòd à mente humanâ cognoscitur : sed et D. Paulo Rom. 1. v. 20. dicenti : *Invisibilia enim ipsius* (DEI) *à creaturâ mundi per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur : sempiterna quoque ejus virtus et Divinitas.* Non ergò dico, DEUM à nobis pro statu isto ante omnem creaturæ notitiam, et absque omni creaturæ speculo immediatè cognosci, quasi aut cognosceretur ut est in se, aut quasi nulla simplex creaturæ notitia præcedere deberet : non hæc mens mea est : sed solùm dico, quod aliqualis notitia DEI (quatenus aio, DEUM realiter identificari cum objectivâ ratione ad rationaliter operandum prærequisita) præcedat omnem notitiam creaturæ discursivam : insistendo modo præfato loquendi D. Bonaventuræ, qui ait, nos dupliciter per creaturam manuduci in notitiam DEI, et ut per speculum (discursivè transeundo ad existentiam DEI, velut primæ speculi causæ) et ut in speculo : ipsum DEUM in eodem speculo, seu creatura, aliquo modo ut inexistentem intuendo et considerando. Porrò ostendo hunc secundùm DEI contuitum, seu speculationem, præcedere, et ordine naturæ esse priorem, quam ille alter sit, quo DEUS per discursum demonstratur ex creaturâ. Hoc enim ordine puto intellectum nostrum operari. Primò, recepta, et abstractâ à sensibus specie intelligibili alicujus rei, eâdem specie informatus, et absque intuitu ad ullam rationem æternam producit simplicem rei apprehensionem, sed non definitivam, nec talem, cui error subesse non possit (nam etiam juxta D. Thomam q. 16. de dæmonibus a. 12. ex parte speciei intelligibilis potest intercurrere illusio) post hanc creaturæ simplicem notitiam ulteriùs progreditur intellectus, et nititur eamdem rem tum definitivè, quid sit apprehendere, tum de illâ certò judicare, ac discurrere. Hos autem sequentes rationales actus producere non valet absque prævio intuitu ad aliquam rationem æternam, velut mensuram ad definiendum (per cujus accessum et recessum possit mens talem rem definire) et velut normam, seu regulam ad certò judicandum ; et tanquam internam vim, seu necessitatem, quæ securè illationem inferat et urgeat. Hæc autem

ratio æterna, seu mensura nil est distinctum à DEO, ut ostendi f. 62. Num. 106. et seq. f. 110. Num. 45. Lege, si placet, discursum Seraphici Doctoris f. 202. Num 61. etc. et f. 559. Num. 4. et seq. Ergò si ante notitiam rationalem definitivam, judicativam, et illativam prærequiritur notitia talis rationis, ergò et prærequiritur aliqua notitia DEI, non ut est in se, sed quatenus est mensura et ratio omnia definiendi, judicandi, inferendi. Et quamvis ipse D. Thomas videatur aliâ viâ incedere, et contrarium tenere, dum 1. p. q. 88. a. 3. negat, DEUM esse quod primò cognoscitur : Et ad 3. negat omnia cognosci propter DEUM velut primum cognitum, *sed* tantùm *sicut propter primam cognoscitivæ virtutis causam.* Interim sicut f. 30. Num. 54. et seq. Et f. 32. Num. 58. 59. Et f. 62. Num. 106. et seq. observavi, non credo, quòd mens D. Thomæ sit, quasi absque intuitu ad aliquam rationem æternam veluti mensuram, à quâ actûs certitudo proveniat, haberi possit verus rationalis actus. Vide locis citatis. Et f. 259. Num. 4. S. Doctor admittit, quod DEI cognitio saltem in aliquo communi sub quâdam confusione sit nobis naturaliter inserta. Et 1. p. q. 2. a. 3. fatetur : *magis et minus bonum, verum, nobile,* dici talia *secundùm quod appropinquant diversimodè ad aliquid quod maximè est.* Ergò illud quod maximè est, et quod cunctis præponitur debet tandem menti, quæ illud omnibus præponit, saltem aliquo modo esse notum: Ut enim rectè discurrit D. Augustinus Lib. 7. Conf. Cap. 17. *Nisi aliquo modo* (intelligentia hominis) *nosset* (ipsum incommutabile) *nullo modo illud mutabili certò præponeret.* Præponit autem, et quidem certissimè, et citra ullam ambiguitatem. Interim lubens concedo, quòd non omnes homines advertant, quòd illud incommutabile, quod omnibus præponunt ; et illud summum bonum. seu beatitudo summa, quam omnes desiderant, sit ipse DEUS. Ac proinde DEUM agnoscunt quidem, sed solùm *in aliquo communi sub quâdam confusione,* ut loquitur D. Thomas, sed non advertunt quòd illud summum bonum sit DEUS. Vide f. 259. n. 4. R. P. Henricus Wangnerek sic D. Augustinum exponit Lib. 10. Confess. Cap. 18 ubi probat DEUM præter vel extra memoriam non inveniri, quomodo enim DEUS ab aliquo quæri posset, si non DEI meminisset : *Clara et elegans est hæc S. D. doctrina. Unde optimè concluditur : DEUM intra memoriam quæri debere, et aliquam illius notionem, sive conceptum saltem obscurum nobis insitum esse.* Hæc Wangnerek de mente D. Augustini. Vide f. 65. Num. 113.

Dum sæpius per decursum Libri repeto DEUM interiùs mentem creatam immediatè movere, ac docere, et proinde mentem creatam, rationaliter operantem esse, ut sic, (id est ut mobile) immediatè unitam DEO ut moventi, etc. sequor modum loquendi Doctoris Angelici 1. p. q. 105. à 3. et 4. ubi quærit, *utrum DEUS immediatè moveat intellectum creatum.* Idem ait. seq. quærit de voluntate. Qui postquam more suo in contrarium arguisset, sic ait : *Sed contra. Docens movet intellectum addiscentis, DEUS docet hominem scientiam, etc. ergò.* Et art. 4. *Sed contra est, quod dicitur Philip. 2. DEUS est, qui operatur in nobis velle et perficere.* Adde communem Theologorum, qui dicunt, DEUM concurrere (ut causam primam) cum omni actu physico et immediatione suppositi, et virtutis. Porrò licèt cum D. Bonaventurâ, post S. Augustinum, addam, quod insuper immediatè concurrat ut ratio operandi rationaliter. Nullo tamen modo aio, mentem viatoris,

etiam qualitercumque rationaliter operantem, esse DEO immediatè sic conjunctam, aut quasi DEUM intuitivè ac ut in se est videret, aut, alio simili modo, spectante solam patriam Beatorum (ut malè opinabantur Beguardi et Beguinæ, quos arguit Clementina *Ad nostrum*. Titulo *de Hereticis*. Errore 4. et 5. Quia visio DEI nequit fieri sine lumine gloriæ). Nec aio mentem viatoris sic immediatè cum DEO uniri, ita ut nulla intercurrant phantasmata, imagines, vel species. Vide contrarium f. 36. n. 63 et f. 261. Num. 8. ubi concedo omnimodam abstractionem à phantasmatibus naturæ viribus non esse possibilem. Quia juxta Philosophum *intelligentem necesse est speculari phantasmata*. Interim penes intelligentem est phantasmata illa, quæ intellecturo occurrunt manu velut muscas sic abigere, ut saltem ea non æstimet, sed contemnat, et ab actu intellectionis discernat, et ut discreta concipiat.

Dum fol. 398. Num 112. aio lumen objectivum rationis esse impræjudicabile. nec ullam contra se admittere exceptionem, eo quòd omnia lumina complectatur : Nullo modo intendo dicere, quasi ipsum naturale creatum vel subjectivum mentis lumen non posset errare, aut nunquam erroneum esse, aut quasi non posset corrigi (expressè ostendo contrarium f. 104. Num. 34. 35. 36.) aut quòd ens naturale creatum sub se complectatur ens supernaturale : nihil simile aio, sed tantùm volo dicere, quòd naturalis judicatorii objectivus radius, ex cujus intuitu omnia judicamus, se ad omnia extendat, quæ à nobis judicanda offeruntur, sive sint naturalia sive supernaturalia. V. G. juxta radium objectivum rationis judico, contradictoria non posse simul esse vera, vis hujus luminis non solùm verificatur in ente naturali, sed etiam supernaturali, nec est possibile aliud lumen, quod objectivum hoc lumen rationis corrigat velut falsum exprimeret. Vide et fol. 147. Num. 105. et seq.

Dum. f. 309. donùm rationis, quo præcellimus bestiis, oraculum appello, nihil adscisco ex officinâ illorum hæreticorum, qui nescio quas latebras in suis malè sanis cerebris confingunt : Donum rationis maximum, (quo discernimus bonum à malo, quo judicamus bonum faciendum et malum relinquendum, et quod tibi non vis fieri alteri ne feceris : Et DEUM colendum, parentes honorandos etc.) meritò cum D. Augustino et D. Bonaventura naturale oraculum appello, quia dicit nobis veritatem, cùm sit illud lumen à DEO in mente nostrâ signatum, de quo loquitur Psalmus 4. v. 7.

Fol. 458. Cap. 9. in fine Sect. I. ubi objectiones contra Solem intelligentiæ dissolvo, quæ ex parte hæreticorum adducuntur, reperies, quantùm doctrina Solis intelligentiæ differat à phantasiis Anabaptistarum, Schwenckfeldianorum et similis farinæ fanaticorum. Inter quos et numerari posset abominabilis illa Secta Beguardorum et Beguinarum. De quibus habetur in citatâ Clementina Cap. *Ad nostrum*. Tit : *De Hæreticis* Sed quàm discordent tenebræ illæ abominabiles à luce Solis intelligentiæ, clarè demonstrat ipse Pontifex in Concilio Viennensi his verbis.

« Ad nostrum (qui desideranter in votis gerimus, ut fides Catholica nostris » prosperetur temporibus, et pravitas hæretica de finibus fidelium extirpetur) non » sine displicentia grandi pervenit auditum, quòd secta quædam abominabilis, » quorumdam hominum malignorum, qui Beguardi, et quarumdam infidelium

» mulierum, quæ Beguinæ vulgariter appellantur in regno Alemaniæ (procurante
» satore malorum operum) damnabiliter insurrexit : tenens et asserens doctrina
» sua sacrilega et perversa inferius designatos errores. Primò, videlicet, quòd homo
» in vitâ præsenti tantum et talem perfectionis gradum potest acquirere, quòd red-
» detur penitus impeccabilis, et amplius in gratia proficere non valebit : nam (ut
» dicunt) si quis semper posset proficere, posset aliquis Christo perfectior inveniri.
» Secundò, quòd jejunare non oportet hominem, nec orare postquam gradum per-
» fectionis hujusmodi fuerit assecutus : quia tunc sensualitas est ita perfectè, spi-
» tui et rationi subjecta, quòd homo potest liberè corpori concedere, quidquid
» placet. Tertiò, quòd illi, qui sunt in prædicto gradu perfectionis et spiritu liber-
» tatis, non sunt humanæ subjecti obedientiæ, nec ad aliqua præcepta Ecclesiæ
» obligantur : quia (ut asserunt) ubi Spiritus Domini, ibi libertas. Quartò, quòd
» homo potest ita finalem beatitudinem, secundùm omnem gradum perfectionis
» in præsenti assequi, sicut eam in vitâ obtinebit beatâ. Quintò quòd quælibet
« intellectualis natura in seipsâ naturaliter est beatâ : quodque, anima non indiget
» lumine gloriæ ipsam elevante ad DEUM videndum, et eo beatè fruendum. Sextò,
» quòd se in actibus exercere virtutum est hominis imperfecti, et perfecta anima
» licentiat à se virtutes. Septimò, quòd mulieris osculum (cùm ad hoc natura
» non inclinet) est mortale peccatum : Actus autem carnalis (cùm ad hoc natura
» inclinet) peccatum non est, maximè cùm tentatur exercens. Octavò, quòd in
» elevatione corporis JESU Christi, non debent assurgere, nec eidem reverentiam
» exhibere : asserentes, quòd esset imperfectionis eisdem, si à puritate et altitu-
» dine suæ contemplationis tantùm descenderent, quòd circa ministerium seu
» Sacramentum Eucharistiæ, aut circa passionem humanitatis Christi aliqua cogi-
» tarent : Nonnulla etiam alia sub simulata quâdam sanctitatis specie dicunt,
» faciunt et committunt, quæ oculos Divinæ Majestatis offendunt : et grave in se
» continent periculum animarum. Cùm autem ex debito commissi nobis officii
» hujusmodi sectam detestabilem, et præmissos ipsius execrandos errores (ne pro-
» pagentur ulteriùs, et per eos corda fidelium damnabiliter corrumpantur) extir-
» pare ab Eclesiâ Catholicâ necessariò habeamus :

» Nos sacro approbante Concilio, sectam ipsam cum præmissis erroribus damna-
» mus et reprobamus omnino : inhibentes districtius, ne quis ipsos de cæterò
» teneat, approbet vel defendat. Eos autem, qui secus egerint, animadversione
» canonicâ decernimus puniendos. Porrò Diœcesani et illarum partium inquisi-
» tores hæreticæ pravitatis, in quibus Beguardi et Beguinæ hujusmodi commo-
» rantur, suum officium circa eos diligenter exerceant, inquirentes de vitâ et
» conversatione ipsorum, qualiterve sentiant de articulis fidei et Ecclesiæ sacra-
» mentis. In illos verò, quos culpabiles repererint (nisi abjuratis sponte prædictis
» erroribus pœnituerint, et satisfactionem exhibuerint competentem) debitam
» exerceant ultionem. » Ita sonat impiæ doctrinæ justa damnatio.

Observo, amice Lector, si quis prætactum Clementis V. Decretum cum recentioribus contra nescio quam desidiosam contemplationem, vel contemplationis quietem nuperrimè promulgatis comparaverit, mox videbit in condemnationis objecto haud multum inter se discrepare : nisi quod hîc plures, ibi pauciores cen-

surentur propositiones; quamvis in illis 8. velut compendio pleræque ex istis contineantur : ut bene consideranti patebit. Compara ibi 2. et hic 14. 15. 35. 38. 39. 40. ibi 8. et hic 25. 32. etc. ibi 6. et hic 31. 32. 33. 36. ibi 1. et hic 55. 50. 57. etc. ibi 3. et hic 65. 66. 67. 68.

Unde non immerito sanctissimi Pontifices volunt eas utriusque perpetuâ oblivione deleri. Proinde solum genericè et incidenter tria verba commemorare volui ne alicui vel modicissima suspicio oriri posset, doctrinam Solis intelligentiæ quidquam simile damnatum sapere, aut continere : prout cujusque Lectoris Christianam prudentiam testem interpello. Præsens dissertatio, quæ cum S. Augustino, Divis Thoma, ac Bonaventura, aliisque, ipsum internum humanæ mentis Magistrum speculativè disceptando inquirit, nihil commune cum hisce malæ sonantis praxeos damnatis principiis habet : et sicut objecto, ita toto cœlo differunt : non hîc dicta materia tangitur, minus sustinetur : imo meus Sol intelligentiæ utrique præfatæ doctrinæ diametraliter opponitur. Colliges ex mox dicendis pro intelligentia citatæ Clementinæ. Nullam cessationem ab actibus docet radius hujus Solis, sed mentem humanam ad solertiam, ad diligentiam, ad laborem manuducit, ut ex intuitu luminis naturæ à DEO super nos signati nunquam torpeamus, et in cognoscendo, et in amando (DEUM et Proximum) ac pietatis opera sedulò exercendo. Præfatæ propositiones claro rationis lumini, et pleræque illarum omni honestati opponuntur : sic et opponentur Solis intelligentiæ lumini incircumscripto, de quo in præsentiarum agitur.

Audiamus magnum Augustinum more suo Divinam Ambrosiam eructantem Serm. 27 de Verbis Domini : Ubi sic utramque vitam (tum activam, tum contemplativam) depingit, exponitque qualis esse debeat, ne sit spuria, aut vitium incurrat. *Remanserunt ergò in illa modo, quæ susceperat Dominum, in duabus fœminis duæ vitæ* (intellige activam et contemplativam) *ambæ innocentes, ambæ laudabiles.* Sed quæsierit aliquis Augustinum, qualiter hæ duæ vitæ esse debeant, ut innocentes ac laudabiles dici mereantur. Mox hisce respondet. *Una* (id est vita activa) *laboriosa* (scilicet esse debet) *altera* (id est contemplativa) *otiosa* (sit) Sed qualiter et quomodo, aut quod extremum ambæ vitare debent? sic explicat. *Nulla facinorosa, nulla desidiosa. Ambæ innocentes, ambæ inquam laudabiles : sed una laboriosa, altera otiosa : nulla facinorosa, quam cavere debet laboriosa : nulla desidiosa, quam cavere debet otiosa.* Vides ergo juxta D. Augustinum laudabilem vitam activam sic debere fideliter operari, ut tamen vitet facinora : Laudabilem contemplativam verò sic et taliter vacare et otiari oportere, ne tamen in desidiam oppositum vitium per defectum incurrat, tale quippe otium nullam meretur laudem, sed homine ab omni tam interno quàm externo opere voluntariè ac liberè cessante dicitur pulvinar diaboli, quia tunc nobis agentibus ferias is diligenter operatur, sed opera sua, quæ Divus Paulus ad Galatas 5. v. 19. opera carnis appellat.

Porrò dum fol. 468, et seq. aio : creaturam respectu DEI nihil esse, cito ibi similiter loquutos fuisse S. Hieronymum, S. Augustinum, S. Anselmum, S. Thomam, S. Bonaventuram, etc. nec per hoc ullatenus doceo illam ibi damnatam annihilationem, ubi tunc animam anihilari dicitur, cum nihil operatur : non

doceo, ut annihilemur evacuando nos ab operatione, et nihil operando, talem voluntariam annihilationem non approbat, sed reprobat Sol intelligentiæ. Aliud per dictæ objectionis 10. solutionem non intendo, quam comparativè loqui : videlicet, quod equidem creatura in se aliquod ens, et bonum sit (ut expressè dico fol. 475. lin. 11 et seq.) at DEI Immensitati ad latus locata plurimùm ab actu essendi deficiat, et veluti nihil sit, eò quòd, ut ibi fol. 470. loquitur D. Thomas, creatura solum finito modo ad DEUM accedat, et infinito recedat. Item eadem mea solutio potissimum eò respicit, quod creatura dicat essentialem dependentiam à DEO, quâ non cointellectâ (eo ipso quod essentialis sit) nec etiam perfectè intelligi possit quid ipsa sit : cùm videatur implicare aliquid perfectè intelligi, nisi ea omnia aliquo modo cointelligantur, quæ in ejus conceptu essentialiter includuntur, quamvis non in recto, sed solùm in obliquo. Nec te moveat, quod occasione ejusdem solutionis Auctoris ibi positi faciam mentionem, et testimonium adducam (sicut ea in mea Manuductione fol. 8 et fol. 285.) nihil ex eo pono, quòd alii Classici non habeant. Nec ullam Liber ille tunc subierat censuram cum ista conscriberem : et in Manuductione fol. 288. expressam pono cautelam pro minus expertis, ne illudantur in ejus lectione. Cùm sæpiùs etiam ex bono malum oriri possit : si aut incapaci, vel minus rectè intelligenti exhibeatur : aut si præsumitur in altum volatus, dum alæ deficiunt : unde multoties necessarium est infirmioribus occasiones hujusmodi tollere.

Denique si alicui 27. Corollarium de secreto mentis oraculo scrupulum moveret. quasi similem farinam redoleret, à dubio mox extricabitur, si is, qui dubitat illud ipsum oraculum suâ mente consulerit : quo aliud non intelligo, quàm ipsum rationis naturale lumen, cujus capaces sumus, quod nobis interius jugiter inclamat, quid agere debeamus. Et, ut ibi dico, infallibilia responsa hoc oraculum fundit : sed intellige (ut expressè addo fol. 309. n. 186.) *si fixè, si uti fieri debet dilucidè consulatur, et irretortis mentis oculis, et corde per malos affectus non curvo, diligenter quid respondeat audiatur.* Si rationis hoc eloquentissimum oraculum audirent homines haud toties malè operando in rationem peccarent : nec per negligentiam, ac pigritiam in negotio salutis æternæ ita desides, et socordes efficerentur : cum et malum operari prohibeat dilectio : et ut bonum jugiter operemur Scripturæ præscribat instructio : dum ordinat, ut in sudore vultûs nostri vescamur pane nostro : et ut à formica jugiter laborante pigri sapientiam addiscant : et hominem asserit nasci ad laborem, et avem ad volatum. Ergò sapientis non est et exteriori actione non laborare, et simul internâ sursum ad DEUM non volare. *In ascensu montis materialis*, inquit Vir verè Seraphicus, Stimulo divini amoris p. 4. c. 4. *quia caro infirma est quietem interpositam requirit. In ascensu autem montis spiritualis, quia spiritus promptus est contrarium requiritur, ut scilicet non quiescat.* Et supra. *In isto assensu non quiescere est quiescere, et qui quiescere vult fatigatur.* Et hoc credo sufficere circà recentiora Decreta.

Quæ verò dictam Clementinam concernunt, et illius recensitos 8. errores itidem ostendo nihil habere commune cum hoc Sole : quia sicut illi verè absurdi sunt : sic et illorum absurditatem ipsemet intelligentiæ Sol abominatur, non minus quàm Pontificis oraculum dicentis : *Nos sacro approbante Concilio sectam ipsam*

cum præfatis erroribus damnamus et reprobamus omnino. Et infrà. *In illos verò, quos culpabiles repererint (nisi abjuratis sponte prædictis erroribus pœnituerint, et satisfactionem exhibuerint competentem) debitam exerceant ultionem.* Hucusque Pontifex.

Confer nunc octo illas abominationes cum radio Solis intelligentiæ, num sibi concordent. Iste vel ratione teste non impeccabiles, sed peccatores appellat homines, etiam quatumcunque profecerint, quibus per Angelum prædicari audit, Apoc. 22. v. 11. *Qui justus est justificetur adhuc, et sanctus sanctificetur adhuc.* Et vult omnes pro quotidianis culpis ad DEUM orare : *Dimitte nobis peccatoribus.* Et S. Franciscus Vir verè Seraphicus ac perfectus repudiabat sanctus appellari, eo quod, ut dicebat, adhuc peccare, imo filios per fornicationem procreare posset. Vide quid D. Augustinus circa hoc loquatur Lib. de naturâ et gratiâ Cap 36. Ubi et reperies, an et qualem prærogativam circa hoc habuerit D. Virgo Mater veri DEI. Nihil ergò simile instruit Sol intelligentiæ, sed attento peccato originali, ac viribus naturæ per illud læsis mentem supprimit non elevat. Vide f. 60. Num. 103. et f. 455. Num. 10. 11. 12. 13. 14.

Sicut etiam omnes, quantumque perfectos, hortatur ad jejunia, pœnitentias, et ut carnem crucifigant cum vitiis et concupiscentiis. Vide f. 406. Num. 125. et seq. Quod et fusè doceo in meâ Manuductione Neophyti p. 2. Cap. 4. 5. 6. 7. 8. 9. Item in *Fuoco d'Amore* in Præludio ante 4. Partem. Et sicut Sol intelligentiæ docet nunquam cessandum esse à carnis mortificatione, ita quoque oportere semper orare, et non deficere, ut expressè ait Christus Luc. 18. v. 1. De quo et mea Manuductio p. 1. Attenta quippe hominis fragilitate ratio dictat ut timeamus ne cadamus, et proinde ab oratione non cessemus. Dicere verò posse hominem perfectum corpori concedere, quidquid placet, est idem ac dicere licitum esse eidem arma subministrare, quibus contra spiritum insurgat et ad vitia pertrahat. Vide quid pius Fr. Thomas de corpore subjugando dicat in *Fuoco d'Amore* p. 2. T. 2. Et P. 4. Cap. 38. inter alia sic ait : « Non vi è mezzo più potente a far cadere » ne' vitii, quanto il lasciar la carne in libertà : perche posta in tal stato, non há » ritegno alcuno : essendo indomita, e sfrenata per se stessa : che il cervo non » corre tanto velocemente al chiaro fonte per extinguere la sete, quanto fa la carne » al fontè d' ogni vitio, etc. » Vide et Cap. 12.

Quoad tertium tu censeas, an Sol intelligentiæ, et radius rationis doceat illum spiritum libertatis, ac inobedientiæ erga homines et Ecclesiam. Vide f. 408. Num. 132. et f. 455. Num. 10. 11. 12. 13. 14. Ubi hæc hæretica spiritûs libertas rejicitur.

Circa quartum et quintum punctum sufficiant ea, quæ superiùs posita sunt Sol intelligentiæ docet discrimen esse inter viam et patriam, et finalem beatitudinem reservari ad futuram vitam, ubi DEUM videbimus non ampliùs *per speculum* et *in ænigmate,* sed *facie ad faciem sicuti est.* Dicere autem quamlibet intellectualem naturam in seipsâ naturaliter esse beatam : et quòd anima non egeat lumine gloriæ elevante ad DEUM videndum, et eo beate fruendum, est dicere non solùm miseros in hoc mundo adhuc viventes, sed et ipsos damnatos esse beatos. De neces-

sitate luminis gloriæ (specificantis Theologiam beatorum non viatorum.) Vide fol. 45. Num. 77. et f. 72. in Tabula. Vide et f. 95. Num. 14.

Circa sextum, septimum, et octavum absurdum alius intelligentiæ Sol necessarius non est, ut illorum absurditas videatur, quàm clarum rationis lumen : quod sicut docet bonum esse faciendum et malum omittendum, sic vult, ut nunquam à nobis licentiemus virtutes, nec unquam amemus aut incurramus periculum [etsi pro tunc natura non inclinet ad malum, quia adeundo periculum posset inclinare] et quatumcumque usque ad tertium cœlum in contemplationem suspensi essemus, debita erga SS. Eucharistiam reverentia semper ab homine est exhibenda : Cùm et ratio dictet sæpiùs oportere relinquere DEUM proper DEUM.

Circa quod additur in octavo puncto de consideratione Passionis humanitatis Christi. Lubet hut transferre, quæ dico in meâ Mânuductione P. 1. Cap. 2. ubi per totum deprædico præstantiam Meditationis Passionis Dominicæ. Et his formalibus Caput illud cum R. P. Benedicto concludo : « Contemplationem de Christi » Passione omnium utilissimam, quin et sublimissimam, ac perfectissimam esse, » Christoque gratissimam, nec hoc ullam aliam quantumcumque sublimem con- » templationem (v. g. quæ solius divinitatis est) deserendam : sed hæc ambo » extrema semper habenda præ oculis : videlicet Christi Passionem, ac humilem » ejus statum et divinitatem, seu infinitam ejusdem dignitatem : minimè autem » hanc solam, et separatam : eo quòd minus decorum, et amori Christi minùs » conforme videatur, si eidem in Cruce pendenti terga vertamus, ut ejus solam » Divinitatem contemplemur. Ita sentit Vir ipse pius, et ecstaticus. Per quod » tamen Novellis, et in arte contemplandi minùs exercitatis non imponitur infal- » libis Regula, semper et inviolabiliter Christi Passionem meditandi, sed solùm » innuitur nobilitas, ac ingens prætium Dominicæ Passionis, et ejus memoriæ : » quæ cæteris omnibus nostræ salutis mediis antecellit, ita ut » non sit in alio aliquo salus, in quo oporteat nos salvos fieri : *ut loquitur S. Petrus de Christo à Iudæis Crucifixo.* Act. 4. v. 12.

Hanc ultimam clausulam addidi. quia noviter conversus à mundo et à statu peccati debet etiam (præter Meditationem Passionis Dominicæ) per salubrem considerationem 4. Novissimorum in se timorem et dolorem præteritæ vitæ excitare. Nec ex eo, quod priùs in laudem Meditationis Dominicæ Passionis edixeram, juvenes crederent, indispensabiliter semper de illâ solâ Meditationem instituendam esse.

Hæc breviter annotanda judicavi; si plura Lectori, ut minùs explicata, occurrerent, ejusdem candori et discretioni commendo, ut ea conformiter principiis sinceræ mentis meæ, in hoc Opusculo sæpiùs adductis, exponere velit; sicut et typi errata legentis prudentiæ corrigenda committo. Pauca hæc ipse notavi.

TABULA

CAPITULORUM ET SUMMARIORUM

CAPUT I. — Synoptica intelligentia de mente, ac anima rationali præmittitur.

Summarium. — 1. Animastica notitia pro captu Solis intelligentiæ necessaria. — 2. Cur anima, et ejus potentiæ diversis appellentur nominibus..... 1

SECTIO. — Quid sit anima rationalis, et a qua ratione rationalis dicatur ?

Summarium. — 3. Quæ sint certa de animâ rationali. — 4. Variæ definitiones animæ rationalis. — 5. Anima rationalis est similitudo omnium. — 6. Anima rationalis est substantia incorporea, rationis capax, seu particeps : vivificando, ac regendo corpori accommodata. — 7. Quid intelligatur nomine rationis ? — 8. In recto significat rem creatam, in obliquo rem æternam. — 9. Discrimen inter rationem objectivam et subjectivam. — 10. Hoc discrimen probatur ex D. Augustino. — 11. Ratio objectiva est ipsa Dei essentia, et appropriatè Verbum, juxta D. Augustinum. — 12. Probatur etiam ex S. Hieronymo, ac D. Thoma. 13. Probatur ex Evodio. — 14. Probatur ex processione Verbi. — 15. Verbo Divino omnia sempiternè dicuntur. — 16. Verbum Divinum habet vim expressivam omnium. — 17. Quid nomine Verbi hîc opporteat intelligi.? — 18. Quomodo definienda sit ratio objectiva ?..... 3

SECTIO II. — Quæ sint potentiæ, seu facultates animæ rationalis ?

Summarium. — 19. Anima rationalis, vegetativa quoque est, ac sensitiva. — 20. Potentiæ nobis communes cum plantis quæ ? — 21. Potentiæ communes cum bestiis sunt omnes sensus. — 22. Uterque appetitus sensitivus : potentia locomotiva. — 23. Vires animæ juxta Medicos. — 24. Quæ sint potentiæ hominis propriæ ? — 25. Ex actuum experientiâ probantur..... 11

SECTIO III. — Dubia quædam circa potentias animæ resolvuntur.

Summarium. — 26. Quid animæ varia nomina significent ? — 27. Quid anima, animus, spiritus, mens ? — 28. Unde lex spiritûs et membrorum ? — 29. Differentia inter animam, et animum. — 30. Animæ ac spiritûs mutua effectuum contrarietas. — 31. Se invicem qualiter sublevent ?..... 15

§. I. *Quid anima, animus, spiritus, et mens ?*..... 15

§. II. *Quid Pars animæ intellectiva et affectiva : et quid intelligentia ?*

Summarium. — 32. Quid Pars intellectiva et affectiva ? — 33. Quid intelligentia ?... 19

§ III. *Quid sit apex mentis, seu fundus, ac centrum animæ ?*

Summarium. — 34. Quid apex mentis ? — 35. Quid D. Bonaventura de apice mentis ? — 36. Idem de eodem in Itinerario. — 37. Quid S. Augustinus de apice mentis ? — 38. Cur mentis apex asseratur ? — 39. Apex mentis comparatur monti Olympo. — 40. S. Catharina de Senis experta fuit. — 41. Concluditur dari apex mentis. — 42. Residet in utraque parte animæ. — 43. Continet seminaria virtutum. — 44. Movetur immediatè à Sole Intelligentiæ..... 20

§ IV. *Quid ratio superior et inferior.*

Summarium. — 45. Quid ratio superior et inferior ? — 46. Notitiæ certitudo est à solis rebus æternis..... 25

§ V. *Quid intellectus agens, et possibilis ?*

Summarium. — 47. Quid intellectus agens et possibilis ? — 48. Quid Aristoteles de iis senserit ? — 49. Difficultates circa intellectum agentem. — 50. Sensus D. Bonaventuræ. — 51. Mens ejus exponitur. — 52. Quid D. Thomas senserit ? — 53 Intellectus agens datur, sed non sufficit ? — 54. Ejus insufficientia probatur ex D. Thomâ. — 55. Lumen primorum principiorum potest à solo DEO imprimi. — 56. D. Thomas conciliatur cum S. Augustino. — 58. In solum DEUM referenda est actûs certitudo et infallibilitas. — 59. Denuò D. D. Angelicus et Seraphicus cum S. Augustino conciliantur..... 26

§ VI. *Quid sit intellectus speculativus et practicus ; et quid voluntas ut natura, et ut libera ?*

Summarium. — 60. Quid intellectus speculativus et practicus ? — 61. Quid voluntas ut natura, et ut libera ?..... 34

§ VII. *Quid sit habitus principiorum ?*

Summarium. — 62. Habitus principiorum quoad lumen concreatus est : sed quoad species acquisitus. — 63. Et ideò non statim ac infunditur anima rationaliter operamur : nec cæcus à nativitate judicat de coloribus. — 64. Dividitur in intellectum et syntheresim. — 65. Quis et qualis sit actus synthereseos ?..... 36

§ VIII. *Synopsis terminorum animasticorum, et gradus ad Sapientiam Christianam.*

Summarium. — 66. Synopsis terminorum animasticorum. — 67. Iter ad Sapientiam Christianam. — 68. Gradus ad Sapientiam Christianam. — 69. Hæc mentis scala adumbrata fuit per scalam Jacob. 70. Deus ibi reperitur ubi veritas residet. — 74. Scopus totius Sectionis eruitur..... 38

SECTIO IV. — Qualiter mens, vel anima rationalis operetur ?

Summarium. — 72. Potentiæ in operando dependent ab objecto. — 73. Potentia respicit objectum ut fœmina virum. = 74. Explicatur comparatio. — 76. Duplex modus contrahendi matrimonium. — 76. Moralitas. — 77. Cur fiat connubium inter absentes per vicariam imaginem ? — 78. Absentia rerum, et improportio species detexerunt. — 79. Potentia non admittit objectum nisi connaturali suâ ratione vestitum..... 41

§ I. *Potentia rationalis, ut operetur, respicit objectum sicut fœmina virum* 42

§ II. *Connaturalis objectiva ratio operandi rationaliter, est aliquid immutabile, æternum, ac divinum.*

Summarium. — 80. Probatur quintupliciter hæc ratio operandi. — 81. DEUS est unica virtus maritans mentem nostram. — 82. Nec inter actus rationales exceptio facienda. — 83. Solvitur objectio quoad peccata. — 84. Confirmatur solutio per D. Augustinum. — 86. Aliud ipsius S. clarius testimonium. — 86. Omnis, qui peccat perversè DEUM imitatur.—87. Divo Augustino concordat D. Bonaventura. — 88 Et utrique D. Thomas q. de dæmonibus a. 8. — 89. Et 1. p. q. 105. a. 4. — 90. His non obstantibus peccamus : et cur?..... 47

§ III. *Corollarium circa rationem operandi.*

Summarium. — 91. Actus rationalis pendet à duplici principio. — 92. Non sufficit sola mens, etiam cum specie informata. — 93. Species non est discretiva teste D. Augustino. — 94. S. Augustinus admittit etiam species intelligibiles. — 95. Species intelligibilis solum dat posse rem fallibiliter apprehendere.— 96. Objectio. — 97. Quid propriè sit aliquid definire?..... 53

§ IV. *De triplici cognitionis principio, id est, specie, idea et mensura; qualiter, et sub quâ differentiâ cognitioni subserviant?*

Summarium. — 98. Tria sunt media cognoscendi, species, idea et mensura. — 99. Explicantur praxi concionatoria. — 100. Declanratur et alia praxi..... 57

§ V. *Differentia inter speciem, ideam, et mensuram.*

Summarium. 101. — Differentia inter speciem, ideam, et mensuram. — 102. Quid et quantum species conferat? — 103. Per se nudè accepta potest errare, nec extenditur ad omnia individua. — 104. Objectio de intellectu respiciente infinitas formas. — 105. Quid et quantum conferat idea, et mensura..... 59

§ VI. *DEUS est unica mensura et idea ad omnia infallibiliter cognoscenda.*

Summarium. — 106. DEUS est unica infallibilis idea, et mensura rerum etiam juxta D. Thomam. — 107. Et non solùm in essendo, sed etiam in cognoscendo. — 108. Et non solùm ad certò judicandum, sed etiam ad definiendum. — 109. Quomodo omnia à nobis cognoscantur in rationibus æternis? — 110. Præter rationes æternas requiruntur etiam species. — 111. Rationes æternæ non cognoscuntur à nobis in se, ac perfectè; sed in alio, et imperfectè. — 112. Confirmatur testimonio D. Augustini. — 113. Aliud testimonium ejusdem. — 114. Tertium ipsius testimonium. — 115. Confertur S. Augustinus cum D. D. Thoma et Bonaventura. — 116. Quo sensu et ipse intellectus, vel subjectivum rationis lumen dici possit regula et mensura agendi? — 117. An veritas hæc latuerit Philosophos antiquos? — 118. Quid de Aristotele sentiendum sit? — 119. Cur Plato et Aristoteles pleraque falsa de DEO senserint?..... 62

APPENDIX AD CAPUT I. — Sensus doctorum de specificatione habituum : et lumine scientifico.

Summarium. — 120. De specificatione scientiarum per lumen. — 121. Tabula de lumine specificante cognitionem..... 71

TABULA luminis cognoscitivi..... 72

CAPUT II. — Ex dictis in priori capite, totius controversiæ status eruitur, et de novo clarius exponitur.

Summarium. — 1. Etsi status quæstionis ex dictis colligi possit, tamen hîc clariùs et breviùs declaratur. — 2. Ignorato enim statu quæstionis nihil dicendorum utiliter perpici potest. — 3. Quem proindè explicabo ut potuero. 73

SECTIO I. — Quid sit certum et quid controversum circa divinum intelligentiæ solem ?

Summarium. — 4. Quid non quæratur, sed extra omnem controversiam ut verum supponatur ? — 5. Quid propriè quæratur, seu quid nomine Solis intelligentiæ lumen indeficiens etc. intelligatur ?.. 74

SECTIO II. — Status quæstionis dilucidatur per analogiam Solis, et oculi corporei.

Summarium. — 6. Analogia Solis et visus corporei controversiam declarat. — 7. Inter oculum carnis et oculum mentis est magna proportio. — 8. Præter objectum quod, qualiter sit necessaria ratio objectiva. — 9. Triplex dependentia operationis mentalis. — 10. Similitudo monentis, et lumen cubili inferentis.. 76

SECTIO III. — Hæc analogia solis et oculi corporei ad solem intelligentiæ, et oculum mentalem, expenditur juxta D. Thomam.

Summarium. — 11. D. D. Augustinus et Dionysius Areopagita, et S. Thomas sic comparant. — 12. Deus et virtus animæ concurrunt ad intelligibilitatem rerum. — 13. Deus sicut Sol, hæc sicut lumen. — 14. Deus ergò juxta D. Thomam est Sol intelligentiæ idem conferens oculo mentis, quod Sol corporeus confert oculo carnis. — 15. Objectio ex S. Thoma. — 16. Explicatur hæc objectio. — 17. Respondetur ad objectionem. — 18. Mens potest ad aliquid jam esse conversa et adhuc convertibilis. Ubi recensentur pleraque principia per se nota. — 19. Declaratur. 78

SECTIO IV. — Idem status quæstionis manifestatur ex ratione mensuræ, et scientiæ : ex indita notitia primorum principiorum : et ex eo, quod quælibet mens creata sit imago DEI.

Summarium. — 20. Mensura, scientia, primæ veritates, imago DEI explicant statum quæstionis. — 21. Qualiter mensura statum q. explicet. — 22. Qualiter scientia statum q. explicet. — 23 Qualiter notitia primorum principiorum statum q. explicet. — 24 Qualiter ratio imaginis DEI statum q. explicet. — 25. Synopsis dictorum. — 26. Qualiter intelligatur à solo DEO mentem moveri. — 27. Diversimodè potest aliquid ab alio moveri. — 28. Status q. universalis in sequentibus limitatus probatur. — 29. Si Solus DEUS potest intùs illuminare, etiam potest solus intùs docere. 83

CAPUT III. — Quædam hypotheses, seu veritates, veluti necessaria præludia supponuntur.

Summarium. — 1. Præludia hæc ordinatè, ac attentè legenda. — 2. Quò colliment ?. . 89

SECTIO I. — Quatuor primæ hypotheses, seu præludia.

Summarium. — 3. Sicut DEUS omnia creat, ita vicissim omnia beat. — 4. Sola creatura rationalis creatur ut imago DEI, et beatur per fruitionem veritatis. — 5. Quid Aristoteles, cum Theologis, ac D. Augustino de hoc sentiant ? — 6. Deus, quantum est ex se, omnem creaturam rationalem vult per fruitionem veritatis beare. — 7. Quæ sint requisita ad fruitionem veritatis ? — 8. Præter internas dispositiones

requiritur externum spirituale lumen, veritatis manifestativum. — 9. Probatur ex S. Paulo Eph. 5. v. 13. — 10. Probatur etiam ex S. Thoma. — 11. Officium luminis quale sit? — 22. Probatur et ex communi Philosophorum. — 13. Quæstiones solvendæ de hoc lumine manifestativo. 90

§ I. Hypothesis, seu præludium. *Sicut DEUS omnia creat, ita vicissim omnia beat.* . . 90

§ II. Hypothesis, seu Præludium II. *Sola creatura rationalis creatur ad imaginem DEI, et divinorum capax, et sola ab eodem per intellectualem cognitionem et fruitionem veritatis beatur.* 91

§ III. Hypothesis, seu Præludium III. *DEUS quantum est ex se vult omnem creaturam rationalem per cognitionem, et fruitionem veritatis beare : et ad hunc finem omnia necessaria media eidem providit.* 92

§ 4. Hypothesis, seu Præludium IV. *Ad fruitionem veritatis indiget mens creata, præter internas dispositiones, etiam aliquo externo lumine intelligibili seu spirituali, ejusdem veritatis manifestativo.* 93

SECTIO II. — Aliæ quatuor hypotheses, seu præludia.

§ I. Hypothesis, seu Præludium V. *Datur lumen intelligibile, seu spirituale ultrà sensibile, et corporale : et est verum, ac proprium lumen, imò magis proprium quàm corporale.*

Summarium. — 14. Veritas luminis intelligibilis probatur ex Scripturâ, et Doctoribus. — 15. Probatur ex consensu ipsius naturæ. — 16. Probatur ex iis, qui foris cæci sunt, sed intùs benè vident. — 17. Probatur ex analogiâ oculi spiritualis, et corporalis. — 18. Probatur ex D. Thoma. — 19. Quid veniat nomine luminis intelligibilis, ac spritualis? 95

§ II. Hypothesis, seu Præludium VI. *Etsi lumen intelligibile, seu spirituale aliud sit subjectivum, ac internum, tenens se ex parte subjecti : et aliud objectivum tenens se ex parte objecti : hoc tamen verius ac magis propriè lumen est.*

Summarium. — 20. Probatur hypothesis ex jam dictis in præcedentibus. — 21. Necessitas utriusque luminis et præsertim externi, seu objectivi probatur ex analogia oculi corporalis. 98

§ III. Hypothesis, seu Præludium VII. *Lumen intelligibile, seu spirituale objectivum, in varia membra dividitur, sed principaliùs in circonscriptum, et in incircumscriptum.*

Summarium. — 22. Quid intelligatur per lumen objectivum temporale ac circumscriptum et æternum, vel incircumscriptum? — 23. Ut hoc capiatur, necessarium est utriusque hujus luminis convenientias, et differentias intelligere. 99

§ IV. Hypothesis, seu Præludium VII. *Qualiter lumen circumscriptum, et incircumscriptum conveniant et differant.*

Summarium. — 24. Prima convenientia luminis circumscripti et incircumscripti. — 25. Secunda convenientia. — 26. Tertia convenientia. — 27. Confirmatur tertia convenientia. — 28. Quarta convenientia. — 29. Quinta convenientia. — 30 Sexta convenientia. — 31. Prima differentia. — 32. Secunda differentia. — 33. Tertia differentia. — 34. Quarta differentia. — 35. Confirmatur quarta differentia. — 36. Quinta differentia. 100

SECTIO III. — Aliæ tres hypotheses, seu præludia.

§ I. Hypothesis, seu Præludium IX. *Quid sit scire, vel scientificè aliquid cognoscere?*

Summarium. — 37. Quid sit scire? — 38. Quid ad scientiam requiratur?. 105

§ II. Hypothesis, seu Præludium X. *Ad generandum Scientiam, et ut scientificè aliquid cognoscatur, necessarium est lumen incircumscriptum, id est, tale lumen, quod ex se immutabiliter suprà locum, et suprà tempus, semper et æternaliter luceat, et rem illam veram esse semper pronuntiet.*

Summarium. — 39. Vera, certa, et evidens cognitio petit fundari super aliquid immutabile. — 40. Declaratur et probatur primò. — 41. Declaratur et probatur secundò. — 42. Declaratur et probatur tertiò. — 43. Declaratur et probatur quartò quoad scientiam definitivam. — 44. Quid sit hoc immutabile, super quod vera, certa, et evidens cognitio petit fundari. 106

§ III. Hypothesis, seu Præludium XI. *Hoc lumen incircumscriptum, quod semper, et immutabiliter lucet, non est ens rationis, nec ens creatum temporale : sed increatum et æternum.*

Summarium. — 45. Hoc immutabile incircumscriptum lumen, quod semper, ubique, et immutabiliter lucet non est quid fictum, aut ens rationis. — 46. Probatur primò. — 47. Secundò. — 48. Tertiò. — 49. Solvitur objectio. — 50. Solvitur replica. — 51. Nec est ens reale creatum. — 52. Confirmatur à partium enumeratione. — 53. Non est intellectus, vel habitus principiorum. — 54. Non est natura realis abstracta. — 55. Solvitur objectio. — 56. Iterùm confirmatur. — 57. Sed est ens reale increatum : et hoc probatur, et tripliciter confirmatur. — 58. Confirmatur quartò. 59. Quis ergò dicendus sit internus Magister? 109

SECTIO IV. — Aliæ quinque hypotheses, seu præludia.

§ I. Hypothesis, seu Præludium XII.

Summarium. — 60. Docere et doceri sunt inseparabilia. — 61. Qualis actio sit verum docere. 114

§ II. Hypothesis, seu Præludium XII. *Docere, et doceri sunt actio et passio, quibus producitur doctrina et inde fundantur relationes Discipuli ac Magistri.*

Summarium. — 62. Per internum docere et doceri intelligitur vera interna actio, non solus exterior conatus. — 63. Declaratur per comparationem ad alia verba activa et passiva. — 64. Exponitur ex applicante activa passivis. — 65. An ergo Magister creatus solùm exteriùs doceat? 115

§ III. Hypothesis, seu Præludium XIV. *Doctrina, et scientia fit in solâ internâ mente : undè ab illâ actione minimè attingitur, quæ tota foris terminatur*

Summarium. — 66. Ipse titulus est Summa. 116

§ IV. Hypothesis, seu Præludium XV. *Omnis actio verè sensibilis tota foris in corpore terminatur.*

Summarium. — 67. Actio sensibilis tota foris terminatur. — 68. Solvitur objectio in contrarium. — 69. Exponitur mens D. Thomæ. 117

§ V. Hypothesis, seu Præludium XVI. *Concursus hominis, quo exteriùs nititur docere, est actio purè sensibilis.*

Summarium. — 70. Actio hominis docentis est tota sensibilis. — 71. Probatur primò. — 72. Probatur secundò. — Objectio..... 118

SECTIO V. — Hypothesis, seu Præludium XVII.

Etsi concursus hominis, quo exteriùs nititur alterum edocere, et efficere; ut discipulus internè doceatur, ac doctus evadat, nequeat (propriè, ac strictè loquendo) vocari verum, proprium, ac rigorosum internum docere; nec proindè hominem verum internum Magistrum constituat (cùm solus DEUS talis sit) potest nihilominùs, ac debet vocari proprium externum docere, et ipse homo docens, verus et proprius externus Magister.

Summarium. — 74. Solus DEUS internè, homines verò exteriùs docent. — 75. Prout expressè tenet et ipse Doctor Angelicus variis in locis. — 76 Et præsertim Q. 11. de Magistro a. 1. ad 7. 8. et 13. — 77. Verba, seu nomina internam actionem significantia non semper in omni rigore accipienda sunt. — 78. Et sub varia consideratione potest aliquod verbum, seu nomen alicui propriè, et impropriè convenire. — 79. Applica ad creatum docere, et creatum Magisterium. — 80. Docere, seu magisterium creatum respectu increati est analogum attributionis. — 81. Magna differentia inter docere externum et internum. — 82. Externum docere, seu magisterium absolutè spectatum est verum ac proprium. — 83. Qualiter homines illuminent, et non illuminent? — 84. Nec aliter D. Augustinus intendit. — 85. Ut mens actu intelligat tria necessariò concurrunt, scilicet 1. ut oculus mentis sanus sit. 2. ut aspiciat. 3. ut videat. — 86. Verba Magistri creati exteriùs docentis tantùm inserviunt ad secundum, id est ad juvandum vel excitandum, ut discipulus aspiciat..... 120

SECTIO VI. — *Ex præmissis Hypothesibus elicitur universalis Conclusio, et totius præsentis Controversiæ integrum Argumentum, seu Assertio.*

Summarium. — 87. Universalis conclusio totius argumenti. — 88. Cur solus Christus Magister dicatur? — 89. Cur Christus crucifixus Magister dicatur? — 90. Quid intelligatur nomine intellectualis, seu interni Magisterii? — 91. Quis physicè doceat sensibilia? — 92. Quid D. Augustinus de hoc senserit?..... 127

CAPUT IV. — Solis intelligentiæ lumen indeficiens, sive Dei ut entis summi internum magisterium probatur ex sacra pagina.

Summarium. — 1. Etiam sacer Textus non obscurè favet Soli intelligentiæ. — 2. Prima classis locorum Scripturæ. — 3. Secunda classis. — 4. Tertia classis. — 5 Quarta classis. — 6. Quinta classis. — Sexta classis..... 131

SECTIO I. — * Loca scripturæ, quæ Christum aut solem; aut intelligentiæ, et justitiæ solem expressè nominant

. . . . . .

SECTIO II. — * Loca scripturæ, quæ soli Deo vim mentis creatæ tum interius motricem, tum sufficienter expletivam attribuunt.

. . . . . .

SECTIO III. — * Loca scripturæ, quibus insinuatur, quod DEUS hominem doceat, erudiat, instruat: eumdem alloquatur; eidem res declaret; intellectum, intelligentiam, scientiam, sapientiam et viam disciplinæ elargiatur veluti horum omnium fons.

. . . . . .

SECTIO IV. — * Loca scripturæ, quæ sic soli DEO internum mentis attribuunt magisterium, seu munus interius mentem edocendi, ut simul id cæteris omnibus expresse, aut tacite, explicite aut implicite abjudicent..... 13

. . . . . .

SECTIO V. — * Loca scripturæ idem probantia ex eo, quod solum DEUM veritatem et bonitatem esse dicant : sola enim veritas potest interius ac objective intellectum movere, et sola bonitas voluntatem, ergo etiam sola poterit docere.

. . . . . .

SECTIO VI. — Loca scripturæ idem probantia, eo quod solum Christum, sive DEUM lucem, ac lumen (mentium videlicet) nominent, et illi soli officium illuminandi attribuant.

Summarium. — 70. Quævis scientia, seu certa et evidens intellectualis cognitio generatur ex lumine. — 71. Nec credo ullum Christianum Philosophorum sentire, quòd objectivum mentis lumen sit ens rationis. — 72. Nec per abstractionem fit, sed detegitur : Quidquid Aliqui olim senserint. — 73. Quorum doctrinæ non æstimo subscribendum. — 74. Vindicantur moderni Philosophi. — 75. DEUM esse lumen mentis ad sciendum probatur argumento ex Scripturâ. — Primò probatur ex Job et Psalterio. — 77. Secundò fusiori stylo probatur ex Salomone. — 78. Tertiò probatur ex Isaiæ variis locis. — 79. Præsertim Isaiæ 60. v. 19. — 80. Quò alludit Joannes Apocal. 21. et 22. Et Salomon Sap. 5. v. 6. — 81. Concluditur ex Micheæ Cap. 7. v. 8. — 82. Probationes ex novo Testamento, prima, Lucæ 1. v. 79. Et 2. v. 32. — 83. Secunda probatio, seu attestatio Joannis 1. à v. 9. — 84. Tertia probatio, sive attestatio Joannis 8. v. 12. — 85. Quarta probatio, sive attestatio Ephes. 5. v. 12. — 86. Quinta probatio, sive attestatio Jac. 1. v. 17. — 87. Confirmatur attestatio ex Dionysio Areopagita. — 88. Et ex D. Augustino, Lib. 9. Confess. Capite 4. — 89. Et expressiùs Lib. 12. de Genesi ad Literam Cap. 31. — 90. Exponitur mens D. Augustini. 13

SECTIO VII — Utrum præfati scripturæ textus, qui Christum, sive DEUM, lumen ac lucem appellant, arctandi sint ad solam supernaturalem illustrationem gratiæ : vel an etiam extendi debeant ad illustrationem naturalem ? Et an utroque modo (id est tam ut lumen supernaturale, quam naturale : objectivè videlicet non subjectivè lumen accipiendo) DEUS lucrat ex se æternaliter, æqualiter, incircumscriptibiliter et per modum naturæ.

Summarium. — 91. Lumen est duplex subjectivum, et objectivum. — 92. Objectivum lumen potest ex se acceptum radiare, licèt a nullo subjecto excipiatur. — 93. Quid sit esse homini naturale et supernaturale juxta D. Thomam 1. sec. q. 111. a 2. ad 2. — 94. Quid sit gratia, prout est Theologicæ considerationis ? 95. Gratia hoc sensu est aliquid subjectivum, et realiter à DEO distinctum. — 96. Canones S. Concilii Tridentini de gratia, seu justificatione. — 97. Non omnes illi Textus arctandi sunt ad supernaturalem illustrationem. — 98. Probatur primò ex illorum universalitate. — 99. Confirmatur 1. ex lumine rationis in obduratis et damnatis reperto. — 100. Confirmatur 2. ex SS. Patribus et Expositoribus. — 101. Confirmatur 3. ex Rom. 1. à v. 19. — 102. Probatur 2. quia DEUS, etiam ut principium rerum naturalium est ens actualissimum et abstractissimum, ergò et lucidissimum. — 103. Probatur 3. Quia omne perfectum est lux imperfectorum. — 104. Probatur 4. Quia DEUS est omnis veritas etiam naturalis. — 105. DEUS utroque

modo lucet incircumscriptibiliter; si videlicet lumen objectivè accipiatur. — 106. Probatur 1. — 107. Confirmatur. — 108. Probatur 2. — 109. Confirmatur. — 110. Probatur 3. — 111. Probatur 4. — 112. DEUS neutro modo lucet incircumscriptibiliter, si lumen subjectivè accipiatur. — 113. Probatur. — 114. Causa, cur unus plùs altero illuminetur? — 115. Confirmatur ex S. Dionysio — 116. An specialis gratiæ excitatio necessaria fuisset in statu naturæ integræ? — 117. Sensus Roberti Bellarmini. — 118. Quæ intelligenda sunt de lumine subjectivo, non objectivo. 142

APPENDIX AD CAPUT IV. — Quis sit ecclesiæ sensus de hoc lucis mysterio?

Summarium. — 119. Sol intelligentiæ conformis est sensui Ecclesiæ. — 120. Probatur ex Romano Breviario ac Missali. — 121. Et ceremoniis ac verbis Sabbathi sancti. — 122. Quibus insinuatur Christum esse Solem ac Lucem mentis. — 123. Confirmatur ex hoc, quòd Catholica Ecclesia plurimùm collaudet doctrinam D. Augustini, qui multùm favet Soli intelligentiæ. 152

CAPUT V. — Solis intelligentiæ lumen indeficiens, sive Dei ut extra sumi internum magisterium probatur ex ss. patribus, præsertim ex divo Augustino.

Summarium. — 1. Etiam SS. Patres, (quorum doctrinæ Ecclesia plurimum observantiæ semper detulit) faveat Soli intelligentiæ. — 2. Et vix unus illorum reperitur, qui non aliquid, breviùs aut fusiùs, ad hunc scopum protulerit. Sed principalis fautor est S. Aug. 154

SECTIO I. — * Testimonia B. Dionysii Areopagitæ, in favorem solis intelligentiæ. 155

SECTIO II. — * Testimonia ss. Justini philosophi, Marii Victorini, Ambrosii, Joannis Chrysostomi et Hieronymi.

SECTIO III. — * Testimonia ss. Cyrilli episcopi Alexandrini, Leonis et Gregorii pontificum, in favorem solis intelligentiæ.

SECTIO IV. — Testimonia ex s. Augustino, episcopo, et ecclesiæ doctore, in favorem solis intelligentiæ.

Summarium. — 60. — Etsi plura afferri possent, unus tamen Augustinus pro mille sufficit. — 61. Quia præ cæteris copiosiùs, expressiùs, et luculentiùs favet. — 62. Ejus testimonia obiter tanguntur. 156

§ I. *Testimonia D. Augustini ex Libris Retractationum : To. I.*

Summarium. — 63. Testimonium ex Libris Retractationum Lib. 1. Cap. 4. et 12. — 64. D. Augustinus improbat reminiscentiam Platonis, tum Lib. 1. Retract. Cap. 4. — 65. Tum Libro 12. de Trinitate Cap. 15. ubi refert sensum Platonis de reminiscentia. — 66. Qualiter Plato probavgrit, quod discere sit solùm reminisci. — 67. D. Augustinus refutat argumentum et experientiam Platonis. — 68. Mens D. Augustini expenditur et declaratur. — 69. Sicut oculus carnis per lucem corpoream de novo videt corporea priùs nunquam visa; ita mentalis oculus videt per lucem incorpoream objecta intelligibilia priùs nunquam scita. 70. D. Augustinus per hoc incorporeum lumen, ex cujus radiatione res primò discimus intelligit ipsum DEUM. — 71. Aliud D. Augustini testimonium, quòd solus DEUS sit Magister Scientiæ. 1. Retract. Cap. 12. — 72. D. Augustinus à juventute usque in senium in hâc perduravit firmus sententiâ. 158

§ III. * *Testimonia D. Augustini ex 1 Libro Soliloquiorum : To. I.*

§ IV. * *Testimonia D. Augustini, ex Libris de Civitate DEI.* 10

§ V. * *Testimonia D. Augustini, ex Tractatu 40 in Joannem.*

§ VI. * *Testimonia D. Augustini, ex Tractatu 3. in 1. Epistolam Joannis.*

§ VII. * *Testimonia D. Augustini, ex Tractatu de disciplinâ Christianâ.*

§ VIII. * *Testimonia D. Augustini, ex Tractatu de cognitione veræ vitæ.*

§ IX. * *Testimonia D. Augustini, ex Libro de Magistro. Tomo* 1.

Summarium. — 151. D. Augustinus specialem Tractatum de solius Christi interno Magisterio conscripsit. — 152. Pro quo demonstrando à signis, seu verbis procedit. — 153. Homines usurpant verba docendi gratia. — 154. Homines docent commemorando. — 155. Scientiæ doctrina non fit auditione verborum (quæ pura signa sunt) sed inspectione mentali ipsarum rerum. Verba solùm attestantur ad credendum intentionem loquentis. — 156. Divisio verborum. Verborum speculatio ducit ad DEI contemplationem. — 157. Vires mentis exercitio acuendæ sunt, ut huic contemplationi aptæ fiant. — 158. Verba aliud physicè non sunt, quàm sonus, seu syllabæ, homo v. g. *ho* et *mo*. — 159. Hinc nihil nisi seipsa quatenus sonus sunt docent, et formaliter accepta ut signa possunt fallere, et in falsum conceptum ducere : nec suum significatum generant, sed supponunt. — 160. Verba, ut aliquid imperfectius ordinantur ad locutionem, hæc ad doctrinam, doctrina ad scientiam. — 161. Ergo verba non possunt causare scientiam, quæ est perfectior, sed solùm excitant mentem discipuli, et eam ad veram doctrinæ causam convertunt. — 162. Potest aliquid doceri absque verbis. — 163. Omninò nihil per verba intus docetur. — 164. Probatur quia primus verborum sensus præsupponitur scitus ante verba. — 165. Et hinc nescimus, quid sint *sarabalta*, quia nunquam vidimus. — 166. Notitia rerum fit per visum, et non per auditum. — 167. Et si aliquid sola mente videri potest, tunc solus Christus, seu incommutabilis DEI virtus ac æterna veritas docet. — 169. Et ideo sicut de coloribus lucem, ita de intelligilibus interiorem veritatem consulimus. — 169. Et sicut cœcus non potest doceri colores, ita nec is, qui veritatis lucem non intuetur potest doceri intelligibilia. — 170. Ulterius probatur. — 171. Nemo citiùs discit, quàm idipsum intueatur quod intuetur Magister. — 172. Falluntur homines, dum eos Magistros vocant, qui non sunt. — 173. Nemo eruditur, nisi qui mente suâ intro convertitur ad cœlestem Magistrum, qui Christus est. — 174. Epilogus D. Augustini circa Divinum Magisterium. — 175. Magistri creati suis verbis solùm monent ut aliunde addiscamus, juxta sensum D. Augustini. — 176. Ultima conclusio ex omnibus dictis. — 177. Mens Augustini aliorum calculo comprobatur. Et primò D. Thomæ. — Testimonium S. Bonaventuræ de sensu Augustini. — 179. Verba D. Bonaventuræ. — 180. S. Augustinus non loquitur de solâ illuminatione supernaturali, sed etiam naturali. — 181. Probatur ex ejus propriis verbis de Magistro. C. 11. — 182. Augustinus etiam senex in hâc perduravit sententiâ. — 183. Testimonium Cornelii de Lapide de sensu Augustini. — 184. Testimonium alterius Theologi. — 185. Ergo juxta S. Augustinum verba hominis nec docent sensibilia nec intelligibilia, etc. — 186. Sed cognitio fit exhibitione rerum. — 187. Et quoad intelligibilia dum interiorem veritatem ratione consulimus. — 188. Et hæc veritas est Christus, Sapientia Patris. — 189. Conclusio cum oratione ad Christum. 16

CAPUT VI. — SOLIS INTELLIGENTIÆ LUMEN INDEFICIENS, SIVE DEI UT ENTIS SUMMI INTERNUM MAGISTERIUM PROBATUR EX DOCTORIBUS THEOLOGIS, PRÆSERTIM EX ANGELICO THOMA, ET SERAPHICO BONAVENTURA.

SUMMARIUM. — 1. Cur Scripturæ et Patribus, et Doctores adjungantur? — 2. DEI interno Magisterio nemo Theologus expressè contradicit.. 178

SECTIO I. — QUORUMDAM THEOLOGORUM COMPENDIOSA EFFATA, QUÆ MIHI SOLEM INTELLIGENTIÆ NON IRRATIONABILITER PROBARE VIDENTUR.

§ I. *Testimonium Auctoris Libelli de imitatione Christi.*

SUMMARIUM. — 3. Cur Auctor libelli de Imit. Christi primo loco ponatur? — 4. Qui commendatur non solùm de pietate, sed et doctrinâ. et peritiâ Scripturarum. — 5. Hûc faciunt, quæ Lib. 1. Cap. 3. de doctrinâ veritatis habet. — 6. Alia ipsius testimonia Lib. 2. Cap. 1. § 7. Et Cap. 8. § 1. — 7. Et Lib. 3. Cap. 2. fusiùs ostendit, voces solùm foris sonare, et intus veritatem docere. — 8. Et Cap. 43. §§ 2. 3. 4. idipsum demonstrat. — 9. Quibus vix clariùs dicere potuisset pro solius DEI vero interno Magisterio.. 179

§ II. * *Testimonium Doctoris melliflui, et Eminent. Cardinalis Joannis Bona.*

§ III. *Testimonia aliquot RR. PP. Societatis JESU*... 181

SECTIO II. — TESTIMONIUM DOCTORIS ANGELICI IN FAVOREM SOLIS INTELLIGENTIÆ.

SUMMARIUM. — 22. D. Thomas favet Soli intelligentiæ, cui Sol cordi apponitur. — 23. Indicantur, quæ superiùs ex ipso allata fuerunt. — 24. Discutitur p. 1. art. 1. 2. 3. 4. quæstionis 105. — 25. DEUS immediatè movet intellectum tum subjectivè, tum objectivè. — 26. Conclusio D. Thomæ, et ejus explicatio. — 27. Mens D. Thomæ exponitur. — 28. Eodem modo DEUS immediatè movet voluntatem. — 29. DEUS tripliciter operatur in omni operante. — 30. Probatur de causâ efficiente. — 31. DEUS in omnibus intimè operatur. — 32. Ex quibus non puto colligi præmotionem physicam. — 33. Explicatur universalis DEI concursus per similitudinem. — 34. Negantur malæ sequelæ. — 35. Ex dictis colligitur pro Sole intelligentiæ. — 36. Conformis est meis dictis. — 37. Aliud D. Angelici Testimonium. — 38. Ex quo arguitur pro Sole intelligentiæ. — 39. Confirmatur mens S. Doctoris ex Tabulâ Aureâ. — 40. Objectio ex D. Thomâ, — 41. Proponitur ejus Sententia — 42. Respondetur objectioni. — 43. Quis principaliter intus Scientiam causet juxta D. Thomam — 44. Ulteriùs mens ipsius ostenditur. — 45. Idem sentit quod Augustinus. — 46. Concluditur ejus mens. — 47. Ne contradicat Augustino. — 48. D. Thomas nec in Summa dissimulat nomen Augustini. — 49. Concluditur Sectio. 182

SECTIO III. — TESTIMONIUM DOCTORIS SERAPHICI IN FAVOREM SOLIS INTELLIGENTIÆ.

SUMMARIUM. — 50. S. Franciscus nomen Magistri fugiebat. — 51. D. Bonaventura, expressus fautor Solis intelligentiæ, mirè laudatus. — 52. Plùs à Crucifixo, quàm à Libris Sapientiam hauriebat. — 53. Christum fontalem radium appellat, D. Augustini sensum confirmat : in DEO ponit rationem ad omnia cognoscenda. — 54. Alia loca ex D. Bonaventura citantur. — 55. Sed longè apertiùs loquitur in Itinerario, quod per Synopsim dividitur. — 56. Et præsertim Capite 3, ubi fatetur, nil nos posse certitudinaliter capere, nisi per veritatem æternam docentem, ac menti conjunctam. — 57. Concupiscentiæ et phantasmata velut nubes impediunt,

58. Loquitur autem S. D. de doctrinâ naturali. — 59. Et primò intentum probat ex consideratione memoriæ. — 60. Inde concluditur, et conclusio expenditur. — 61. Probat intentum ex consideratione intellectûs quoad primam ipsius operationem. — 62. Probat intentum quoad alteram mentis operationem. — 63. Probat intentum quoad tertiam mentis operationem. — 64. Verba ex Augustino à D. Bonaventura citata fusiùs referuntur. — 65. Probat intentum ex tribus actibus ad perfectam electionem requisitis. — 66. Probat intentum ex actu dijudicationis exigente rationem et regulam immutabilem. — 67. Ex eodem naturali radio Solis intelligentiæ edisserit S. D. essentialem ac notionalem Dei notitiam. — 68. Concluditur D. Bonaventuræ mens pro Sole intelligentiæ. — 69. Tria quoque Philosophorum principia Soli intelligentiæ specialiter favent. — 70. Ex illis arguitur pro Sole intelligentiæ. — 71. Christus non ab hominibus, quà talibus, sed quà operibus suis accipit testimonium. 1

CAPUT VII. — Solis intelligentiæ lumen indeficiens, sive Dei ut entis summi internum magisterium probatur ex rationibus.

Summarium. — 1. Hic conglobantur rationes alibi sparsæ, pro quarum intelligentia refricantur Hypotheses. — 2. Ex rationibus pro parte intellectiva, facilè intelligitur et de parte affectivâ. — 3. Omnes rationes reducuntur ad unum Syllogismum.. . . 2

SECTIO I. — Nec homo, nec ùlla creatura intellectualiter, seu internè docere potest.

Summarium. — 4. Ratio prima, quia sensibilia verba non possunt causare internam scientiam : — 5. Aliàs signum ad placitum posset causare primum significatum conceptum rei. — 6. Cùm tamen nec suum proprium formalem possit. — 7. Quod ostenditur exemplo D. Augustini. — 8. Et per experientiam Auctoris. — 9. Unde absque aliquo rerum intuitu nec rerum, nec nominum scientia acquiritur. — 10. Discipulorum introversio. — 11. Verba solùm respiciunt auditum ; non visum ; ubi fit scientia. — 12. Omnis Scientia fit per mentalem visum, seu mentalem experientiam. — 13. Si homo posset intus docere, posset docere cæcum de coloribus. — 14. Non sola objecti apprehensio, sed etiam judicium, et illatio debent causari per mentalem intuitum. — 15. Verba non eruunt res ex tenebris, sed solum lumen hoc facit. — 16. Verba sunt tantùm monitoria signa. — 17. Solùm manuducunt ad verum Magistrum. — 18. Magister creatus causat scientiam, in discipulo audiente, sicut imago exemplaris visa causat amoren in vidente. — 19. Si homo posset mentem alienam docere, posset et liberum arbitrium movere. Objectio ex D. Thomâ solvitur. — 20. Si intus docere posset secreta alieni cordis penetraret. — 21 Probatur denique per argumentum in formâ, et quidem, ut puto, demonstrativum. — 22. Expenditur argumentum, et confirmatur. 21

SECTIO II. — Solus Christus, sive DEUS, intellectualiter, sive internè docere potest.

Summarium. — 23. Cùm creatura intus non doceat soli DEO hoc attribuendum erit. . 2

§ I. *Ratio, seu Fundamentum primum à lumine.*

Summarium. — 24. — Ratio prima ducitur à lumine. — 25. Confirmatur hæc prima ratio. 2

§ II. *Ratio, seu Fundamentum secundum à Veritate.*

Summarium. — 26. Ratio principalis secunda ducitur à veritate. — 27. Solam veritatem intus docere probatur ex principiis Dialecticorum. — 28. Solum DEUM esse

veritatem probatur ex Scriptura. — 29. Probatur ex D. Augustino : qui etiam tenet nullam veritatem includere præteritum aut futurum. — 30. Probatur ex D. Thomâ. — 31. Probatur ex D. Bonaventurâ. — 32. Probatur, quia veritati conveniunt Divina attributa. — 33. Ut æternitas. — 34. Immensitas. — 35. Immutabilitas. — 36. Et cætera omnia. — 37. Probatur ex impulsu naturæ, quo communi modo loquendi Soli veritati Divina attribuuntur epitheta. — 38. Objectio solvitur. 223

§ III. *Ratio, seu Fundamentum tertium à Scientiæ definitione.*

Summarium. — 39. Ratio principalis tertia ducitur à definitione scientiæ : quæ non solùm certa, sed et evidens esse debet. — 40. Explicatur per exemplum genealogiæ Christis. — 41. Et per Discursum S. Bonaventuræ. — 42. Concluditur Discursus S. Bonaventuræ; quod videlicet omnis scientia ultimò in DEUM resolvatur. — 43. Declaratur per analogiam Solis continentis in se primam et fontalem sensibilem lucem. — 44 Omne agens secundum agit in virtute primi agentis, cui subordinatur ? — 45. Quomodo prima veritas ordinatè parturiat cæteras ? — 46. Parturit immediatè et omnes, etiam ultimam. — 47. Ulteriùs hoc ipsum ostenditur. — 48. Quibus gradibus contingat mentem creatam doceri, moveri, illuminari ? 232

§ IV. *Ratio, seu Fundamentum quartum, ex ratione imaginis.*

Summarium. — 49. Qualiter ex ratione imaginis argumentum pro Sole intelligentiæ formetur ? — 50. Probatur ratione, quod mens sit imago DEI. — 51. Essentialis imago DEI est à solo DEO mobilis : probatur per argumentum. — 52. Confirmatur per similitudinem speciei impressæ et expressæ. — 53. Confirmatur secundò. — 54. Quomodo differat imago creationis ab imagine recreationis ? — 55. Qualiter imago recreationis superinducatur ? — 56. Ulteriùs explicatur per verba D. Bernardi. — 57. Est ad hoc necessaria gratia, quâ denuo nascamur, et in novam creaturam transmutemur. — 58. Breviter explicatur perfecta regeneratio. 239

§ V. *Ratio, seu Fundamentum quintum per Synopsim argumentorum D. Augustini.*

Summarium. — 59. Synopsis mentis Augustinianæ. — 60. Verba formalia S. Augustini. — 61. Confirmatur ejus mens per discursum. — 62. Synopticè colligitur ex ejus mente. — 63. Non reperitur ullum exterius verbum, quod implicet esse falsum.... 245

§ VI. *Ratio, seu Fundamentum VI, per Synopsim argumentorum D. Bonaventuræ.*

Summarium. — 64. Compendium rationum D. Bonaventuræ. — 65. Exponitur, quid sit definire. — 66. Ulteriùs declaratur. — 67. Qualiter judicium, illatio, consilium, etc. dependeant à Sole intelligentiæ ? — 68. Colligitur ad mentem Seraphici Doctoris. 248

§ VII. *Conclusio rationum per tres Observationes.*

Summarium. — 69. Lux in tenebris lucens cur non comprehensa ? — 70. Datur et lux mentis (quidquid tandem illa sit) et cur non ab omnibus percipiatur ? — 71. Numerantur causæ, quæ impediunt. — 72. — Ut peccata, et passionum affectus ; — 73. Et turba phantasmatum. — 74. Mentis torpor et aspectûs negligentia. — 75. Moralitas. — 76. In quovis actu rationali DEUS sine discursu cognosci potest,

sed non sine prævia cognitione creaturæ. — 77. Qualiter in actu rationis videatur? — 78. Cur difficulter videamus id, per quod omnia videmus. 79. Verba D. Bonaventuræ. . . . . .

CAPUT VIII. — Diversa corollaria, ex solis intelligentiæ, seu Dei ut entis interno magisterio eliciuntur.

Summarium. — 1. Arcanum lucis incommutabilis multas parturit consequentias.

SECTIO I. — Quatuor prima corollaria ex sole intelligentiæ collecta.

§ I. — Corollarium I. — *DEUS est homini, et cuilibet menti creatæ per se notus notitiâ directâ, non reflexâ, etiam ante omnem Discursum.*

Summarium. — 2. Sequitur enim primò DEUM esse homini per se notum, notitiâ directâ non reflexâ. — 3. Quâ limitatione conciliantur Doctores affirmantes et negantes, DEUM esse per se homini notum. — 4. Mens D. Thomæ expenditur. — Probatur Corollarium primò à necessitate et æternitate principiorum. — 6. Probatur Corollarium secundò à causa formali ratiocinandi. — 7. Solvitur objectio prima. 8. Solvitur objectio secunda. — 9. Objectionis solutio confirmatur per verba D. Augustini. — 10. Quid impediat jucunditatem Divinæ contemplationis. . . . . .

§ II. — Corollarium II. — *DEUS est immediatè etiam à viatoribus intelligibilis, non purè abstractivè, et ut ex alio, sed etiam aliquo modo intuitivè ut in alio, non autem ut in se.*

Summarium. — 11. Cognitio intuitiva, et abstractiva, quid sit? — 12. Qualiter Scotus utramque explicet? et qualiter DEUS in anima, et ejus actu aliquo modo cernatur? — 13. An anima se et actum suum videat et intelligat. . . . . .

§ III. — Corollarium III. — *DEUS inter omnia intelligibilia et amabilia est primum cognitum, et primum amatum : sive id quòd primò cognoscitur et primò amatur.*

Summarium. — 14. Probatur Corollarium per axioma. — 15. Confirmatur ex jam dictis. — 16. De primo cognito infra DEUM. . . . . .

§ IV. — Corollarium IV. — *DEUS est cuilibet menti rationaliter operanti experimentaliter conjunctus.*

Summarium. — 17. Quid sit experimentalis notitia magis vel minus stricta. — 18. Probatur veritas Corollarii. . . . . .

SECTIO II. — Alia quatuor corollaria ex sole intelligentiæ consequentia.

§ I. — Corollarium V. — *DEUS velut regula et ratio operandi ingreditur, (implicitè saltem) omnem definitionem, quodcumque evidens judicium, et quamlibet conclusionem legitimam.*

Summarium. — 19. Probatur Corollarium quoad omnes tres partes. — 20. Confirmatur : In DEO omnes rationes sunt una ratio realis. — 21. DEUS est ratio rationum, in quo omnes rationes fundantur. — 22. Nemo peccat rationaliter operando. — 23. Quid sit animam esse rationalem. . . . . .

§ II. — Corollarium VI. — *DEUS est omnium rerum activa, seu motiva intelligibilitas, et amabilitas*

Summarium. — 24. DEUS est cunctarum rerum motiva intelligibilitas et amabilitas. — 25. Quâ re assertâ crediderim plures difficultates Theologicas intelligibiliores reddi. — 26. Modus, quo DEUS omnia cognoscit indicatur. — 27. Tria sufficiunt, ut DEUS omnia intelligat. . . . . .

§ III. — Corollarium VII. *Deus nihilominus, prædictis non obstantibus, est viatoribus proprio, ac distincto conceptu ineffabilis, seu indefinibilis, indijudicabilis, ininferibilis.*

SUMMARIUM. — 28. DEUS ut Sol intelligentiæ est distinctè ineffabilis, seu indefinibilis indijudicabilis, ininferibilis. — 29. Confirmatur, quia est prima regula, mensura, et sedes omnium dicendorum, definiendorum, etc. — 30. Concipitur tamen ac intelligitur, quia est id, quod dat cœtera dicere, definire, judicare, inferre, intelligere et amare, — 31. Explicatur per similitudinem. — 32. Applicatur similitudo. — 33. Corollarium ostenditur ad mentem D. Augustini. 270

§ IV. — Corollarium. VIII. *Quilibet intus docetur solo, et unico experimentali intuitu, sensibili, vel mentali prout res est.*

Summarium. — 34. Quilibet quodlibet docetur per experientiam. — 35. Imò et ad concipiendam fidem (juxta plures D. D.) est necessaria experientia mentalis quoad credibilitatem motivorum. — 36. Probatur ex D. Thomâ. 2. 2. q. 1. a. 4. ad 2. . 273

SECTIO III. — Alia quatuor Corollaria ex Sole intelligentiæ collecta.

§ I. — Corollarium IX. *Is solus interiùs potest docere, qui menti lumen experimentiæ communicare, et manifestare potest.*

Summarium. — 37. Is solus intus docere potest, qui lumen mentalis experientiæ dare potest: id est Verbum, in quo omnia velut in arte æternâ continentur. — 38. Ostenditur ex D. Augustino Tract. 1. in Joannem. 274

§ II. — Corollarium X. *Homines solùm ad aures, et exterius, solus DEUS ad cor, et ad mentem loquitur.*

Summarium. — 39. Homines exteriùs ad aures, solus DEUS immediatè ad cor loqui potest. — 40. Ulteriùs probatur et explicatur. — 41. Objectio solvitur. — 42. Qualiter et creaturæ nobis DEUM loquantur. . . . . , ... 275

§ III. — Corollarium XI. *Quid creatis Magistris, et Doctoribus attribuendum sit, et quid eisdem oporteat denegari?*

Summarium. — 43. Quid creatis Magistris denegandum sit? — 44. Quid iisdem attribuendum sit? — 45. Monent, testimonium perhibent, opiniones suas ad credendum communicant, etc. 278

§ IV. — Corollarium XII. *DEUS est menti creatæ illud entis, quod dat ei formaliter omnia inter se posse distinguere, et cuilibet, quod suum proprium est attribuere.*

Summarium. — 46. Per solem intelligentiæ omnia distinguimus et cuique quod suum est, attribuimus. — 47. Declaratur. — 48. Ulteriùs exemplificatur per æternas veritates. — 49. Harum veritatum primus pronuntiator est DEUS. 280

SECTIO IV. — Alia quatuor Corollaria ex Sole intelligentiæ.

§ I. — Corollarium XIII. *DEUS Sol intelligentiæ, seipsum quoque ab omni alio ente naturaliter discernit : Et hoc ipsi quoque Athei advertere possent, si vellent.*

Summarium. — 51. DEUS seipsum ab omnibus menti discernit. — 52. Probatur in praxi. — 53. Expenditur. 282

§ II. — Corollarium XIV. *DEUS quodcumque participatum ens repræsentat, definit, approbat, et de imperfectione sua taxat.*

Summarium. — 54. DEUS omnia repræsentat, definit, approbat. — 55. Omnia mala taxat. 284

§ III. — Corollarium XV. *DEUS immediatè hominem omnia docet, v. gr. Logicam, Physicam, Metaphysicam, Mathematicam, Theologiam naturalem.*

Summarium. — 56. DEUS, ut Sol intelligentiæ, immediatè docet Logicam, Physicam, Metaphysicam, Mathematicam, Theologiam, etc. — 57. Intellige de iis tantùm, quæ ratione naturali sciri possunt. — 58. Certò et evidenter intellecturus dirigat expurgatum mentis oculum in Solem intelligentiæ. — 59. Nec ad cognoscendum DEUM fortè aliâ egebit Logicâ, Physicâ, aut Metaphysicâ. — 60. Theologica quæsita de DEO per lucem mentium resoluta. — 61. Declaratur horum intelligentia. . . . 28

§ IV. — Corollarium XVI. *Natura rationalis potest etiam à priori definiri per DEUM, velut per suam formalem rationem extrinsecam, et objectivam : quæ æternaliter omnes quæstiones definit, omnes illationes infert*

Summarium. — 62. Natura rationalis potest definiri etiam à priori, quòd sit capax æternæ Rationis. — 63. Quâ præcellentiâ homo differt à bestiâ. — 64. Rationis (quæ est summè obvia) definitio. — 65. Solvitur objectio, et probatur, quòd æterna Ratio omnes quæstiones æternaliter definiat. — 66. Declaratur in ratiocinio, quo probatur fenestram esse minorem palatio. 28

SECTIO V. — Alia quatuor Corollaria ex Sole intelligentiæ collecta.

§ I. — Corollarium XVII. *Ens quà ens est ipsemet solus DEUS, non verò gradus Metaphysicus univocus communis.*

Summarium. — 67. Ens quà ens est ipse DEUS, non verò gradus DEO, et creaturæ univocè communis. — 68. Alias nullum esset discrimen inter res. — 69. Ens quà ens est quid summè simplex et illimitatum æternum immutabile. — 70. Quid impediat à notitiâ Divinorum? — 71. Ulteriùs ostenditur ex verbis D. Pauli, ac Seraphici Bonaventuræ. 29

§ II. — Corollarium XVIII. *DEUS concurrit dupliciter cum creaturis, ut causa prima, et ut Regula ratiocinandi.*

Summarium. — 72. Concursus DEI ut causæ efficientis principalis primæ respectu omnis operationis physicæ. — 73. Concursus DEI ut est ratio objectiva respectu actuum rationalium. 29

§ III. — Corollarium XIX. *Et ideo creaturæ rationales non solùm pendent à DEO quoad motum, et quoad esse, sed etiam speciali dependentiâ quoad vitam rationalem.*

Summarium. — Triplex dependentia creaturarum à DEO. — 75. Quas mente cernere possumus. 29

§ IV. — Corollarium XX. *Cætera creata proveniunt a DEO, ut ejusdem vestigia, sola mens, ut imago, et species intelligibilis DEI.*

Summarium. — Mens creatur à DEO, ut imago et species intelligibilis, ac proinde DEI notitiam ingenerare potest. — 77. Probatur et declaratur. 29

SECTIO VI. — Alia quatuor Corollaria ex Sole intelligentiæ.

§ I. — Corollarium XXI. *Creaturæ per se et exteriùs acceptæ sunt mutabiles, in DEO verò immutabiles, ac proinde in solo DEO dantur immutabiles, rerum veritates, ideæ, ac vera exemplaria.*

Summarium. — 78. Creaturæ exteriùs sunt mutabiles, sed ut in DEO sunt immutabiles. 79. Mens D. Augustini de Ideis rerum in DEO æternaliter repertis. — 80. In solo DEO, ac objectivâ luce Solis intelligentiæ dantur rerum immutabiles veritates, ideæ, exemplaria, veræ et immutabiles intellectiones, æstimationes, etc. — 81. Exemplum veri judicii, quid sit Episcopatus. 29

§ II. — Corollarium XXII. *Ex hoc lucis intelligibilis mysterio percepto nullum infertur præjudicium, at bene sequitur DEO major gloria, homini accedit major utilitas.*

Summarium. — 82. Doctrina Solis intelligentiæ nulli præjudicat, sed DEI gloriam et proximi utilitatem promovet. — 83. Plùs afficit immediata, quàm mediata rei intelligentia. — 84. Auget notitiam Divinorum. 299

§ III. — Corollarium XXIII. *Error circa ea, quæ solùm concomitanter fiunt, detectus per hoc lucis mysterium.*

Summarium. — 85. Error concomitantium detectus. — 86. Applicatur ad præsentem materiam 300

§ IV. — Corollarium XXIV. *Initium Evangelii S. Joannis facilitari videtur per hujus internæ lucis aspectum.*

Summarium. — 87. Sol intelligentiæ prodest ad faciliùs intelligendum mysterium Verbi. — 88. Exponuntur primi tres Versus. — 89. Exponitur Versus 4. et 5. — 90. Exponitur Versus 6, 7. et 8. — 91. Exponitur Versus 9. usque ad 14. — 92. Quid de hoc Evangelii initio scribat D. Augustinus. 302

SECTIO VII. — Corollarium XXV. *Intelligentiam totius Sacræ Scripturæ adauget radius hujus Divini Solis, si cognitus et practicè degustatus fuerit.*

Summarium. — 93. Probatur, quia per directum intuitum hujus lucis, phantasmata, intelligentiam impedientia, arcentur : — 94. Si fixiùs inspiciatur, et humiliùs invocetur. — 95. Ut suadet Ecclesiasticus Cap. 39. à V. 6. — 96. Christus enim est clavis David, et sensum aperire potest, ut Scripturæ intelligantur. — 97. Gladius spiritus (Eph. 6. v. 17.) Et ejus usus ac utilitas (Heb. 4. v. 12.) recensetur. — 98. Necessarius est ad capienda mysteria, præsertim veteris Testamenti. — 99. Per Solem intelligentiæ manuducimur ad hunc gladium. — 100. Quia et SS. Patres Scripturam exponentes eò mentis aciem direxerunt : et ex ejus radio regulas pro intelligentiâ Scripturæ composuerunt. — 101. Impium est contra unanimem SS. Patrum sensum aliter Scripturam exponere, etiam sub quocumque prætextu. — 102. Recensentur Regulæ pro intelligenda Sacrâ Scriptâ à SS. PP. conscriptæ. — 103. Quid Augustinus de S. Scriptura dicat Lib. 3. Conf. Cap. 5. Et Lib. 2. de Doctr. Christ. Cap. 42. — 104. Scriptura debet eo spiritu legi, quo facta est. — 105. Cur Scriptura, quæ in se bona est plerisque fiat petra scandali? — 106. Ex his colligendum est an Lutherus bene Sacros Codices contra Ecclesiam detorserit. 305

SECTIO VIII. — Corollarium XXVI. *Sol intelligentiæ cum suo lucis radio evidenti rationabilitati fidei Catholicæ, et evidenti irrationabilitati aliarum sextarum adstipulatur.*

SECTIO IX. — Corollarium XXVII. *Quilibet homo in secreto cubili mentis suæ habet reconditum secretum oraculum, quod infaillibilia responsa interroganti fundat, modo bene interrogetur, et liquido audiatur.*

Summarium. — 186. Quivis habet in cubili mentis suæ secretum oraculum. — 187. Est conforme dictis D. Augustini. — 188. Et D. Bonaventuræ. — 189. Mentis oraculum adumbratur cum oraculo Tabernaculi Mosaici. — 190. Qualiter ad quæsita respondeat — 191. Responsio illius est infallibilis, quia imprejudicabilis. — 192. Beati, qui audiunt hoc oraculum, miseri, qui non audiunt. — 193. Unde hæc auriculi gravitas oriatur, etc., quia non sumus domi. — 194. Frustra patent fenestræ, si is, qui aspicere debet non sit domi. — 195. Conclusio de Oraculo. 309

CAPUT IX. — Scutum solis intelligentiæ quo objectiones contra Dei ut Entis summi internum magisterium solvuntur.

* SECTIO I. — Objectio I.

* SECTIO II. — Aliæ IV objectiones proponuntur ac refutantur.

§ I. — Objectio II. — *A contrario usu loquendi.*

§ II. — Objectio III. *Ut sic non esset necessarius intellectus agens.*

§ III. — Objectio IV. *Ut sic species intelligibiles essent superfluæ.*

§ IV. — Objectio V. *Ut sic actus scientiæ non produceretur à solo intellectu.* 316

* SECTIO III. — Aliæ quatuor objectiones.

§ I. — Objectio VI. *Ut sic idem esset æternum, et non æternum.*

§ II. — Objectio VII. *Ut sic quivis à Deo illuminaretur, et amore caleret.*

§ III. — Objectio VIII. *Si Deus solus docet, quo genere causalitatis?*

§ IV. — Objectio IX. *Res corporea potest movere mentem, ergò non requiritur lumen incircumscriptum.*

SECTIO IV. — Aliæ quatuor objectiones.

§ I. — * Objectio X. *Si solus Deus esset veritas, etiam solus Deus esset entitas* 317

§ II. — Objectio XI. *An objectiva rerum veritas, quam dicimus cum DEO identificari, sit sola non repugnantia terminorum?*

Summarium. — 46. Veritas objectiva non videtur identificari cum DEO. — 47. Respondetur primò : quia omnis veritas realis ponit aliquid in re. — 48. Respondetur secundò : quia convenientia inter prædicatum et subjectum debet in aliquo reali fundari, etiam cùm dico : nihil est nihil.. 317

§ III. — Objectio XII. *Veritas objectiva propositionum est ens rationis, sicut omnes universales conceptus objectivi.*

Summarium. — 49. Objectivi entis conceptus non sunt pura entia rationis. — 50. Constat de definitione universalis, sed non de intelligentia ipsius definitionis. — 51. Est certum, quod intellectus rem singularem possit fingere ut communem, sed ad scientias non requiritur. — 52. Quia habemus conceptus sufficienter communes communitate participationis. — 53. Explicatur responsio. — 54. Omne objectum scientiæ realis est totum reale : scilicet ratio æterna. — 55. Intellectus agens non facit, sed detegit conceptus universales. — 56. Ratio cujusque rei potest multiplicitcr spectari, ut nuda, ut vestita : in statu essentiæ, et ut præcisa, et ut contracta. — 57. Qualiter intellectus agens denudet puras rationes? — 58. Ex his colligitur solutio alterius similis objectionis. 319

§ IV. — Objectio XIII. *Ut sic scientiæ non essent de rebus ipsis, sed potiùs de rationibus, seu ideis rerum in DEO existentibus.*

Summarium. — 59. Scientiæ sunt nihilominus de rebus ipsis, sed juxta illarum statum, ubi non mutantur. — 60 Idea, seu ratio æterna est intrinseca rei, quatenus res est de genere intelligibilium. — 61. Non advertentes convertimur ad ideas. — 62. Implicat aliquid realiter repræsentari, nisi illius ratio alicubi realiter existat. — 63. Etsi res videantur in rationibus æternis, tamen et species necessariæ sunt. — 64. Qualiter rationes æternæ, ac ideæ sint universales? — 65. Unitas participata à pluribus, non statim constituit mysterium SS. Trinitatis. — 66. Quid Augustinus de Ideis senserit. — 67. Verba D. Augustini. 325

Appendix ad atheniensem incredulum de ignoto Deo et ad impium Sadducæum de resurrectione et immortalitate animæ. 330

Epilogus solis intelligentiæ.

Summarium. — 1. Epilogus cum verbis Augustini et duplici admonitiunculâ. — 2. Quibus verbis D. Augustinus finiat Librum de Magistro. — 3. Verba Adeodati. — 4. Gratiarum actio Adeodati. 330

Admonitiuncula I. — *Quid faciendum sit, ut Sol Intelligentiæ nos feliciùs doceat?*

Summarium. — 5. Conditiones, ut faciliùs à Christo doceamur, juxta D. Augustinum, etc. — 6. Necessarius est oculus purus, et ut aspiciat et ut videat. — 7. Expenditur puritas ac sanitas oculi. — 8. Oculus ubi malè affectus vix ab errore immunem veritatem percipiet. — 9. Expenditur secunda conditio, sive aspectus. — 10. Expenditur integra mens S. Augustini. — 11. Quid requirat D Bernardus? — 12. Quid D. Seraphicus? — 13. Cui et concordat Thomas, sive Auctor Libri de Imitatione Christi. — 14. Secretum inde erutum, etc. — 15. Praxis Secreti. — 16. Formula pro invocando Sole intelligentiæ. 332

Admonitiuncula II. — *Cautio necessaria, ne vehemens sensibile lædat sensum, aut fixior Solis intelligentiæ aspectus tenebras menti, vel capiti nocumentum afferat.*

Summarium. — 17. Scrutator majestatis vituperatur, non verò contemplator veritatis. — 18. Improba mentis speculatio nocet, non verò moderata, ordinata. — 19. Faciliùs videtur Sol interpositâ nubeculâ. — 20. Qualiter D. Augustinus Solem per nubem fixius intuitus fuerit? — 21. Humanitas Crucifixi est hæc nubes. . . . 338

Propositionum quarumdam brevis explicatio.. 342

Toulouse. — Typographie Bonnal et Gibrac, rue Saint-Rome, 44.